UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

CHR. G. HEYNII

PROFESSORIS ELOQ. ET POES. IN VNIVERS. GOTTINGENSI

EQVITIS ORD. CORONAE WESTPHALICAE

# OPVSCVLA ACADEMICA COLLECTA

ET

ANIMADVERSIONIBVS LOCVPLETATA.

*VOLVMEN VI.*

GOTTINGAE,

APVD HENRICVM DIETERICH.

1812.

21395
6

# PRAEFATIO.

Proluſionibus meis academicis in quinque volumina collectis, reſtabat, vt ſeriores, vsque ad annum ſaeculi octauum, in quo ea proludendi opera ſubſtitit, ſuperioribus, ſexto et vltimo volumine adiecto, ſubiungerentur. Idque curaui tanto lubentius, cum viderem, partim per curas et negotia, a vita litteraria abhorrentia, partim per valetudinem ſenilem, ab omni ſpe et conatu, quo ex aliis, in maturiores annos dilatis, quicquam perficerem, quod viris doctis ſe approbare poſſet, me deiectum et excluſum eſſe. Conſentaneum itaque viſum eſt, vt ea ſaltem, quae iam ſingulatim pro-

 dierant,

dierant, vno complexu excuſa ſeruarentur, nec tam mei, quam vniuerſitatis noſtrae litterariae cauſſa, vt hae proluſiones accederent ceterarum numero, quae per hos annos in quibus eae ſcriptae ſunt *), pro annalium genere ſunt habendae; deficientibus faſtis academicis, quibus, inde a primordiis rerum condendis, vtinam idoneus obtigiſſet ſcriptor, qui conſilia et cauſſas, moleſtias et difficultates ſuperatas, expoſuiſſet.

Haud quidem ignoro, eo loco a paucis proluſiones academicas haberi, omninoque genus hoc ſcribendi tenue per ſe et leue exiſtimari; attamen illud, vt legentibus ſe commendet, argumenti maxime varietatem et dilectum deſiderat, cum videndum ſit, vt res, quam ſcribendam ſumſeris, auctoritate academiae ſit ſatis digna, vt nec ſint ſubtilia nimis, nec tamen vulgaria, nec ex vno aliquo eruditionis genere repetita, quod ſcripto-

*) Inde ab anno 1763 ad a. 1808.

ſcriptori quidem familiare ſit, paucis tamen aliis admodum frequentatum; ſed ex litteris communibus, hiſtoricis ac philoſophicis, aut ex humanitatis ſtudiis delibatum; quandoquidem iuuenum non minus, quam ſenum, legentium cauſſa ea ſcribuntur.

Equidem ſatis habui ex medio mea petere, et iuuentutis ſtudioſae ingeniis, ſtudiis et vtilitatibus, inprimis operam meam conſecrare; nec argumenta ethica refugi; ſumebam quoque interdum partes monitoris, tanquam qui aetate eos antecederem; eaque accommodabam temporibus. Itaque ſententias ſubinde inſerere placuit ex vita, rerum vſu et experientia ductas, acute verbis expreſſas; omninoque genus ſcribendi ſententioſum in hoc ſcribendi officio locum habere exiſtimaui, multoque magis in vita prouectiore *). Id



*) Secundum illud Ariſtotelis de rhetorica libro bonorum conſiliorum et dictorum referto, *ἁρμόττει δὲ γνωμολογεῖν, ἡλικίᾳ μὲν πρεσβύτερον, περὶ δὲ τούτων ὧν ἐστιν ἔμπειρος.* lib. II. c. 21.

enim vel maxime mihi curae eſſe debere putaui, vt addiſceret iuuentus, humanitatis ſtudiis operam ita eſſe dandam, vt nec in ſermonis ſubtilitatibus grammaticis et criticis, etſi per ſe magnopere probandis, non tamen in iis ſolis, ſubſiſteret, nec rerum incondita farragine ingenium oneraret: ſed vt vitae quoque et animi moribus fingendis litterarum ſtudia coleret, vtque ipſe iis hac in re exemplo praeirem, ne in me conueniret, quod apud Tacitum eſt *) de Secundo Carinate rhetore: *graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat.*

Cum porro duabus fere partibus illa ſcriptio academica conſtet, altera, quae eſt praecipua, vt ſollennia indicantur, et, gratiis aeterno numini actis, bona vota pro principe et publica re concipiantur, altera, vt aliqua de re vtili et graui e diſciplinarum orbe petita nonnulla propinentur: illa quidem prior, a pietate in Deum O. M. ducta, affectum

*) Tacitus annal. XV, 45.

affectum et breuitatem deſiderat, nec varietatem et copiam ſermonis aut ornatum admittit. Ita tamen ad eandem fere formulam verbaque concepta et ſollennia res redit; ſimplicitas vero orationis haud facile audientium animos tenet: multo magis autem faſtidium facit ambitioſa amplificatio laudis eorum, qui bene de nobis meriti ſunt, aut ipſius ſummi bonorum acceptorum auctoris. Omnium vero maxime dicta eleuat et legentes vel audientes offendit, ſi adulatorie ea enuntientur. Praeſtat itaque in hoc quoque ſequi Quintiliani iudicium, *pectus eſſe quod diſertum* faciat. Rerum religioſe ac pie eloquendarum magiſter optimus eſt, animus pie ac religioſe compoſitus. De his tamen ſtatuat quisque pro ſenſu ſuo.

Meae quidem menti obuerſari ſolebat iſtud, quod ex Platone *) memineram, cum Athenienſes votorum parum compotes, etſi victimis, pompis ſollennibus, muneribusque deos de-

 mul-

*) Plato in Alcibiade II. p. 98. (149.)

mulcentes, cum Lacedaemonii in ſacris et caeremoniis eſſent parciores, propitios tamen deos haberent; hoc eſt, ſecundos rerum ſucceſſus: qui tamen impie quoque factis contingere ſolent: re ad Ammonem delata, a ſacerdote eos reſponſum tuliſſe, *placere diis magis ſimplices preces bonis ac piis verbis conceptas, quam reliquorum Graecorum ſacra omnia.* Ita ſimplicitas, veritatis fida comes, vt animi ac vitae, ſic quoque pietatis ac religionis, arbitra videtur habenda eſſe.

---

CON-

# CONSPECTVS
## PROLVSIONVM
## VOLVMINIS SEXTI
### A. 1801 — 1808.
### ADIECTIS AD CALCEM
### SVPPLEMENTIS ET AVCTARIIS.


I. *Censura ingenii et morum L. Aurelii Symmachi, cum memorabilibus ex eius Epistolarum libris*: ad indicenda anniuersaria sacra LXIV. et ad commendandum Prorectorem Io. Frid. Gmelin Kal. Septembr. 1801. Pag. 1

II. *Censura ingenii et morum D. Magni Ausonii cum memorabilibus ex eius scriptis*: ad commendandum successorem in magistratu academico Io. Tob. Mayer Kal. Mart. 1802. 19

III. *Censura ingenii et historiarum Ammiani Marcellini; nonnullaque ex iis memorabilia*; ad commendandum Prorectorem Car. Frid. Stäudlin Kal. Septembr. 1802. 35

IV. *Censura sex scriptorum historiae Augustae*, ad commendandum Prorectorem Ge. Frid. de Martens Dr. Kal. Mart. 1803. 52

V. *Censura XII. Panegyricorum veterum.* Commentatio *prior*, ad commendandum Prorectorem Henr. Aug. Wrisberg Kal. Mart. 1805. 80

VI. *Censura XII. Panegyricorum veterum.* Commentatio *posterior*, ad commendandum Prorectorem Chph. Meiners Kal. Septembr. 1805. 99


VII.

VII. *Censura ingenii et doctrinae Salviani Massiliensis librique de gubernatione dei, post similes Augustini Orosiique conatus, scripti;* ad commendandum Prorectorem Theoph. Iac. Planck Kal. Mart. 1806. Pag. 119

VIII. *Censura Boethii de consolatione philosophica,* ad commendandum Prorectorem Io. Petr. Waldeck Kal. Septembr. 1806. 143

IX. *Alexandri Severi Imp., religiones miscellas probantis, iudicium illustratum et ad caussas suas reuocatum.* Pars *prior*, ad commendandum Prorectorem Car. Frid. Stäudlin Kal. Martiis 1809. 169

Cum temporum rationes suasissent, vt, *sollennibus omissis*, magistratum academicum adiret ex Ordine Medic. *Aug. Gottlob Richter* Kal. Mart. 1808. et altero semestri *Io. Godof. Eichhorn* ex Philosophorum Ordine, Kal. Septembr. eiusd. anni; cui Kal. Mart. 1809 *Car. Frid. Stäudlin* ex Ord. Theol. successit: intermissum est, Senatus Academici placito, officium indicendi nouos Prorectores *Richterum* et *Eichhornium.* Repetitum tamen in auspiciis Prorectoris *Stäudlin* Kal. Mart. 1809. Interea vices, indicendi et sui et *Richteri* magistratus, ipse *Eichhorn* Prorector susceperat sponte. Abruptis, moxque intermissis, hoc modo, per temporum rerumque vicissitudines, muniis Professoris eloquentiae, translatisque omnino in Collegam, V. C. *Mitscherlichium:* nolui tamen mihi deesse ipse, et inceptum commentationis, cuius *Pars prior* exierat, absoluendae deserere et derelinquere. Subiecta itaque est ex schedis paratis in *sexto* hoc Volumine *pars altera:*

*Alexandri Severi religiones miscellas probantis iudicium.* 185 - 210

Accesserunt ad hanc Commentationem *Epimetra sex*, argumenti *antiquarii*, vt reliqua scripta *omnia.*

I. *De Christi effigie in Alexandri Severi lararario habita.* 213

II.

II. *De superstitionibus aetatis Alexandri Severi Imp.* Pag. 226

III. *De superstitionum, quae sub Romanis increbuerant, originibus ex symbolorum vsu.* 229

IV. *De religionibus et superstitionibus miscellis per figuras symbolicas effictis, inprimis in gemmis scalptis.* 245

V. *De gemmis astrologicis et magicis inter amuleta habitis.* 256

VI. *De artis fingendi et sculpendi corruptelis ex religionibus peregrinis et superstitionibus profectis.* 273 - 283

Procedunt inde, seorsum a caeteris, ordine annorum *Prolusiones* scriptae *ad promulganda certamina litteraria* cum *quaestionibus propositis*, et *praemia promissa* et *addicta.*

I. In certamine litterario 1802, d. IV. Iunii, Prorectore *Io. Tob. Mayer.* 284

II. In certamine litterario d. IV. Iunii 1803, Prorectore *Ge. Fr. de Martens.* 304

III. In certamine litterario d. IV. Iunii 1804, Prorectore *Io. Fr. de Martens.* 312

IV. In certamine litterario d. IV. Iunii 1805, Prorectore *H. A. Wrisberg.* 330

Adiecta *Commentatio de Alexandro M. id agente, vt omnem terrarum orbem commerciis mutuis iungeret.* 346

V. In certamine litterario d. III. Augusti 1806, Prorectore *Theoph. Iac. Planck.* 363

VI. In certamine litterario d. IV. Iunii 1807, Prorectore *Io. Petro Waldeck.* 381

VII. In certamine litterario d. XVII. Septembr. 1808, Prorectore *Io. Gottfr. Eichhorn.* 389

Subiecta his sunt *duo elogia* virorum defunctorum:

I. *De obitu Caroli Wilh. Pätz*, Iur. Vtr. Professoris Gotting., ad Heerenium suum 1807. 402

II.

II. *De obitu Georgii L. B. de Asch*, ad viros amantissimos Io. Frid. Blumenbach et Io. Dav. Reuſs. *) Pag. 414

Recognita et retractata in Opusculis academicis Vol. I – VI. 1807. 431

Index.

*) Admisi in hunc fasciculum sextum scriptionum academicarum duo haec scripta a nomine opusculorum academicorum haud abhorrentia; similia iis, quae in Societatis consessibus ad collegarum memoriam colendam recitaui. Sunt ea ex genere elogiorum, quod, pro tempore, consilio, re et persona, varias tractandi rationes et modos non modo admittit, verum etiam postulat. Possunt itaque ea exspatiari late in laudes, et panegyricorum genus constituere (λόγοι ἐπιτάφιοι, ἐπικήδειοι), possunt simpliciores sermones esse, elogia, memoriae; propria vniuscuiusque est natura, diuersa praeceptio. Nostrae hae scriptiones collegarum et virorum bene de litteris meritorum defunctorum commendant memoriam, scribuntur et recitantur inter Sodales et Collegas, *recenti luctu*, paucis post honores funebres persolutos, aut post nuntium de obitu acceptum, diebus; ideoque procedunt ab affectu, et ad affectus declarationem habentur inter lugentes; dolor, moestitia, desiderium in iis regnat. Insulsum esset, in tali elogio desiderare commentationes doctas et disputationes de optimo iurisprudentiae tradendae modo, aut de optimo genere historiae scribendae vel academiae condendae; haec et alia similia possunt forte locum habere in alio epicedii genere, luctu iam remissiore, temporis interiecto spatio, animo composito, consideratione in expendendis defuncti virtutibus et laudibus adhibita.

# I.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GEORG. IAC. FRID. MEISTER D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LXIV.
IN KAL. SEPTEMBRES CIↃIↃCCCI.
CELEBRANDA
INDICIT
SIMVLQVE
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IOANN. FRIDER. GMELIN D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT.

*Cenſura ingenii et morum Q. Aurelii Symmachi cum memorabilibus ex eius Epiſtolarum libris.*

Spectat hoc ad honorem liberalibus artibus habitum, quod excuſationes et vacationes a muneribus et officiis publicis facili indulgentia admittuntur; quemadmodum iam olim medicis,

 gram-

grammaticis et ceteris profeſſoribus et legum doctoribus ab omni functione et ab omnibus muneribus vel publicis vel ciuilibus immunitas fuit conceſſa *a*). Quod ſi cauſſa quodammodo diuerſa eſt munerum academicorum, quae ad ipſum Ordinem et ad Curiam Profeſſorum resque vniuerſitatis moderandas ſpectant: tanto maior gratia habenda eſt iis, qui, vt reip. academicae incolumitati et commodis rite proſpiciatur, munera publica, quoties vices ad ſe redierint, haud recuſant. Laetamur itaque et gratulamur Georgiae Auguſtae, cum, expletis functionis ſemeſtris partibus, magiſtratus academici capiendi vices ad Ordinem medicum reuolutae ſint, ſucceſſorem per inſtans ſemeſtre renuntiandum a nobis eſſe publice Virum Experientiſſimum, Collegam coniunctiſſimum,

IO. FRID. GMELIN D.

magiſtratu hoc iam antea ſumma cum laude geſto ſpectatum, integritate et conſtantia, iurium legumque cuſtodia et aequitatis obſeruantia, eximium. Transferentur in eius domum magiſtratus academici inſignia ſolennibus, quae in Kalendas Septembres hoc ipſo libello indicuntur. Quod vt felix fauſtumque ſit, ex animo precamur. Bona vota concipientur in ipſis ſollennibus ſupplicabiturque numini O. M., vt pace Europae reſtituta res quoque Germaniae, patriae noſtrae communis, in tuto et tranquillo conſtituantur.

Nobis interea, quibus praeconium hoc ſollennium academiae mandatum eſt, curae eſto, vt commen-

*a*) L. 6. C. de Profess. et Med.

commentandi argumentum aliquod circumſpiciamus, et loco noſtro, et communibus litteris conſentaneum, in quibus hiſtoriarum et fontium, e quibus illae petuntur, porro ſcriptorum in quaque diſciplina claſſicorum, omninoque doctae antiquitatis, notitia merito habenda eſt. Etenim in hoc ſcriptionis genere nec locum habet quicquid in communi tritoue argumento ſubſiſtit, nec nimis ſubtilia aut tenuia, ad quae vix vnus alterue deſcendat, perſequi licet; ſed verſari ſcriptionem neceſſe eſt aliqua in re, quae intra diſciplinarum in academiis tractari ſolitarum confinia contineatur, neque omnino aliena ſit ab eorum ſtudiis, qui, liberalibus litteris imbuti, iam ad diſciplinarum ſtudium ſeſe contulerunt.

Iure, Ciues, meritoque puerilis et iuuenilis aetatis diſciplina legendis ſcriptoribus, non omnis generis, ſed in ſuo quoque genere praeſtantiſſimis, inprimisque vtriusque ſermonis claſſicis, continetur; formanda enim ſunt ingenia ad exempla optima, mensque eſt imbuenda non fucatis, ſed veris natiuisque coloribus ſeu rerum ſeu orationis; quandoquidem ea eſt habenda cura in prima aetate, vt et res recte percipiamus et perceptas recte eloquamur. Prouectioribus tamen annis ſtudiisque nequaquam aſpernandus eſt omnis vſus et lectio ſcriptorum ſerioris ac deterioris aetatis, inprimis iis, qui in hiſtoriis cognoſcendis et explorandis, in iuris Romani et doctrinae Chriſtianae, eiusque viciſſitudinum, doctiore et penitiore ſtudio verſari, nec in vulgari rerum traditarum formula acquieſcere, ſed in cauſſas nexusque re-

rum et euentorum aut doctrinarum ſe inſinuare volent. Contrahitur porro iudicii aliqua ſeu maturitas, ſeu firmitas ac ſoliditas, ſi opinionum viciſſitudines, caſuum fortunae varietates, externarum rerum in ea, quae a ſapientia diuina humanaque deducta eſſe habentur, vim ac dominationem, ſi partium ſtudia, ſectarum furores, dogmatum certamina, laqueos et calumnias, animadverteris; ſi iactatos per hos cupiditatum et irarum fluctus et anfractus hominum animos, abductaque ingenia per opinionum ludibria a ſenſu communi, ratione ſaniore et iudicii ſimplicitate, transuerſumque acta videris; et auocata ab eo, quod omnium primum ſummumque erat, a ſtudio veri, ab actu rerum publice priuatimque vtilium, a ſenſu et habitu humanitatis, virtutis ac pietatis, ex iudicio animi, incorrupto et ſincero veritatis amore imbuti, cognoueris. Ita demum adſueſcimus, nec noſtrae aetatis opinionibus plus tribuere, quam prudentia, rectumque iudicium, et locus, in quo quisque ſe conſtitutum videt, poſtulant. Eſt poſt haec omnia aliud, quod in ſcriptoribus ſerioris aetatis tractandis, cum vtilitatibus multis ac variis, voluptatem quoque afferre poteſt, ſi iſtarum aetatum, mores et ingenia hominum, imperiorum conſtitutiones et adminiſtrationes, imperantium artes, aulicorum ſtudia in publica negotia conſilia et rationes ſe inſinuantium, opum publicarum dilapidationes, vtilitatum publicarum per priuatorum vtilitates interceptiones, et innumera alia perſpexeris, quae noſtris imperiis ac regnis, adminiſtrationis modis, auli-

corum

corum ſtudiis, communia ſunt ac ſimilia. Iuuat altera ex parte cognoſcere exempla virorum, munerum meritorum ſcriptorumque laude inſignium, inquirere in cauſſas ac modos, quibus in regnis corruptis ac labefactis, quorum ruinas ipſi morabantur, ad tantam virtutem peruenire, ingenia excolere, doctrinam interdum haud vulgarem aſſequi potuerint, ea maxime aetate, qua Chriſtiani homines doctrinae quidem ſuae praecepta, interdum et ipſa ſatis deprauata, latius propagare ſtudebant, vita tamen, moribus ſtudiisque et actis publicis priuatisque, eadem plerumque ipſi reſpuebant et proculcabant. Habet quoque vtilitatem intelligere, quid quantumue homines etiam praeſtantiores ex ſaeculi ſui opinionibus ipſi imbibere ſoleant, vt nemo facile, ne magni quidem viri nomine dignus, memorari poſſit, qui non ex temporum ſenſibus, iudiciis, vitiisque, aliquid ipſe vitii contraxerit, cuiusque vita, actus, ingenium, oratio, non labe aliqua ſaeculi contaminata ſit. Eadem de cauſſa difficile eſt, in ea aetate, in qua nihil probatur, niſi quod ad morem et corruptelam ſaeculi attemperatum ſit, vitae, morum, ſtili, ſeruare ſimplicitatem.

Non itaque aut inutile erit, aut iniucundum, euoluere et enucleare clarorum virorum aliquot Saeculi quarti et quinti a C. N. vitas et ſcripta, ſimulque adiungere memorabilia ex eorum ſcriptis, quae ad mores, opiniones et inſtituta temporum cognoſcenda tanquam manu ducant. Eſt in his vnus, *Q. Aurelius Symmachus*, Senator grauiſſimus,

 muneri-

muneribus dignitatibusque ſummis per Gratiani, Valeriani et Theodoſii tempora functus, poſt alios honores Praefectus vrbis a. 384. et Conſul ordinarius a. 391. idemque Pontifex maximus, omni virtute publica priuataque ornatiſſimus, Chriſtianorum tamen clamoribus infamis, quandoquidem a patriis religionibus recedere obſtinate recuſauit. Idem litterarum ſtudia miro ardore eſt proſequutus, ſtili fingendi diligentiſſimus, meliore haud dubie ſaeculo dignus, ei tamen, in quo vixit, diuino aliquo munere datus: quandoquidem ille ſtudia ſua et virtutis et litterarum coniunxit cum aliis egregiis iſtius aetatis viris, ne maturius, quam poſtea euenit, litterarum bonarum ſtudia interirent.

Mouet omnino mirationem, quibus a cauſſis profectum ſit, vt ſaeculo quarto medio virorum doctorum vbertas tanta exiſteret, cum antecedente aetate litterae fere exaruiſſe ac defeciſſe viderentur. Inclaruerunt nunc non modo e chriſtianis Auſonius, Ambroſius, Auguſtinus, verum etiam ex alteris partibus innotuere praeter Symmachum, Ammianus Marcellinus, Avienus, Vegetius, Aurelius Victor, Eutropius, Claudianus, Macrobius, e Graecis poſt Libanium, Themiſtius, Himerius, Eunapius, alii, non quidem boni ſcriptores, nec tamen prorſus indocti. Aliorum nomina excitat Macrobius in Saturnalibus, alia Auſonius, plura Symmachus, inque iis Flauianum, ipſi coniunctiſſimum, muneribus ſummis functum, Mineruium, Protadium, eius filium, Praetextatum, qui in prae-

praefectura Italiae et Illyrici obiit 384 *b*), Eugenium, grammaticum et rhetorem ab Arbogaſto in locum Valentiniani II. Imp. euectum; Medicos, Diſarium et Gelaſium; vt omittam alios *c*). Ipſe Symmachus habuit patrem, virum, iudice Am-



*b*) De his vid. Ritter. Prosopographia ad cod. Theodos. cf. Tillemont in Theodosio Art. 63. De Protadio v. Wernsdorf Excurs. VII. ad Rutil. et de Flauiano ibid. p. 651. Tom. V. Poet. min.

*c*) Disarius medicus, in Epiſtolar. IX, 43. pro quo editum Disamus III, 37. Gelasius, de quo I, 68. "Medicinam cum primis nostrae aetatis exercuit" Martianus poeta graeca carmina ad eum miserat VIII, 22. Lucillum pictorem meminit IX, 49. Adde Palladium rhetorem I, 15. Maximum philosophum: *quem vita et eruditione liberalium disciplinarum pariter insignem, neque vlli praestantium philosophorum secundum* commendat Epp. II, 29. diuersum ab eo, qui magiae reus gladio percussus est a. 374. Laudatur Eris vel Orus II, 39. *philosophus vita atque eruditione praecipuus.* Asclepiades V, 29. quem *sanctum philosophum* appellat. Celsus, *Aristoteli suppar*, quem in ordinem senatorum cooptare rogat Theodoſium Imp. X, 18. et Priscianus I, 79. de quo haec habet: "*Priscianus, frater meus, cum primis philosophorum, litteratura et honestate censendus, Senatu autore salarii elementa consequitur.*" Fratrem appellat, illa enim aetate voces filius, pater, frater, affectus erant nomina, non sanguinis. Erant autem tum *Romanae iuuentutis magistris subsidia detracta sollennis alimoniae:* Ep. V, 33. quod mirum videri debet, quum Gratiani Constitutione notissima a. 376. Professoribus e fisco constituta essent salaria: eam v. in Cod. Theodos. XIII, 3, 11. Fuisse passim homines et ciuitates non omni cultu litterarum carentes, facile tibi persuadeas. Ita inter *Beneventi* laudes est Ep. I, 4. *et vrbs cum sit maxima, singuli optimates mihi visi sunt vrbe maiores, amantes sui* (an vrbis?) *litterarum morumque mirabiles.*

miano Marcellino XXVII, 3. "*inter praecipua nominandum exempla doctrinae atque modeſtiae.*" Eſt eius epiſtola ad filium, in qua aliquot ab eo compoſita poematia inſerta leguntur. Si tempora computamus, horum virorum pueritia et iuuenta incidit in tempora pacatiora et tranquilliora inde a Conſtantini regno; vt videatur ingeniorum conflictio inter antiquorum et nouorum ſacrorum adſectatores, quamdiu non omnino vi publica oppreſſa erat opinandi libertas, litteris et diſciplinis ſtudioſe proſequendis profuiſſe. Ipſe Symmachus cum Auſonio, etſi Chriſtiano, vixit coniunctiſſime *d*). Atque in hac ſententia ſaniore perſiſtere debuerant inde a Conſtantino omnes, et ſibi perſuaſum habere, veritatem tanto faciliorem victoriam habituram, quo patientius errori venia daretur; et audiendus erat Symmachus: "*diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Eadem ſpectamus aſtra, commune caelum eſt, idem nos mundus inuoluit; quid intereſt, qua quisque prudentia verum inquirat? vno itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum; ſed haec otioſorum disputatio eſt, nos preces, non certamina offerimus.*" (Ep. X, 54.)

Epiſtolarum ad diuerſos habemus libros decem poſt eius mortem a filio in lucem editos; an patris vltima voluntate, non conſtat; nec magis illud, an a filio collectae fuerint; librorum numerum, et vltimo loco epiſtolas ad Imperatorem in

*d*) Lectitauit Symmachus eius Moſellam et laudat eximie Epp. I, 14. gratulatur ei Conſuli, I, 20. quo loco: "*iter*, inquit, *ad capeſſendos magiſtratus saepe litteris promouetur.*"

in vnum librum collectas, aemulationem Plinii iunioris prodere in aperto eſt; pro cuius imitatore Symmachum habuere et cum iſto comparauere aequales; quod ferendum erat, ſi Symmachus forte acumine ſententiarum et verborum ornamentis, non autem ſermonis elegantia proprietate et nitore cum eo certare voluiſſet. Vtinam ad temporum ordinem epiſtolae diſpoſitae eſſent, aut aliquis ſaltem vir doctus exiſteret, qui noua recenſione facta temporum notationes, quoties ipſa res deſiderat, et hominum notitias adiungeret; nae multas ille moleſtias legentibus eximeret! Symmachum autem ipſum vellemus grauiora ſuis epiſtolis argumenta ſubieciſſe; maxima enim pars rebus vulgaribus, tenuibus et nihil prorſus memorabile habentibus, abſoluitur; vt pigeat, orationis cultum ac ſtudium tam vana et inani opera eſſe effuſum. Magnus eſt numerus litterarum commendatitiarum, varietate quidem formularum haud indocta. Sunt aliae officii cauſſa ſcriptae, aliae in vitae priuatae negotiis, aliae ad amicos, pauciſſimae in cauſſa aliqua grauiore; itaque ad temporum hiſtorias pauca ex iis erui potuere, quibus Tillemontius ſatis diligenter eſt vſus; alia nonnulla ad leges et conſtitutiones, aut ad officia domus auguſtae illuſtranda, quae, pleraque a Iureto animaduerſa, in Commentarios ad Cod. Theodoſ. intulere viri doctiſſimi, Iac. Gothofredus et Io. Dan. Ritter, viri eruditionis antiquae, nunc fere obſoletae. Studium ſtili fingendi mirum eluceſcit in omnibus, vt mireris, illa aetate, in tanta corrupteia eloquentiae omnisque orationis, laudem tamen et

A 5 famam

famam ex ſcriptionis elegantia quaeri potuiſſe. A ſententiarum veritate et naturali enuntiatione ſermonisque proprietate, perſpicuitate et, ſi res ita ferret, venuſtate ex verborum delectu, collocatione et numeris, aberratum erat ad verborum fucos, cincinnos et calamiſtrum, ſententia aut neglecta aut obſcurata *e*); dumque acumen nimium, etiam in vulgaribus, venantur homines, inepta et frigida in medium afferunt *f*). Non itaque mirum eſt, ea, quae hanc aetatem exceperunt, tempora ad horridam et ſqualidam orationem prorſus deſciuiſſe; nihil enim eſt, quod, ſemel ſpreta ſimplicitate et elegantia, celerius properet ad barbariem, quam tragico et lyrico tumore ad vulgaria et per ſe tenuia translato pro-

*e*) Quale hominum iudicium fuerit de eloquentia discas ex Epp. I, 89. *praeter loquendi phaleras quibus te ornauit natura, senile quiddam — sonuisti — At illi quos cothurnus altior vehit, et structurarum pegmata delectant, neque tristem soliditatem atque lasciuum leporem consona laude celebrarunt.*

*f*) Sunt tamen in his acute dictis, nonnulla, quae veritate et pondere placere possunt; vt X, 25. "*paria non sunt, quae dispari arte quaeruntur;*" (vt honores, laudes, fama, *gloria, virtute an adulantium vocibus*, parta). VII, 60. "*omne, quod in cursu est, viget; continuatio experientiae vires suas renouat.*" II, 36. "*inusitatum exemplum vitandum esse rescripsi, ne res iusto orta principio breui ad indignos per ambitum perueniret.*" Est hoc illud Sallustianum per se verissimum, Cat. 51, 17. *Omnia mala exempla* (in rep.) *a bonis orta sunt.* I, 31. *Cum semel a te carmen profectum* (vulgatum) *est, ius omne perdidisti; oratio publicata res libera est.* I, 18. "*sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat.*" Fuit eiusdem dictum: *vt vera laus ornat, ita falsa castigat.*

progreſſa oratio. Hoc erat, quare nuper tantopere metuebamus hiſtoriis tragico dramate compoſitis. Orationem in Senatu habitam *g*), et mirum in modum cum aſſenſu auditam, memorat optimus Senator noſter. Eſt tamen ſuperſtes vnum eloquentiae Symmachianae ſpecimen, quod argumentorum grauitate, copiis haud vulgaribus in breuitate, et ſumma arte, ad praeſtantiſſimorum oratorum opera accedit, Epiſtola (X, 54.) ad DDD Valentinianum, Theodoſium et Arcadium ſemper Augg. pro Ara Victoriae in Curiam reponenda; dicetis, in cauſſa haud probanda eum ingenium exeruiſſe; at enim ex eius ſenſu et iudicio diiudicatio facienda eſt. Argumentorum dilectu, vi, pondere, aculeis, non minus admirabilis illa eſt, quam prudentia, cautione, ac verecundia; quam tanto magis ſentias, ſi verboſam et inanem, interdum calumnioſam et veteratoriam, declamationem Ambroſii compares *h*). Ex reliquis libri decimi epiſto-

*g*) Ante annum 379 forte ad gratias agendas propter patrem ex agro in Senatum reuocatum lib. I, 44. (ex Lectii editione, qua vtimur, in Iureti editione, in qua primi libri numeri variant, ep. 38.) Idem ambitiose captat amicorum iudicia et gratulationes, nam orationem editam a se ad eos miserat, I, 52. 28. 105. V, 41. duas orationes praeterea ad Minervium, Protadii patrem, miserat, IV, 29. Si vera sunt, quae ap. Cassiodorium memorantur hist. tripart. IX, 23. orationem in laudem Maximi quoque scripserat.

*h*) Saepius tentata res primo 382, vt ex *Ambros.* Ep. colligas (Tillem. p. 170.), iterum 384. (p. 244.) cum Praefectus vrbis esset (Ambros. ibid.) 388 et 392. *Lardner Heathen Testim.* Vol. IV. p. 372. vbi et nonnulla de vita eius p. 397. Nec tamen successum

epiſtolis, qui in fronte haec habet: "*liber X. continens epiſtolas familiares ad Impp., ſententias Senatorias et opuſcula, editus poſt eius obitum a Q. Flauio Memmio Symmacho V. C.*" poſſunt nonnulla enotari ad Praefecti vrbis officium, cauſſas, cognitiones ceteraque negotia ab eo curanda, formulamque libellorum ad Imp mittendarum; nos relationes, et memorias, appellare ſolemus. Verum haec iam occupata ſunt a viris doctis, qui ad Codicem vtrumque iuris illuſtrandum eruditionis copias attulerunt, imprimisque ii, qui de officio Praefecti vrbis diſerte egerunt. Sunt quoque nonnulla in hoc libro, quae ad iuris ciuilis capita ſpectant, quae tamen accurata expoſitione indigent, a loco noſtro forte aliena, nec multis lectoribus grata futura *i*).

Ex iis, quae ad temporum quidem euenta et conditionem ſpectant, vnum ſaltem commemorare iuuat: Submota Gratiani iuſſu ara Victoriae e Curia, a. 382. paullo poſt premebatur vrbs graui fame; quod Symmachus ad ſacrilegam impietatem refert locis pluribus, inprimis in nobiliſſima Epiſtola X, 54. ſupra memorata. Orta erat fames ex ſterilitate anni maxime in Africa; delata eſt annonae cura in Symmachum Praefectum vrbis ab Impp. dictum, claſſes aliis ex locis aduehi frumentum iuſſae;

cessum res habuit; quid quod et in centesimo lapide ab Vrbe abesse a Theodosio iussus est Symmachus, vt Prosper Aquit. memorat; parum probabiliter, nisi alio tempore similis casus incidit.

*i*) V. lib. X, 32. 41 sqq. 63. spectans ad illustrandum L. 14: Cod. Theod. de accusat. add. lib. V, 52. et II, 13. quae L. 2. Cod. Th. de testam. respicit.

iuſſae; ita Africae damna Macedonicis maxime commeatibus ſunt compenſata *k*).

Quantopere, dominationis deprauatae artibus, exhauſtae fuerint prouinciae, tributis et vectigalibus reſtincta hominum induſtria, inprimisque fiſci auaritia et calliditate peſſundata libertas, inter inſanas imperatorum et aulicorum prodigalitates et profuſiones, docent temporum hiſtoriae. Nec vero modo plebs exactionibus oppreſſa, verum etiam graſſatum eſt in diuitum patrimonia: quae ex LL. Cod Theodoſ. et Annott. ad eas cognoſci poſſunt. Memorat in his Symmachus indictiones tironum, etiam e ſeruis, et iumentorum, deteriorum temporum inuenta: VI, 62. 64. 58. IX, 10. v. Iuret ad VI, 63. Vt vnum commemoremus: magiſtratuum munia continebantur fere impenſis in res non modo inutiles, verum etiam damnoſas faciendis, inque his inprimis in ludos edendos. Incredibile eſt, quantae, in ſumma prouinciarum, vrbium et agrorum, egeſtate, impenſis in ſpectacula aulica factis, fuerint erogationum publicarum profuſiones, et ipſorum magiſtratuum patrimoniorum impendia, malis mox artibus, vt fit, reparanda. Quaeſtoria et praetoria dignitas ludorum editione abſoluebatur, in quos ingentes ſumtus erant expendendi *l*). Pro exemplo eſſe poſſunt ea, quae in magno Epiſtolarum numero occurrunt de apparatu ludorum, quos Symmachus filio quae-

*k*) Epp. III, 82. coll. II, 6. 7. 52. III, 55. IV, 21. 75. VI, 26. VII, 68. erat quoque olei penuria IV, 18.

*l*) Fuit quoque editio in Conſulatu IX, 24. etiam Sacerdotum: v. Iuret. ad IV, 62.

quaeſtori et poſtea praeturam adepto inſtruxit, modice quidem, vt ipſe profitetur, ſatis tamen laute vt bis mille aureos in praeturam filii expendiſſe narretur ap. Photium Cod. LXXX. p. 198. Eſſet res ſingularis libelli, ſi omnia accurate perſequi vellemus. Narrantur a Symmacho ludorum cauſſa aduecti gladiatores, equi ex Hiſpania, quadrigae, circi et ſcenae artifices, veſtes holoſericae, quae pro praemiis diſtributae eſſe videntur (VI, 39), vrſi, leopardi, crocodili, Libycae ferae, addaces, ſtrepſicerotes alii appellant, et pygargi, IX, 119. de quibus Plinius eſt videndus *m*). Itaque narratum legimus, preces ad Impp. eſſe perlatas, vt ludos edituris magiſtratibus ſubueniretur, gladiatoribus, etiam equis, mittendis et Libycis feris *n*). Erant porro a magiſtratibus nouis mittendae ad alios ſportulae, ſeu munera, in quibus, vt notum eſt, diptychorum vſus erat praecipuus: (etiam a Symmacho memoratus II, 81); erant aliae liberalitates, in his miſſilia. Mittebantur a Senatoribus ſtrenae Principi, vti a Principe miſſae Kalendis Ianuariis: (Ep. X, 20. 28). Conferebant Senatores pecunias ad decennalia celebranda (X, 26). Simili modo

*m*) Collegimus haec ex locis Epp. II, 46, 76. 77. IV, 6. 8. 12. 56. 59. 60–64. V, 19. 54. 60. 63. 81. VI, 33. 34. 38. 40. 42. 43. VII, 1. 48. 82. 104. 5. 6. 110. 121. 122. IX, 12. 15. 16. 18. 20–25. 27. 111. 119. 126. X, 9. 14. 48. In Ep. V, 63. conqueritur quadragesimae portorium pro equis missis exactum per publicanos.

*n*) Lib X, 22. IV, 12. cf. Iuret. ad X, 4. et ad II, 46. in qua memorabile exemplum occurrit Saxonum captiuorum ad depugnandum in ludis missorum, qui, vt se probro subducerent, pridie ludos sine laqueo (*spiritu intercluso*) gulas fregerant numero XXIX.

modo corporibus Vrbis imperabantur collationes, v. c. equorum; vnde inter priuilegia corporibus Romae conceſſa erat immunitas a tali quoque praeſtatione: (X, 27. v. viros doctos ad C. Th. de priuilegiis corporatorum lib. XIV. tit. II. p. 164. Tom. V. cf. eosdem ad XI, tit. 17. 18). Praedicatur itaque Symmachi Praefecti vrbis 384 opera, cum ad leuandam quaeſtoriam et praetoriam dignitatem, liberandasque Senatorias functiones a grauibus impenſis, Patrum decretum ad Impp. detulit (X, 21), quod et confirmatum legimus Conſtitutione Theodoſii et Arcadii, C. Th. XV. 9. ad quam a viris doctis res illuſtrata eſt *o*) inprimis ex ipſo Symmacho; vt haec illuſtrare velle, actum agere ſit.

Subiungemus his nonnulla, quae ad ipſum Symmachum ſpectant. Senatorem grauiſſimum, Magiſtratum ſanctiſſimum, Ciuem ad bonum commune natum recte diceres, vocabulo iſtis temporibus frequentato *p*); cuius integritatem, probitatem, conſtantiam cum prudentia, multis in locis admiramur; facile enim intelligi poteſt, quam lubricum ac periculoſum eſſet, inter temporum, dominationis, et aulae corruptelas, ſeruare rectum. Senatoriam auctoritatem et dignitatem tuitus eſt egregie *q*); in hoc enim ordine quicquid ſupererat auxilii

*o*) Etiam de sportula, vno solido, ad IX, 128. item III, 59. 61. VII, 77. 8. Tillemont. Tom. V. p. 244 sqq. de spectaculorum licentia Muller. de genio aeui Theodos. cf. Montefalcon. *des moeurs et des usages du Siecle de Theodose* in Mem. de l'Acad. d. Inscr. XIII. p. 484.

*p*) Epp. I, 49. cf. Iuret. ad I, 43. p. 53.

*q*) V. c. X, 62. II, 75. (al. 74.) ait quoque Praefecturae munus esse tueri Senatum X, 62. Obiter notabi-

auxilii aduerſus dominationis iniuriam et libidinem, continebatur; itaque Senatum appellat "*partem humani generis meliorem*," (Epp I, 52. al. 46. vbi cf. Iureti notam). Quod ſuperſtitio animo eius tam alte inſederat *r*), excuſandum erat in viro patriarum legum et inſtitutorum ſeruantiſſimo, eodemque Pontifice maximo: venia enim debetur ei, qui ad fidem ſuam et religionem refert antiqui inſtituti auctoritatem et ſanctitatem, ſi videt noua, etſi forte per ſe bona, meliora quoque, non bonis artibus et conſiliis inferri et obtrudi. Quod Orationi Imp. Gratiani in Senatu Kal. Ianuar. ab ipſo Imperatore iuſſus erat, eximie exultat *s*); quod ne vanitatem optimi viri arguere putetur, de temporum more hominumque ſenſu ſub dominatione eſt ccgitandum: de quo vel ex hoc licet ſtatuere, quod iam tum vſitata erant appellandi Impe-

tabimus ex lib. X, 37. acta Senatus et populi per vices singulorum mensium ad Impp. missa.

*r*) Vestigia superstitionis, praeter Epistolam pro Ara Victoriae, ad curam sacrorum et sollennium, I, 46. ad procuranda ostenta I, 49. alias curas v. I, 47. 51. 69. II, 34. 36. spectant. Aegerrime tulerat, fundos, praedia et agros, e quibus Virgines Vestales alebantur, cum priuilegiis et stipendiis Constitutione Gratiani ademtos: (v. Ep. X, 54. med.) de qua lege v. docte disputata ad Cod. Theod. XVI, 10, 7. p 299. Vol. VI. quid eum sensurum fuisse putabimus, si nostra aetate eum vivere fors tulisset! De Virginis Vestalis incestu actionem instituit IX, 122. 123. non Pontificis loco, sed Praefecti Vrbis vice, ad quem omne criminum genus intra et extra vrbem pertinebat.

*s*) Epp. I, 13. X, 2. I, 95. Quaestoris Principis illud munus erat.

Imperatoris verba: *Clementia veſtra; numen veſtrum; aeternitas veſtra*, et ſimilia alia.

Litterarum illum ſtudiis omne otium conſecraſſe ex multis locis apparet, maxime cum ruri viueret. Solebat enim opportunitates ſeceſſus in praediis anxie aucupari. Habuit autem praedia plura, ad Baulos, quos verſibus celebrauit, I. 1. et ad Lucrinum lacum I, 1. quibus adiungit Baias et Puteolos I, 8. II. 26. Memorat praetorium Capuanum, h. e. villam, domum, I, 10. vt VI, 11. praetorium Baianum, VI, 9. hinc intra Campaniae terminos ſe vitam agitare ait: II, 32. cf. III, 16. V, 91. 95. VII, 31. 37. 24. Aliud praedium habuit Laurentinum IV, 44. VII. 15. idem appellat agrum Lauiniatem, VII, 26. Aliud Vaticanum VI, 58. 61. VII, 21. aliud Oſtienſe I, 6. VI, 72. ſuburbanum viae Oſtienſis VI, 66. aliud Praeneſtinum VII, 35. et ſuburbanum, cui Arabianae nomen erat II, 57. VI, 60. Habitationem habuit in Coelio VII. 18. 19. agros poſſedit in Caeſarienſi Mauretania VII. 66. alios in Sicilia IX, 51. Sane ii, qui tot ſeceſſus ad otiandum habent, non facile in otio de litterarum ſtudiis et Muſarum contubernio cogitare ſolent; ſunt ſcilicet oblectationum alia genera, quibus ſe addicunt; tanto maior eſt Symmachi admiratio, qui in ſummis honoribus adminiſtrandi imperii et fortunarum copiis in agros ruſticatum itabat, vt litteraris occupationibus ſe recrearet.

Graeca ſe cum filio didiciſſe, in grauiore aetate, ipſe narrat IV, 20. Memorat Varronianas Hebdomades I, 2, 3. quas ea aetate (Saec. IV.) ſuperfuiſſe inde patet, et laudat ex iis Elogia Platonis, Ariſto-

telis, Curii, Catonum, Fabiorum, Scipionum, totiusque triumphalis Senatus: vnde argumenta libri quae fuerint cognoſcimus. Exemplum Plinii hiſtoriae naturalis a librario exaratum ad Auſonium miſſum memorat Ep. I, 24. cum autem voce *libellorum* vtatur (*en tibi libellos*) credas partes tantum libri fuiſſe. Terentii verbis vtitur I, 23. (ex Adelphis IV, 1, 16. *quam vellem etiam noctu amicis operam mos ſit dari!*) IX, 82. Salluſtii V, 66. IV, 24. (at I, 24. *Salluſtiani teſtimonii caſtigatio* eſt pro breuitate Salluſtio ſimili). Liuianum opus integrum adhuc ſuperſtes tractauit; nam IX, 13. ad Valerianum ſcribit: *munus totius Liuiani operis, quod ſpopondi, etiam nunc diligentia emendatoris moratur,* et IV, 18 ad Protadium: *Priſcas Gallorum memorias deferri in manus tuas poſtulas, reuolue Patauini ſcriptoris extrema, quibus res C. Caeſaris explicantur; aut, ſi impar eſt deſiderio tuo Liuius, ſume ephemeridem C. Caeſaris decerptam bibliothecùlae meae, vt tibi muneri mitteretur. — Erit, ſi ſors votum iuuet, etiam Plinii Secundi Germanica bella conquirere.* Ergo et illa etiamnum ſupererant. add. IV, 36.

Et in his quidem ſubſiſtimus, cum ſatis a nobis effectum eſſe videatur, vt viri praeſtantiſſimi, quodque multo memorabilius eſt, ex iniquiſſimis temporibus, effigiem aliquam habeamus ante oculos poſitam, ingeniique ac virtutis ſpecimina aliqua contemplanda. Quod ſupereſt, Commilitones, vt ſollennibus craſtinis frequentes adſitis et ad dicendum prodeuntibus faueatis, rogatu noſtro et auctoritate vos adductos eſſe volumus. PP. in Georgia Auguſta pridie Kal. Septemb. cIɔIɔcccI.

---

# II.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. FRIDERICVS GMELIN D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IO. TOBIAM MAYER D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS MARTIAS CIↃIↃCCCII.

*Cenſura ingenii et morum D. Magni Auſonii cum memorabilibus ex eius ſcriptis.*

Rara eſt in Annalibus memoratio eorum, qui in petendis honoribus alter alteri ſponte ceſſerint; nuntianda erant auſpicia, conſulendi Pontifices, adeundi libri Sibyllini, edocendum vitio eſſe creatos, vt creati iam conſules magiſtratum deponerent; et erant forte quae excuſare poſſent reluctantes candidatorum voluntates; tanto tamen maior laus habenda eorum, qui reipublicae vtilitatibus ſuam dignitatem, domus ſplendorem, gentis ſuae imaginem ac titulum, poſtponerent.

 Licebit

Licebit itaque nobis, cum honorifica memoratione commendare exemplum praeclarae moderationis et aequitatis inter Collegas noſtros. Cum enim faſces academicos ſuſcipiendi munus ad Ordinem Philoſophorum rediiſſet, conſtaretque de lege codicis noſtri academici, magiſtratum academicum mandari non poſſe niſi ei, qui iam Decani locum tenuiſſet: *Mayeri* noſtri, Collegae aeſtumatiſſimi, rationem non haberi ex lege poſſe viſum erat; mox tamen, deſignato iam alio Collega, ii, quorum curae et ſtudio legum et iurium notitia et cuſtodia mandata eſt, nuntiarunt, extare Reſcriptum regium anni XLVII. ſuperioris ſaeculi, quo declaratum ſit, lege modo memorata ſolutum eſſe eum, qui iam antea alia in academia munere Prorectoris ſeu Rectoris functus fuerit. Qua de re certior factus Senatus Academiae extemplo deſignauit Prorectorem ſuum Te, Vir illuſtris, Collega coniunctiſſime,

IOANNES TOBIAS MAYER,

Teque expertus facilem et beneuolum non minus in recipiendo, quam antea aequum et verecundum in cedendo magiſtratu, exiſtimationem et iudicium ſuum de animi Tui candore, morum ſimplicitate, vitae integritate et innocentia, fide ac religione in tuendo officio, inſigniter confirmatum vidit; eoque ipſo praeiuit vobis, Ciues, praeiudicio tanquam ſuo, vt virum raris his virtutibus commendatum vos et ipſi omni debita reverentia Prorectorem futuri ſemeſtris ſalutetis, fidem et obſequium ei praeſtetis, eiusque in vos fidei, amori et beneuolentiae, ita confidatis, vt in eius

tanquam

tanquam parentis indulgentia et aequitate, veſtrarumque vtilitatum et commodorum ſtudio ardentiſſimo, portum et refugium tutiſſimum, in legum ſanctitate et cuſtodia praeſidium firmiſſimum poſitum eſſe, perſuaſum vobis habeatis. Ita ſane ſi animati et affecti fueritis, operam dabimus ſedulo vtrinque, vt futuri ſemeſtris tranquillitate, ſtatu publico quieto et imperturbato, ſtudiorum priuatorum aſſiduitate, morum ſanctitate et recti ac decori ſeruandi ſtudio, deleantur omnia veſtigia, cumque iis memoria extinguatur omnis, et ipſa recordatio eorum tollatur, quae ſemeſtri nunc exeunte priſtinam laudem, cum Collegarum inter ſe neceſſitudinis, tum Commilitonum ſtudii ſummi in obſeruandis bonae diſciplinae legibus, iuſti ac decori praeſcriptis, obſcurare viſa ſunt. Excuſabunt iudices aequi fragilitatem naturae humanae rerumque humanarum multiplices caſus, quibus interdum fit, vt nolentes nec animaduertentes a tramite recto deuertamus; eluitur labes et error ignoſcitur, facilitate ac promta voluntate, qua ad officium reditum eſt.

Et haec quidem erant illa, ad quae et officium noſtrum, lex ac mos, et dies craſtinus ineundo magiſtratui deſtinatus, nos vocabant faciendo publico praeconio. Nunc his miſſis ad alterum accedimus, quod patrum inſtituto peragendum eſt, vt ſubiiciatur praeconio, tanquam auſpicii cauſſa, exſpatiatio in diſciplinarum et eruditionis campum, cum in ciuitate litteraria par et aequum ſit, vt nihil non fiat, quod non cum aliquo litterarum ſeu commodo ſeu reſpectu ad

eas, ſeu contactu ac vinculo aliquo, copulatum ſit. Virorum ſerioris aetatis, ſaeculi quarti et quinti, inde a C. N, illuſtrium aliquot vitas et ſcripta, vulgo nunc fere neglecta, excutere conſtitueramus, non vt inde ſpecioſae alicuius eruditionis laudem ferremus, ſed vt ea, quae ad ſaeculi mores et inſtituta, hominumque virtutes ac vitia, declaranda facerent, tanquam cognitu vtilia et, ad vitam ſaeculique indolem cognoſcendam, memorabilia enotaremus. Vtilia quaerimus; notitias rerum obſcurarum, multoque magis ſubtilitates criticas aliis ſeu temporibus ſeu ſtudiis ſeponimus.

Symmachi, de quo ſuperiore ſemeſtri proluſum eſt, aequalis et familiaris fuit *Auſonius*, de quo etſi pauciora, pro conſilii noſtri ratione, dicenda ſunt, non tamen eius memoratio praeteriri poteſt. *Decimus Magnus Auſonius*, Burdigalenſis, cuius ſcripta fortuna ad noſtras aetates pertulit, ea, qua viuebat, aetate inter viros clariſſimos habitus, nomine primum Grammatici, tum Rhetoris inclaruerat, a Valentiniano ſeniore ad docendos filios, Gratianum et Valentinianum, euocatus, ſtudio in ſe principum, quaeſturam primo, tum praefecturam praetorii Italiae, mox Galliarum, tandem a. N. C. 379. Conſulatum conſequutus, poſt imperatorum mortem miſſione a Theodoſio impetrata in patria conſenuit. Cum ille inter doctiſſimos ſuae aetatis viros numeratus ſit: ex eius ſcriptis intelligi poteſt, quale de doctrina litterarum iudicium iſtorum hominum fuerit. Ad grammaticam, rhetoricam et poeticam omne hoc nomen erat reuocatum; et inſtitutio pueritiae et iuuen-

iuuentutis omnino occupata in grammaticae et rhetorices ſtudiis; alia omnia extra hunc diſciplinarum orbem habita; nulla cathedra hiſtoriarum, philoſophiae, mathematum, aut alius diſciplinae: iudicio non meliore, quam ſi litterarum bonarum ſtudia ad vnam matheſin aut cognatas diſciplinas reuocarentur; nam ad excolenda mortalium ingenia ſcientiae ſeueriores per ſe non ſufficiunt, niſi et litterarum et diſciplinarum ſtudia coniuncta fuerint. Ita enim ad humanitatem, recti, boni, pulchrique ſenſum vitaeque honeſtatem et dignitatem, bonis litteris effingimur, ſi ad ſcientiarum vtilitates hiſtorica, philosophica artiumque ſtudia acceſſerint, cum bona vitae diſciplina et inſtitutione. Gallia litterarum ſtudiis florere tum eſt dicta, maxime Burdigala; laudes Profeſſorum ea aetate clarorum Auſonius verſibus condidit; ſunt ii ſeu rhetores ſeu grammatici, hi quidem inferiore loco habiti, nec, comparatione noſtrarum litterarum facta, niſi in grammatiſtarum numero habendi, qui litterarum elementa pueros docerent *a*). Adeo

 iam

*a*) In Protreptico ad nepotem (Idyll. IV.) res diserte exponitur. Apud grammaticum, *In flexu, ait, et acumine vocis innumeros numeros doctis accentibus effer, affectusque impone legens, distinctio sensum auget et ignauis dant interualla vigorem.* Quae autem tum fuerit disciplina scholastica, discat aliquis ex verss. Protreptici eiusdem de studio puerili ad nepotem: *Tu quoque ne metuas, quamuis schola verbere multo increpet, et truculenta senex gerat ora magister. Degeneres animos timor arguit. At tibi consta intrepidus, nec te clamor plagaeque sonantes nec matutinis agitet formido sub horis, quod sceptrum vibrat ferulae, quod multa*

iam tum deflorverant Gallorum litterarum ſtudia, vt in virorum doctorum recenſu non eſſent qui memorari poſſent, quam ludorum magiſtri in litterarum elementis occupati. Fuere in his quoque grammatici Graeci, quorum nomina ignota memorat Carm. VIII. XIII. XXI. Pauci omnino inter hos Profeſſores ſunt, quorum memoratio valde ſit honorifica; nonnulli propter mores notati potius quam laudati. Conſtitutae erant annonae publice ſeu ſtipendia profeſſoribus in frequentiſſimis ciuitatibus, ſeu in metropolibus Galliarum, antea lubitu et arbitrio ciuitatum, nunc Gratiani iuſſu e fiſco, certo fixo ac ſtato modo, Conſtitutione anni 376 Cod. Theod. XIII. tit 3. l. 11. Memorantur non niſi *rhetores* et *grammatici*, et hi quidem *Atticae* h. e. Graecae, *Romanaeque doctrinae*; "*iſtis XXIV annonarum e fiſco emolumenta donentur*; *his XII annonarum deductior paullo numerus ex more* (h. e. quo grammaticorum ordo, ideoque et commoda, haberi ſolebat) *praeſtetur.*" v. Gothofr. ad e. l. Simili modo ſalaria profeſſorum Romae conſtituta ap. Symmach. Epp. I, 73. V, 35. Treuiris, vtpote clariſſima tum Galliae ciuitate, Rhetori XXX. Grammaticis XII. annonae praebebantur. Annonam conſtat fuiſſe diarium vnius hominis victum, ad certam rationem conſtitutum; quae tamen etiam pecunia ſeu pretio redimi potuiſſe videtur; itaque bis, ter, duodecies, et ſic porro decerni potuit. v. Lamprid. in Alex. Sev.

*multa ſupellex virgea, quod fallax scuticam praetexit aluta, quod ferueut trepido subsellia vestra tumultu.*

Sev. 44. Trebell. Claud. 14. Vopiſc. Aurelian. 12. Memoratur ab Auſonio aliquo in loco (Carm. XXII), vbi de cathedra Grammatices agitur, Victorius *Subdoctor ſeu Proſcholus*, h. e. Prorector ſcholae: qui in antiquitatis obſcurae ſtudio aetatem continuerat: habentur in eius ſtudiis "Ius pontificum, foedera, Curium origines, Caſtor, Rhodope *b*), Plebiſcita et Senatusconſulta, leges Draconis, Solonis, Zaleuci." Studium itaque ſuum ille grammaticus in quaeſtionibus grammaticis et criticis poſuerat; nam plebiſcita et ſenatusconſulta exquirere et leges interpretari non niſi cum magna eius laude memorari poſſet; Caſtor tamen, Rhodope et Cures ſatis declarant, res antiquas obſcuras notari, ad quas ſtudium eius deflexerat; de vtilitate autem ad hiſtorias, antiquitates, iura, inſtituta, vix ille cogitabat: quod pro explorato fere habere licet, quandoquidem ſaeculi

 iſtius

*b*) Castor videri potest esse is, cuius liber χρονικῶν ἀγνοημάτων multas vtilitates chronologiae emendandae habuit: *epochae imperiorum maritimorum antiquissimarum aetatum* illustratae sunt in nouis Commentariis Soc. R. Sc. Gott. Vol. I. *Rhodope* esse potest mulier Pythagoricam philosophiam professa, ad quam Theanus Epistola fictitia superest, a Luca Holstenio ad Porphyr. Vit. Pythag.; nisi cum epistola et ipsa Rhodope fictitium nomen est. Mirum tamen est, nomen hoc Ausonio aut eius aetati notum fuisse. Nihil enim alibi de ea proditum nec ap. Holstenium aut Wolfium fragm. mulier. ill. aut Fabricium. Itaque proclinior sum in eam partem, vt credam Dioscuros et Orpheum Thracem declarari a grammatico iactare eruditionem suam ita solito: nam et *Curium origines* ad Numam refero.

iſtius litterae a melioribus, quae modo commemorauimus, ad exilia et parum publice priuatimque vtilia et ſalubria ſtudia migrauerant. Fuere quidem inter rhetores nonnulli vltra vulgares litteras ſapere dicti, ita (Nr. XX.) Staphylius "*hiſtoriam callens Liuii et Herodoti; omnis doctrinae ratio cui cognita, quantum condit ſexcentis Varro voluminibus.*" Licebitne ex his colligere, Varronis opera iſta adhuc aetate ſuperfuiſſe? aut ex alio loco (Idyll. IV, 46.), vbi in ſchola grammatici puer docetur: *Conditor Iliados et amabilis orſa Menandri euoluenda tibi* — cum Homero Menandrum in ſcholis praelectum eſſe? Et eſt inter grammaticos vnus et alter: cui *ſchola et auditor multus, praetextaque pubes, grammatici nomen diuitiasque dedit c*).

Videtis, Commilitones, quae iſta aetate litterarum ſtudia fuerint, quam exilia, tenuia, et anguſta *d*). Ex his tamen ſcholis prodibant vrbium imperiique rectores, ſenatores, magiſtratus *e*), et quic-

c) Dices multum hic referre, quomodo interpungere placeat, si: *grammatici nomen, diuitiasque dedit;* bene res se habet. Sin: *grammatici nomen diuitiasque* iunxeris, non magna vtique fortunarum aestumatio hinc fieri poterit, eruntque, si de grammatico praedicantur, *grammatici diuitiae* ac fortunae non magis lautae, quam si viri, de schola quamuis meritissimi, *hereditatem opimam* memores, quae ad aliquem peruenisse narretur. Verius tamen prius.

*d*) Hoc vnum constat, eos, qui Ius Romanum discere vellent, Romam profectos esse; docent hoc ex Rutil. Itin. I, 209. 210.

e) Professor. I. Burdegalae cathedra: *mille foro dedit haec iuuenes: bis mille Senatus adiecit numero purpureisque togis* (h. e. praetextis).

quicquid hominum erat officiis negotiisque vitae publicae deſtinatorum! Fingebatur ſcilicet ingenium legendis in ſchola praeclaris auctoribus Romanis Graecisque, quae res non tantam tum doctrinae copiam poſcebat ac nunc, quandoquidem illi patrio ſermone ſcriptos libros praelegebant, eoque verſus ac ſententiae mentibus tanto altius infigebantur. Ex Cicerone, ex Liuii, Salluſtii Tacitique lectione, quis neget ad vitae publicae priuataeque negotia viros idoneos prodire potuiſſe? Quid? quod ipſi principes non in alia diſciplina enutriebantur. Nam ex his Profeſſoribus grammatices et rhetorices vnus erudiendis Gratiano et Valentiniano delectus fuit noſter Auſonius. Nec eius diſciplinae laus ſua et honos defuit; nam vterque, et Gratianus et Valentinianus, inter optimos principes locum ſuum occuparunt, ſummumque ſui deſiderium reliquerunt, cum ille anno aetatis vigeſimo quarto, hic vigeſimo primo fraude et inſidiis ſuorum e medio ſublati eſſent. Nec modo ex panegyrico Auſonii Gratiano dicto hoc conſtat, in quo copioſa eſt laudum enumeratio, nec ex Ambroſii ſimiliumque praedicatione pietatis Imperatorum et obſequioſae voluntatis, verum, quod grauius teſtimonium eſt, Ammiani loco, quo eum a Valentiniano patre renuntiatum Auguſtum memorat: (lib. XXVII, 6.) praedicatur Gratiani *vultus et reliqui corporis iucundiſſimus nitor et egregia pectoris indoles, quae Imperatorem impleſſet* (h. e. Imperatoris perfecti virtutes, partes, exemplum, exhibuiſſet) *cum veterum lectiſſimis comparandum, ſi per fata proximosque licuiſſet.* —

Nec

Nec vero inter minima virtutum argumenta Gratiani eſt ea ipſa grati animi teſtificatio erga iuuentutis ſuae rectorem, quod, ſtatim ex quo poſt patris mortem imperium ſolus tenuit, Auſonium, tum Treviris agentem *f*), Conſulem, et primo loco, deſignauit a. C. 379. Pro hoc beneficio orationem ille ad eum miſit, quae Gratiarum actio pro Conſulatu eſt inſcripta, prorſus ad exemplum Panegyrici Plinii ad Traianum elaborata; e qua tamen eluceſcit, quantum inter tempora et ingenia diſcrimen eſſet. Etſi enim vtraque rhetoricam potius ſapit quam eloquentiam veram: in hac tamen Auſonii multo magis rhetoricum ſtudium, ſeruili fere imitandi anxietate, eminet. Pro magnis ſenſibus animique affectibus vibrantur acutae ſententiolae, per antitheſes et paradoxa, et ad miraculum facta, per ſe probabilia, amplificantur *g*). Facit in Plinio ſatietatem nimis effuſa laus,

*f*) Inibatur tunc consulatus etiam in prouincia: Imperator consulem renuntiabat in palatio; in auditorio tamen sacro, concione conuocata, vt vmbra aliqua esset comitiorum consularium. *Te*, scribit Gratianus ad Ausonium, *consulem designaui, et declaraui et nuncupaui.* Miserat ei quoque *vestem palmatam*, h. trabeam, qui tunc vestitus consularis fuit, et quidem eam, *in qua D. Constantius parens intextus* erat.

*g*) Nec vero nihil profecit discipulus in tali disciplina, Gratianus. In Rescripto enim, quo nouum honorem in magistrum conferebat, vsus erat his verbis: *soluo tibi quod debebam, et adhuc debeo quod solui.* Extollit hoc, vt par erat, Ausonius multa praedicatione, et ex similibus argute dictis amplificatione: in his est, quod ei, qui quaereret, quibus

laus, etſi in magnis ac grauibus rebus, et virtutibus optimi Principis; in Auſonio ea, rerum pondere deſtituta, mouet faſtidium. Non fortunarum magis eſt damnoſa profuſio quam laudum; nec magno vitae vſu opus eſt ad obſeruandum, eam et audientibus eſſe moleſtam et ei, qui laudatur, verti in fraudem et malum. Hoc eſt malum illud, regni aſſidua comes, quod ciues legibus legumque cuſtodi parentes ab obſequio ſenſim prolabuntur ad ſeruilem adulationem, qua ipſe princeps corrumpitur. Bene tamen nobiscum agitur, quod eiusmodi adulationes paullo poſt in meras formulas cancellariae abeunt, quibus tantum quisque ſenſus tribuit quantum ipſe habet.

Gratus in praeceptorem animus Imperatori non minus honori ceſſit quam Auſonium illuſtravit; etſi enim tantum non merus titulus ea aetate eſſet Conſulatus, ſumma tamen et, ſi meritis ille debitus

quibus meritis hunc honorem consecutus sit, respondet: *Rationem felicitatis nemo reddit.* Hoc est globulos mellitos spargere. Reuocant haec in animum aliud dictum, istis admodum dissimile, et alti sensus, ab Ausonio memoratum, nec alibi, quod meminimus, lectum: *Alexandri M. Macedonis hoc fertur, quum legisset illos Homericos versus* (Iliad. VII. 179. 180.) *quibus, Hectore prouocante, e nouem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, vnum eligi placeret, sortis euentu, vbi Iouem totus precatur exercitus, vt Aiacem vel Tydei filium, aut ipsum regem Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem:* Occiderem, *inquit*, illum, qui me tertium nominasset! Videtis vel hoc exemplo, quantum discrimen sit inter acute dictum ingenii arguta captantis, et animi magna aut cogitantis aut sentientis.

debitus fuerat, praecipua erat dignitate. Mirari licet, quod tam rara ſit memoratio eorum, qui pueritiam et iuuentutem formarunt principum, ſiue antiquas ſiue recentes hiſtorias perluſtraueris. Quot enim ſunt reges et imperatores, quorum iuuentutis magiſtros ſaltem nomine nouimus? multo pauciores ſunt, qui aut ipſi ingenii dotibus eximiis, litterarum laude aliqua memorabili, virtutibus inſignibus conſpicui, aut a ſuis nutritiis ſingulari aliquo in ſtudio habiti fuerunt. Fortunatus Auſonius, qui Conſulatū ſe a nutritio ornatum vidit, nec non aliis honoribus. At Lactantius, quod in Euſebiano Chronico memoratur, idem rhetor, qui Criſpum, Conſtantini M. filium, Latinis litteris erudiuit, "*adeo pauper in hac vita fuit, vt plerumque etiam neceſſariis indiguerit*" Liberalior in Senecam Nero: a quo tamen diuitias, quas in eum cumulauerat cum vitae auctario repetiit diſcipulus. Amplectenda eſt fortuna Frontonis, qui Marci et Veri praeceptor fuit, cui Marcus Antoninus Imp. tantum detulit, vt ei ſtatuam in Senatu petierit; omni tamen ſtatuae honore iucundius Frontoni eſſe debuit elogium, quod in egregiis ſuis Commentariis Imperator propoſuit (in princ.); verum omnino ille gratus et pius fuit erga omnes ſuos magiſtros. quorum recenſum (eod. loco) facit, vna cum eorum, quae vniuscuiusque diſciplinae accepta debeat, memoratione (cf. Iul. Capitol. c. 2. 3). Quantopere diſſimilis fuit eius filius; habuit et ille magiſtros (ap. Lamprid. pr.) "*ſed tot diſciplinarum magiſtri ei nihil profuerunt; tantum valet aut ingenii vis, aut eorum qui*

*qui in aula inſtitutores habentur!*" Multa ſunt quae de his diſputari poſſent, ſi modo cum fructu ad vitam ipſam!

Praeter adhuc dicta Auſonius nomen habet ex carminibus, quae ad nos peruenerunt: quae quidem viro a grauioribus curis animum remittenti et his luſibus otium fallenti haud indecora eſſe concedimus, multo magis ex iudicio et conditione iſtorum temporum; nam quisquis ex vulgari diſciplina ſtudium legendorum antiquorum ſcriptorum contraxerat, ad poeticen animum appuliſſe videtur. Poetices tamen veram notionem non habebant; poeticum tantum ſermonem ad quoduis adhibebant, etiam quod cum maxime in pedeſtri oratione reddendum erat. Quis putet ſenſum poeſeos habuiſſe eum, qui Suetonii libros de regibus in epitomen redegerat carmine? Atqui hoc fecerat Póntius Paullinus, cuius opus ſummis laudibus proſequitur Auſonius Epiſt. XIX. Ita quoque Auſonii carmina a poetica vi, ingenii aliqua felicitate, ſententiarum nouitate, multum abſunt. Verſificatoris nomen ei conceſſeris, non poetae. Sunt omnino parua poematia, effuſa verius, quam elaborata, ſub variis nominibus, de quibus quidem ſigillatim agere, aut ad ſeuerum iudicium ea reuocare velle, alienum eſt a conſilio huius ſcriptionis. Mirari tamen liceat, vanitati tantum indulſiſſe virum meritis et annis grauiſſimum, vt nonnulla, quae delere, ſaltem intra arcae clauſtra ſeruare debuerat, in vulganda opera referret, inque his Centonem, in Valentiniani ſenioris, Imp. gratiam compoſitum. Verum facilius eſſe aiunt repe-

reperire mulierem taciturnam, quam poetam ſuos verſus ſilentio prementem; nec facile vnquam fuit poeta, in cuius demortui pulpito carmina reperta ſint inedita, incrudeſcitque illud incontinentiae, ſeu pruriginis, malum multo magis in malis poetis Fertur Choerilus poeta, qui Alexandri expeditioni interfuit, hoc ſibi ſumſiſſe, vt res ab eo geſtas carmine ad poſteritatem proderet; et narratur rex cum eo pepigiſſe, vt pro quouis bono verſu aureum, pro malo colaphum acciperet; hominem, quamuis malis contuſis tumentem, non tamen a verſibus faciendis deſtitiſſe. Noſtra aetate res inuerſo ſe more habere dicitur: numerantur pro malis verſibus aurei a redemtoribus; altera pactionis Choerileae pars plerumque omittitur, nec eam magnopere eſſe aiunt neceſſariam, quandoquidem bonorum verſuum in noſtris carminibus raro tanta ſit copia, vt de iis ſeorſum ſtipulari neceſſe ſit. Verum de his pro ſuo quisque ingenio ac lubitu ſtatuet; nos de Auſonii verſibus agimus. Mirati ſumus, multa ex his eſſe e Graecis verſa *h*), cum tamen Auſonius ipſe profiteatur, ſe puerum male refugiſſe a Graecis addiſcendis. (Profeſſ. Burdigal. VIII. *obſtitit noſtrae quia, credo, mentis tardior ſenſus, neque diſciplinis appulit Graecis puerilis aeui noxius error!*) lamenta a multis, credo, poſt Auſonium iterata! ſaltem iteranda! ille tamen, quod multi non faciunt, ſerioribus annis graeca addidicit, ὀψιμαθής. quod colligas ex

*h*) Sunt in his Epitaphia heroum, qui bello Troiano interfuerunt, ex Aristotelis Peplo: quem tamen Philosophi fuisse nondum persuasere viri docti.

ex Epiſtolis XII. XIII. Omnino in his, et in aliis nonnullis ex prouecta aetate, oratio magis poetica, recta et ornata, obſeruari poteſt. Ex Epiſt. XVI. compertum eſt, *Nepotis Cornelii Chronica* iſta aetate adhuc ſuperfuiſſe, librum multae laudis inter veteres, et *Titiani Apologos:* vtrumque enim librum a librariis, antiquarios appellat, deſcriptum ad Probum praef. praet. mittit. Titianus fabulas Aeſopias, Iambicis trimetris a Graeco aliquo redditas, latine verterat oratione pedeſtri, vt patet ex carmine huic Epiſtolae adiecto v. 73 ſqq. *i*).

Ab aſtrologiae ſtudio, cuius ſuperſtitionibus illa aetas contacta erat, eum non alienum fuiſſe, docet Eclogarium. Chriſtianum fuiſſe dubitare vix licet; etſi multa occurrunt, quae antiquam redolent, non meliorem ſapientiam. Verum in his eum poetica libertate vti et ſenſus poeticos reddere dices. Miraberis forte, in iſta temporum Orthodoxiae ſeueritate, propter *ethnica* illa effata et alia *haereticis propiora* non adductum eum eſſe in malignas calumniationes et accuſationes; at enim duo ſunt, quae in ſcriptoribus iſtarum aetatum obſeruare licet: primo eos, qui a patriis religionibus ad Chriſtiana ſacra transierant, plerumque ſummis tantum labiis doctrinas recens receptas delibaſſe; ſecundo, non valde quaeſitum eſſe de notitiis, quas quisque ſibi paraſſet, placitorum Chriſtiano-

*i*) De hoc homine eiusque Apologis v. Wernsdorf Poet. Lat. min. Tom. V. p. 664 sq. Maximini Caesaris magister fuit in rhetorica.

ſtianorum, dummodo in nullam quaeſtionem impingeret, quae illa aetate proſcripta erat tanquam haereſis; fere vt noſtra aetate fuere tempora, in quibus deſipere licebat, quantum cuique liberet, dummodo non de certis placitis ac decretis aliter ſe ſentire teſtatum faceret; altera tamen ex parte id ipſum vanitatem hominum ſtimulabat, vt in his, quae pro grauiſſimis habebantur, ipſi prae aliis rectius ſapere videri vellent.

Nunc Auſonio, eiusque ſeu laude ſeu cenſura, miſſa facta, ad officium redimus, quod indicere iubet ſollennia noui magiſtratus capeſſendi in diem craſtinum, ſimulque ſignificare, propter anni inclementiam decretum eſſe, vt concio habeatur in auditorio aeſtiuo intra aedes, quae conciliis profeſſorum habendis dictae ſunt. Vos, Commilitones, frequentes adeſte et noui obſequii in nouum Prorectorem auſpicia fauſta edite, fauentes oratoribus, vota publice pro ſalute academiae veſtraque felicitate facientibus.

P. P. pridie Kal. Mart. cIↃIↃcccII.

---

# III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IOANNES TOBIAS MAYER D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
LXV.
IN KALENDAS SEPT. CIƆIƆCCCII.
CELEBRANDA
INDICIT
SIMVLQVE
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
CAROL. FRIDER. STAEVDLIN D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT.

*Cenſura ingenii et hiſtoriarum Ammiani Marcellini, nonnullaque ex iis memorabilia.*

Ammianus Marcellinus, ſi non arte, fide tamen et auctoritate grauiſſimus ſcriptor eorum temporum, quae cognitu vtiliſſima videri poſſunt ſcire cupientibus, quae, poſt ſacra chriſtiana ab ipſis principibus publice ſuſcepta, rerum mutatio, quaeque melioris doctrinae vis ad hominum vitam,



mores,

mores, et imperii adminiſtrationem fuerit. Quis enim non expectet, in vita, cum priuata tum publica, poſt abolitas ſuperſtitiones et receptas doctrinas, quae in vita ſancte pieque agenda rerum ſummam ponant, magnam quoque in melius mutationem eſſe factam. Enimuero hiſtoriarum monimentis ingenuo ſtudio excuſſis mala et vitia priſtina malis et vitiis nouis aucta non meliorem, ſed deteriorem vitae publicae priuataeque conditionem intuliſſe, ipſis rerum euentis docti non ſine dolore et indignatione diſcimus. Iniquum tamen eſſet, omnia ea ad nouas religiones earumque miniſtros referre, qui a praeceptis ſaluberrimis mortalium ſtudia ad doctrinarum ſpinas ac ſentes opinionumque ludibria auocare malebant; dominationis enim male conſtitutae ea erant mala, principum ignauiae et imperitiae, faſtusque peſſimo exemplo ex oriente illati, eunuchis et ſpadonibus in aulas receptis, aſſentatorum artibus principem tanquam reti circumdatum vndique vrgentibus, et ab omnium bonorum et prudentum virorum alloquio prohibentibus; munerum ciuilium et militarium partibus male confuſis, ex aulicorum iudicio et optione, prout auaritia et dominandi cupiditas ſuadebat, mandatis, et ex eorum voluntate adminiſtratis. Certe, inquis, ad homines aulicos et adminiſtrationi imperii admotos Chriſtiana doctrina aut non peruenit aut intimis ſenſibus haud inhaeſit! Inter haec omni luxus et libidinis genere ab aulicis et potentibus in vulgus manante, ſenſus et mores hominum ad bona vera et recta ſtudia occalluerant;

ingeniis

ingeniis partim ad leuia et friuola abiectis, partim per calamitates publicas efferatis, et ad liberalium litterarum ſtudia obtuſis. Ita euenit, vt ii quoque, qui diuiniore ingenio et generoſiore indole inſtructi bonis litteris operam dediſſent, ex ſaeculi faecibus non minus in iudiciis et opinionibus, quam in moribus, multa contraherent, quibus ingenia, quamuis praeclara, foedarentur; nihil enim eſt, quod difficilius animis euellitur, quam errores ex puerili inſtitutione et publico communique ſaeculi exemplo ſuſcepti; alioqui enim, res niſi ipſa probaret, quomodo putabimus fieri potuiſſe, vt ii quoque, qui optimis litteris imbuti erant, auguriis ominibus portentisque fidem haberent aut magicarum artium efficaciam aliquam eſſe ſibi perſuaderent? Huic perniciofae perſuaſioni, tantum abeſt vt funditus tollendae profuerit, vt potius ei firmandae et per ratiuncularum commenta fundandae inſeruierit, philoſophia ſubtilior et ſanctior Chriſtianorum doctrina.

Vtinam ſeruati eſſent integri Ammiani Marcellini libri XXXI. rerum geſtarum inde a principatu Neruae *a*) vsque ad exceſſum Valentis, per decurſum annorum 282. ab a. C. 96. vsque ad a. 378. Quae eorum reſtat pars a libro XIV. ad extr. XXXI. complectitur Conſtantii acta inde ab

C 3 anno

*a*) Quid eum adduxerit, vt ab hoc tempore initium scribendi faceret, non constat; potest videri Suetonii vitas continuare voluisse; cuius tamen in his, quae supersunt, nulla fit memoratio, vt nec Taciti; neque vllum aut lecti aut imitatione expressi vestigium occurrit; memorat Sallustium; Ciceronem et Maronem laudat saepius.

anno imperii XVII. Galli, Iuliani, Ioviani, Valentiniani, Valentis; qui ſunt anni fere XXV. ab a. C. 353. ad a. 378. quo Valens Gothos bello adortus in fuga periit; vnde apparet, fortuna aliqua propitia partem operis potiorem eſſe ſervatam; nam in libris XIII. prioribus, qui interiere, non niſi ſtrictim expoſitae eſſe potuere res ſuperiorum temporum ex aliorum memoratione; in iis autem, quae ſeruata ſunt, hiſtorici Ammianus vere et proprie nomen ac perſonam ſuſtinet partesque explet, narratis iis quae ipſe vidit aut ab iis qui interfuerant comperit. Militauit *b*) in cohorte Vrſicini, Magiſtri militum, ſummi eorum temporum viri, cum eodem ad opprimendum Silvanum in Gallias profectus, (Lib. XV, 5. p. 49. p. 30. ed. Lipſ.) et in Meſopotamiam aduerſus Perſas (XVIII, 6. p. 143 et al.), mox Iuliani quoque in Perſas expeditioni interfuit (XXIV. pr.). Ad acta publica prouocat, lib. XVI. extr. Narrat autem eo cum candore, vt facile agnoſcas virum probum et prudentem, rerum vſu verſatum nec litterarum expertem *c*); nec narrat niſi ea, quorum

*b*) Eum inter Protectores domesticos adscriptum fuisse, aiunt. De his ac reliquis quae de Ammiani vita disputantur v. in Chiffletii libello de Ammiani Marcellini vita.

*c*) Memoratu digna sunt, quae ipse de se professus est in fine libri XXXI. qui et operis finis est: *Haec vt miles quondam et Graecus, a principatu Caesaris Neruae exorsus, ad vsque Valentis interitum pro virium explicaui mensura; opus, veritatem professum, nunquam, vt arbitror, sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua*

quorum notitiam iuſtam habuerat, non autem omnia eorum temporum acta; vt, ſi vere rem aeſtimare velis, in multis commentarios potius quam hiſtoriam ſcripſiſſe dicendus ſit; ita de ſe nonnulla interponit, inprimis in rebus Perſicis, et Amida oppugnata et capta, quae in magno hiſtoriae corpore locum vix haberent. Si quid eſt, quod magnopere deſiderandum eſſe putemus, eſt, quod non meliore ſaeculo vixit et ſcripſit Ammianus, quo liberalior inſtitutio, exemplorum, quae ſequeretur, prudentior dilectus, oratio purior et ſtili maior ſimplicitas, cum dignitatis hiſtoriae ſubtiliore iudicio, ſuppetiiſſet. At iſta aetate bona latinitas a natiua ſimplicitate et elegantia deſciuerat in orationem turgidam et faſtu inflatam, mixta poeticorum troporum audacia, lyricaque inſolentia cum pedeſtri ſermone; nec rerum narrandarum ſeuerius iudicium et dilectus ſuppetebat, aut in iis, quae vulgaris ſuperſtitio iactabat, ſubtilior indagatio. Bonorum ſcriptorum exemplo paſſim digreſſionibus vtitur, ſed ambitioſe quaeſitis, partim alienis, ex interpretatione eorum, quae in naturae



*reliqua potiores, aetate doctrinaque florentes; quos id, si libuerit, aggressuros, procudere linguas ad maiores moneo stilos:* Scilicet elegantiam et dignitatem orationis quaerebant tum in stili tumore. Iam senem se haec scripsisse aperte declarat, et docet idem memoratio seriorum euentuum passim iniecta. Intra Iuliani Imp. res et tempora continere se ab initio voluisse significat, lib. XXVI. pr. ne notiora apponeret; partim quoque ne periculosum esset vera scribere, partim, si propositum teneret et potiora tantum apponeret, ne videretur multa praeteriisse.

euentis inſolitis occurrunt, parum opportune, plerumque infeliciter, arceſſitis. Sanum tamen iudicium et felix ingenii ſagacitas, quoties nec docta rerum ſcientia deſtituitur, nec falſa ſaeculi perſuaſione corrumpitur. Itaque in rerum geſtarum conſiliis, modis, cauſſis, nec acumen nec prudentiam deſideres; in moribus, (nos characteres appellamus) deſignandis eximius paſſim artifex; vt Conſtantii (lib XXI, 16.) Iuliani (XXII, 14. et XXV, 4.); nonnulla interdum vrbane et ſalſe perſtringens; vt Conſtantium *imperatoriae auctoritatis cothurnum vbique cuſtodientem*, et oris maieſtatem ſtatu corporis immobili affectantem; cum itaque ille curru Romam inueheretur: — *talem ſe tamque immobilem, qualis in prouinciis ſuis viſebatur, oſtendens; nam et corpus perhumile curuabat, portas ingrediens celſas, et velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum nec laeua flectebat; tanquam ſigmentum hominis; non, cum rota concuteret, nutans, nec ſpuens, aut os aut naſum tergens vel fricans, manumue agitans, viſus eſt vnquam;* (lib. XVI, 10. p. 81.) aut vt magiſtrum armorum Lupicinum exhibet, *ſupercilia erigentem vt cornua, et de tragico, quod aiunt, cothurno ſtrepentem:* (lib. XX, 2. p. 180.) Nec illepidum eſt, quod de Conſtantio dicit: *doctrinarum diligens affectator; ſed cum a rhetorica per ingenium deſereretur obtuſum, ad verſificandum transgreſſus, nihil operae pretium fecit.* Dignus omnino ſcriptor, cui meliore apparatu inſtructa recenſio obtingat; ſed obſtitit ſuperiorum aetatum ſtudium ex critica magis et verbis gloriam quaerens, quam ex rebus illuſtrandis. Multa ille habet non

aliunde

aliunde nota, alia praeclara et cognitu vtilia, aut cum aliis vtiliter comparanda, inprimis, quae ad aetatum dominationis luxu corruptarum morem et vſum cognoſcendum ſunt opportuna. Ea quae ad hiſtoriam temporum ſpectant, expoſuere cum alii enarratores hiſtoriarum, tum Tillemont, Lebeau, et Gibbon, cuius narratio grauitatis, qua celebratur, multum ex Ammiano mutuata eſt, minus conſpicua in ſequentibus. Alia ad Codicem Theodoſianum ſunt illuſtrata a doctis commentatoribus. Nos pro conſilii noſtri ratione enotabimus pauca, quae temporum hominumque ingenia et mores declarare poſſint; adiiciemus alia quae ſingulari aliqua de cauſſa notabilia eſſe viſa ſunt.

Omnino ſi quis corruptelas omnis generis, quae aulas et palatia potentum obſident, cognoſcere voluerit, ſi artes adulantium, tortuoſos in gratiam principis irrepentium meatus et cuniculos, imminentium in mutua exitia aulicorum ſtudia, blanditiarum vafra commenta, quibus princeps a palatina cohorte circumueniri ſolet, ſi quis, adſpectu vani faſtus, tetrarum curarum, et anxietatis inuidentium metuentiumque, contemtum et miſerationem animo vult concipere cum indignatione ex cogitatione infinitarum calamitatum, quae ex his paucorum prauis ſtudiis in omnem publicam rem promanant, ita vt tributis et vectigalibus exhauſta regna et prouinciae opibus viriſque ſpoliatae in ſolitudines vertantur: ſi quis, inquam, haec voluerit tanquam in tabula propoſita cognoſcere, is adeat Ammiani libros, quibus Conſtantii principis res expoſitae ſunt. Nutu ſuo omnem

ſe terrarum orbem quaſſare putans, et ſubinde ſe lege ſolutum dominum, ex arbitrio ſuo ius conſtituentem, oſtentans, ſeruiliter obnoxius erat aſſentatorum voluntatibus; in ſummo rerum faſtigio conſtitutus puerili tamen vanitate leuiſſimis decoribus ſuperbiens, plaudentium, immodicarum quamuis et mentitarum laudum, auidiſſimus, alienarum muliebriter impatiens, in *d*) ſuſpiciones et formidines miſere pronus; ita malignis ſuſurris patulas aures praebens, bonis viris obſtruens; quos a principis occurſu arcere, alienatam ab iis mentem odio et ira inflammare, offenſas comminiſci, inter aulicorum artes habetur. Ita quoque Iulianum Caeſarem in ſuſpiciones et periculum vitae adduxerant, vt ſaluti ſuae conſulere ſe aliter non poſſe videret, quam vt periculo ipſe obuiam iret, et ex confeſſo ſe inimicum monſtraret. Hisce obtrectationibus criminantium et accuſationibus, cupide admiſſis, tandem ad incredibilem ſaeuitiam prolapſus, delatorum malitiae et auiditati optimi cuiusque ſalutem vitamque praedae paratae loco, in quam inuolarent, permiſit. In Galli Caeſaris palatio, ſtimulante vxore, ad muliebres ſimultates et odia procliui, aulicorum artes occultius graſſabantur, clandeſtinos rumores deferendo, comminiſcendo falſa aut in deterius verſa et interpretata, etiam ea, quae clam in penetrali ſecreto a patrefamilias vxori in aures eſſent ſuſurrata. At Valenti-

*d*) Lib. XIX, 12. *vt erat angusti pectoris, obsurdescens in aliis — in hoc titulo* (rerum genere) *ima, quod aiunt, auricula mollior, et suspicax, et minutus, acri felle concaluit.*

lentiniani Auguſti animus veneficiorum et artium magicarum terroribus percuſſus ad aliud ſuſpicionum genus conuerſus per delatorum fraudes ſuppliciis tormentorumque cruciatibus ſaeuiebat promiſcue. In Conſtantii palatio paria optimus quisque, verum ne a viris quidem patiebatur; ſpadonum enim et eunuchorum praeualens erat potentia; quibus ſemel in aulam inductis, quicquid rectum iuſtumque habetur, excluſum expulſumque eſſe, recte dixeris; cum muliebri impotentia dominandi cupiditas et auaritia horum hominum animis inſidebat; iidem inter miniſteria vitae ſecretioris per arcanos rumores principis auribus nutrimenta omnis ſuſpicionis inſtillare poterant. Plura horum hominum, et in his Euſebii, cubiculo praepoſiti, ſcelera commemorat, et in hoc portentorum genus inuehit, Ammianus multis locis (vt XIV, 11: XVIII, 5. add. Aelium Lamprid. in Alex. Seuero c. 66.) vnde prodigii inſtar viſus erat honeſta ſequens Eutherius cubiculi praepoſitus (de quo multis agit lib. XVI, 7.); et monſtri inſtar apparuit ipſe Iulianus Imp., qui ſi qua alia re, faſtu principali e palatio eiecto, magna illa in ſe hominum odia concitauit: turbam enim inutilem in miniſterio imperatorio repererat incredibilem adito imperio, coquos quidem, memorante Libanio, mille, totidem tonſores, pincernas autem plures, miniſtrorum omnis generis examina, quae Ammianus (XXII, 4.) *vitiorum omnium ſeminarium* appellat; *paſti enim ex his quidam*, Chriſtiani ſcilicet, quos Libanius diſertius declarat, *templorum ſpoliis, et lucra ex omni odorantes occaſione, ab egeſtate infima*

ad

*ad ſaltum ſublati diuitiarum ingentium, nec largiendi, nec rapiendi, nec abſumendi, tenuere aliquem modum, aliena inuadere ſemper adſueti, vnde fluxioris vitae initia pullularunt, et periuria, et nullus exiſtimationis reſpectus* etc. Celebratum eſt, quod de Iuliano Imp. narratur: *euenerat iisdem diebus, vt ad demendum imperatoris capillum tonſor venire praeceptus, introiret quidam ambitioſe veſtitus. Quo viſo Iulianus obſtupuit;* ego, *inquit, non rationalem* (procuratorem, credere licet, etſi varia huius nominis fuere miniſteria) *interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compendii,* ſtipendium memorat longe lautiſſimum. *Vnde motus, omnes huiusmodi cum coquis* ſimilibusque aliis — *data quo velint eundi poteſtate proiecit.*

Alia res quae Ammiani lectione attentiore animum aduertit, eſt mira ſuperſtitionum vis ad mentes humanas, pro cuiusuis ſaeculi indole ad certa genera procliuiores. Veriore enim chriſtianae doctrinae luce omnes tum imperii Romani terras colluſtrante, occaecati tamen hominum animi praedictionum, ominum, prodigiorum, magicarum artium ludibriis non minus tenebantur, quam antea patriis religionibus antiquae perſuaſionis auctoritate has ſuperſtitiones firmantibus; quid? quod ipſa philoſophia, vano ſuperſtitionum principio, quod omnino inficiandum erat, imprudenter admiſſo, tantum rationes et cauſſas commentitias circumſpiciebat, quibus doctrinae vanitas ſtabiliretur. Adeoque ii, qui in ceteris omnibus inter ſe acerrimis diſſidiis odiisque diſtinebantur, pagani, Chriſtiani et philoſophi, in vna eaque vaniſſima re

inter

inter ſe conſpirabant, vt prodigiis et miraculis fidem haberent. Cuius erroris memorabile exemplum vna cum Iuliano Imp. noſter eſt Ammianus: iſte quidem philoſophiae fanaticae a Maximo propinatis poculis inebriatus, hic autem, ipſius principis anilem ſuperſtitionem ridens, non tamen dubitat vulgarem famam de rerum futurarum praedictionibus et per omina ac prodigia ſignificationibus grauiſſimarum rerum narrationi vbique inſerere. Niſi experientia doceret, vix fidem inueniret haec in eiusdem hominis animo iudiciorum diſcordia in rerum paritate. In conſiliorum euentorumque cauſſis et rationibus acute videns, quid que per intercedentes caſus varietur bene intelligens, ab inutili tamen praedictione, (nam ſi caſus infelices praedicti auerti nequeunt, quorſum praeuiſos eſſe iactas?) euenta repetit; haud dubie pleraque ex euento ipſo aut ficta aut in memoriam reuocata. Nihil ſaltem eſt, in vtramque fortunam vel paullulum memorabile, cuius non omen aliquod antegreſſum etſi leuiſſimum memoretur. In eadem ſuperſtitione mirationem facit hoc, quod etiam illi, qui, ante rerum incepta, auſpicia captabant, ſiniſtris tamen haud deterriti coepta peragebant, aut iterum alia aliaque captabant, donec incideret aliquid quod pro omine exoptato haberi poſſet. Verum in toto hoc genere nihil eſt quod cum ratione vlla idonea factum eſſe dici poſſit, multo minus in ipſa ominum interpretatione. Quis a viro prudente expectet adſcripta lib. XIX, 12. extr. *tunc apud Daphnen — viſu relatuque horrendum natum eſt monſtrum, infans ore gemino, cum dentibus binis et barba,*

*barba, quatuorque oculis et breuiſſimis duabus auriculis; qui partus ita diſtortus praemonebat rempublicam in ſtatum verti deformem. Naſcuntur huiusmodi ſaepe portenta, indicantia rerum variarum euentus: quae, quoniam non expiantur, vt apud veteres, publice inaudita praetereunt et incognita.* Philoſophia hoc ipſo in perniciem hominum vertebat, quod vanarum ſuperſtitionum firmamenta noua ex ſuarum opinionum commentis ſuppeditabat. Videre refert ſubtiles et argutas ratiunculas, quibus euincere ſe credit Ammianus, (lib. XXI. pr.) ſapienti viro contingere vtique poſſe arcanam futura praenoſcendi artem; quod ſi ſemel admiſeris, nihil eſt in hoc genere quod refellas. Eodem modo numinum religiones antiquas tuebantur philoſophi, et miris argutiis veteres mythos interpretabantur: cuius ſtudii quoque veſtigia aliquot in Ammiano occurrunt, vt *de Adraſtea dea* (lib. XIV, 11. p. 34.) *de Genio vnicuique naſcenti aſſignato* XXI, 14. et *Mercurium,* ait, *mundi velociorem ſenſum eſſe, motum mentium ſuſcitantem, theologicae prodidere doctrinae* (lib. XVI, 5. p. 72).

Curioſe quaeſitum eſt, vt de aliis, ita quoque de Ammiano, fueritne profeſſione Chriſtianus nec ne. Eſt tamen obuia res in lectione ſcriptorum iſtius temporis, e prudentioribus pleroſque nec patrias religiones abieciſſe nec nouas damnaſſe, ſed in his quidem pro ſuorum ingeniorum facultate probanda probaſſe. Ita Ammianus, vt Iuliani ſuperſtitiones, ex philoſophia temporum et obtrectandi cupiditate ſuſceptas, improbat (XXII, 12. et XXV, 4.), et, Georgium Alexandrinum anti-

ſtitem Chriſtianum, *profeſſionis ſuae oblitum, quae nihil niſi iuſtum ſuadet et lene, ad delatorum auſa feralia deſciuiſſe* (lib. XXII, 11. p. 260.). Idem Conſtantium ait *Chriſtianam religionem abſolutam* (planam, diſerte enuntiatam) *et ſimplicem anili ſuperſtitione confudiſſe, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda grauius, excitauit diſcidia plurima; quae, progreſſa fuſius, aluit concertatione verborum: vt cateruis antiſtitum, iumentis publicis vltro citroque diſcurrentibus per ſynodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehiculariae ſuccideret neruos* (XXI, extr. p. 236.). Neminem meminimus de mala Imperatoris ſedulitate verius cenſentem.

Supereſt nunc vt enotemus nonnulla memorabilia, in ſcriptore a paucis lecto tanquam latentia; et in his quidem primo ea, quae per *digreſſiones* ſunt inſerta; quas Ammianum nonnunquam intempeſtiue affectaſſe iam ſupra monitum eſt. Sunt eae ſane diuerſi generis, aliae enim terrarum populorumque deſcriptiones continent; quas inter geographicas et hiſtoricas exercitationes referre poſſis; aliae ad phyſicas, cum rerum naturas et cauſſas exponit; in his quidem ſcientiae ſubtilitate parum plerumque inſtructus. Ex hoc genere, vt ab his ordiamur, ſunt loca ſequentia: lib. XVII, 7. p. 113 ſq. vbi Nicomediae clades narrata eſt, de motibus terrae eorumque cauſſis: lib XIX, 4. de lue in Amida obſeſſa orta et de peſtilentiae cauſſis; lib. XX, 3. de defectu ſolis diuturniore in Orientalibus plagis a. 360. omninoque de defectuum ſolis cauſſis: XX, 11. de arcu caeleſti, XXV, 10. de

de cometis; XXIV, 3. p. 315. de palmarum maritandarum arte. Cereuiſiae genus, *ſabaiae* nomine, in Illyrico habitum XXVI, 8. *Eſt autem ſabaia ex hordeo vel frumento in liquorem conuerſis paupertinus in Illyrico potus.* XXVI, 2. de anno Romano. Vtiliora ſunt prioris generis diſputata; in quibus ſunt loca: lib. XIV, 4. de Saracenorum moribus (h. e. Arabum nomadum: cf. XXII, 15.) lib. XV, 19. Galliae tractus et ſitus ex Timagenis fide, rhetoris et hiſtorici aetatis Auguſteae. XVII, 2. de Sarmatarum moribus, ſimillima iis, quae de nomadibus Aſiae noſtra aetate narrantur; et hoc quoque, quod de Scythis et Sarmatis Strabo memorat (VII. p. 480.), equis eos vti caſtratis. XXXI, 2. de Hunnis et Alanis, nota inter hiſtoricos loca. Lib. XXXII, 8. de ſitu Pontici ſinus: h. e. Ponti Euxini inde ab Helleſponto periplus. XXVII, 4. regionum Thraciae recenſus. XXII, 14. 15. 16. de Aegypto et Nilo, belluisque et ceteris animantibus: vbi ſignificat, ſe res Aegyptiacas iam ante in rebus Adriani expoſuiſſe. Quibus addit quaedam de Aegyptiorum ingeniis lib. XXII, 6. et c. 16 extr. Tum XXIII, 6. de regno Perſarum, multis inſertis, quae audita acceperat. Vtinam in ipſa Iuliani expeditione geographicas rationes ſubtilius exegiſſet! Antiquitatis militaris curioſis accepta eſſe poteſt XXIII, 4. expoſitio machinarum obſidionalium; balliſtae, ſcorpionis, helepolis, malleolorum. Luculentiſſima ſunt loca de Romanorum vita et moribus XIV, 6. et XXVIII, 4. in hoc quidem Senatorum primum tum plebis; in iſto luxus omnino diuitum, in

cuius

cuius apparatu multa occurrunt notabilia. Ita in carrucis altioribus et ambitioſo veſtium cultu ſummum decus ab iis poſitum videmus, *lacernis pluribus, tenuiſſimo filo textis*, corpori circumdatis, animalium figuras intextas exhibentibus; (*varietate liciorum effigiatae in ſpecies animalium multiformes*). Potentium patrocinia et ſtudia aliis praeripiunt ii, qui curruum et equorum agitationes, aut artem teſſerariam profitentur, aut ſecretiores artes ſe noſſe fingunt: *homines autem eruditos et ſobrios, vt infauſtos et inutiles, vitant.* Ita corruptelarum ſimilitudinem videas per omnium temporum hiſtorias, virtutum perraro. Adde lib. XXX, 4. de cauſſidicorum prauis artibus; etſi deſultorie narrata. Inter alia locus de iis eſt: "*e quibus ita rudes ſunt nonnulli, vt nunquam codices ſe habuiſſe meminerint; et, ſi in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur.*"

Subiiciemus his pauca memorabilia e diuerſis locis notata: Antiochiam *lucernis per vias diſpoſitis* noctu lucentibus inſtructam legimus lib. XIV, 1. *in vrbe, vbi pernoctantium luminum claritudo dierum ſolet imitari fulgorem.* Ad *commerciorum ex India* notitias, quas numero pauciſſimas habemus, accedito locus XIV, 3. *Batne, municipium in Anthemuſia* (Meſopotamiae) *conditum Macedonum manu priſcorum, ab Euphrate flumine breui ſpatio disparatur* (disiungitur): *refertum mercatoribus opulentis; vbi annua ſollennitate prope Septembris initium menſis, ad nundinas magna promiſcuae fortunae conuenit multitudo, ad commercanda quae Indi mittunt et Seres,*

*aliaque plurima vehi terra marique conſueta.* Sunt haec Palmyrae calamitate ſeriora. De *obeliſco Conſtantii cura Romam aduecto* et in Circo Maximo poſito (XVII, 4.) memorare, tanquam de re nota, nihil attinet. Ex lib. XXI. extr. patet, *Conſtantium triumphales arcus ex clade prouinciarum, ſumtibus magnis erexiſſe in Galliis et Pannoniis, titulis geſtorum affixis.* Lib. XVI, 10. in ingreſſu Conſtantii in vrbem memorantur aedificia et ornamenta publica, quae tum adhuc ſuperfuiſſe ex his conſtàt. Memorabile eſt, quod XV, 8. de more militari narratur: cum Iulianum Caeſarem a Conſtantio dictum audiſſent, *militares omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes: quod eſt proſperitatis* (aſſenſus) *indicium plenum; nam contra cum haſtis clipei feriuntur, irae documentum eſt et doloris; immane, quo quantoque gaudio, praeter paucos, Auguſti probauere iudicium:* videmus diuerſitatem pulſorum clipeorum parum notam. Nouum exemplum arcani nuntii miſſi, membranae ſcriptae notarum figuris, in vaginae internis abſconditae XVIII, 6. p. 145. In motu terrae per Bithyniam, quo euerſa eſt Nicomedia, notabilis erat ingens fragor ventorum et procellarum incumbentium (cf. XXVI, extr. p. 385.); cum alias aere ſine motu librato metus anxietatem iniiciat. Ad naturas animantium ſpectant haec XVIII, 3. linquentes orientem anſeres ob calorem, *plagamque petentes occiduam, cum montem penetrare coeperint Taurum aquilis abundantem, timentes, fortiſſimas volucres roſtra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel neceſſitas extrema clangorem; iisdemque collibus agiliore volatu transcurſis proiiciunt calculos,*

*atque*

*atque ita ſecurius agunt;* et lib. XVIII, 7. de leonibus Meſopotamiae excaecari ſolitis, cum culices palpebris inſidentes amolituri oculos vnguibus effodiunt. Ad ea, quae de craniorum diuerſa duritie inter Perſas et Aegyptios in Herodoto III, 12. legimus, addi poſſunt ſequentia ex lib. XIX, 9. extr. pugna facta cum Perſis numerus vtrinque caeſorum paullo poſt ita initus eſt; *quod* Romanorum *cadavera mox fatiſcunt et defluunt, adeo vt nullius mortui facies poſt quatriduum agnoſcatur; interſectorum vero Perſarum inareſcunt in modum ſtipitum corpora, vt nec liquentibus membris, nec ſanie perfuſa madeſcant, quod vita parcior facit et, vbi naſcuntur, exuſtae caloribus terrae.* Verum reuocandus eſt calamus currens de ſimilibus enotandis, ne videamur *pro ſportula coenam rectam praebuiſſe.*

Reſtat enim, vt mandata exſequamur, quae publice iniuncta ſunt, vt pronuntiemus noua magiſtratus academici in ſemeſtre inſequens auſpicia; faciet illa vir Venerandus,

CAROL. FRID. STAEVDLIN D.

vtque fauſta ac felicia ſint, ex animo precamur, vosque, commilitones, rogamus et hortamur, vt, quicquid obſequio legum, officii religione, animorum pietate, ingeniorum morumque liberalitate, ad fauſtum muneris ſemeſtris decurſum conferri poteſt, ingenue et ſtudioſe ad teſtandam viri non titulis magis quam integritate et virtute venerandi caritatem ac reuerentiam exſeratis.

P. P. in Georgia Auguſta pridie Kal. Septembres cIↃIↃcccii.

---

IV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CAROL. FRIDER. STAEVDLIN D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM

IN

MAGISTRATV ACADEMICO

GEORG. FRIDER. DE MARTENS D.

CIVIBVS SVIS

HONORIS ET OFFICII CAVSSA

COMMENDAT

INDICTIS AVSPICIIS

IN KALENDAS MARTIAS cIɔIɔcccIII.

## *Cenſura ſex ſcriptorum hiſtoriae Auguſtae.*

Mirationem vulgo facit, Commilitones, hiſtoriae ſcribendae et ſtudium et artem inter Romanos cum Tacito et Suetonio ita defeciſſe, vt ab eo inde tempore nullus extet ſcriptor, qui operae pretium ea in re fecerit. Cuius rei cauſſas accuratius inquirenti offerunt ſe plura; etſi et ipſum illud enuntiatum, nullos poſt Tacitum fuiſſe hiſtoriarum ſcriptores, admodum eſt circumſcribendum. Fuere multi hiſtoriae Auguſtae ſcriptores inde ab Auguſto cum ante tum poſt Tacitum, et in his aliquot grauiſſimi; quorum labores temporum

porum iniuria nobis inuidit, aut librariorum, qui deſcriberent, induſtria defuit. Tantum itaque abeſt, vt poſt Tacitum repente omne ſcribendi hiſtorias ſtudium exoleuerit, vt ingens potius numerus ſcriptorum laudetur paſſim ab iis, qui eos in manibus habuerunt; Caſaubonus, qui in his diligentiam collocauit, fere L. ſe memorare poſſe ait Latinos hiſtoriae Auguſtae ſcriptores; cum quibus fuere alii, qui graece ſcripſere *a*). Fuerat inter eos ſcriptores Seuerus Imp. qui vitam priuatam perſcripſerat (Spartian. c. 3.). Quo minus tamen hi ſcriptores aſſequerentur laudes Taciti aut Suetonii, cauſſae altius repetendae ſunt, partim ex ipſorum temporum calamitatibus, ſublata cum libertate veritate, partim ex materiae idoneae tenuitate. Quae enim domi agebantur, ad ſollennem ea morem et formulam peragi ſolita, nullo ipſis agentibus iudicio, ex prudentia ciuili meliore, relicto, taedium feciſſent legentibus et ſcribentibus; vnde et regnorum hiſtoriae, pacis diuturnae temporibus, plerumque rerum memorabilium inopia laborare ſolent; bella autem ſeu externa ſeu interna ſcriptores idoneos non habebant, quia perpetua militia et aut in caſtris aut intra caſtella in finibus excubatio ab omni ſtudiorum aſſiduitate et ingeniorum cultu, poſt Antoninos vtique, alienauerat militares viros; iam tum in ipſo more et vſu belli gerendi a ſenioribus accepto acquieſcentibus iunioribus. Ita enim fere eueniſſe videmus per omnes magnorum imperiorum aetates,



*a*) Vide v. c. Lamprid. Alex. Sev. 48. Latinorum nomina partim videre licet in Vossio de hist. Lat.

tes, (Perſas, Parthos, Mogolos, aliosque barbaros, in memoriam reuocare ſatis eſt,) vt inter ipſam bellorum perpetuitatem militaris ſcientia cum virtute langueſceret tandemque exoleſceret. Adeo, poſt cetera ingeniorum ſtudia ſublata, bellandi ſcientia et ars ipſa extinguitur: vt pernicies omnium bonarum rerum vertat tandem et ipſa in ſui exitium. Fuit quoque publicarum rerum gerendarum et adminiſtrandarum ratio ea, vt perpaucis illae innoteſcerent; intra palatium principis et cubiculum agebantur pleraque, veris rerum notitiis raro et ad paucos et de paucis emanantibus. Etiam boni principes, ſi Traianum, Adrianum et Antoninos exceperis, ea quae ad ſe relata erant, non ipſi cognoſcere et reſcribere; aut in conſiſtorio adeſſe, audire et decernere; verum publica negotia amicis tractanda mandare et ab his ad ſe relata firmare *b*). Iam ipſa res ita

*b*) Ita de Alexandro Seuero Aelius Lamprid. 29. de vita eius quotidiana et domestica: *vsus vitae eidem hic fuit: Primum — rem diuinam faciebat; si id non poterat, pro loci qualitate, vel vectabatur vel piscabatur, vel deambulabat vel venabatur, dehinc, si hora permitteret, actibus publicis post multam horam operam dabat.* Locus est impeditus, *post multam* horam bene se haberet, nisi antecessisset: *si hora permitteret;* voc. *horam* Casaub. ex suo cod. receperat, a Codd. melioribus id aberat: voce exclusa sententia sic decurrit: *actibus publicis post* (pro, postea) *multam operam dabat.* Repugnant tamen sequentia, in quibus contrarium ponitur, cum necesse ei non fuisse dicitur, vt multam operam adhiberet, quia *per amicos sanctos et fideles* omnia curabantur. Salmas. itaque *non* pro *post* scribere malebat. Meliore putamus iudicio verba *post multam*

ita fert, vt ii, qui in rebus adminiſtrandis verſantur, nec ſatis otii nec voluntatis habeant ad ea memoriae mandanda quae a ſe curata ſunt. Itaque Praefecti praetorio et vrbis, in quorum ſere manu ſumma erat rerum adminiſtratio, aut Quaeſtores principis, vix ad ſcribendum acceſſere; Senatorii autem Ordinis viri, etſi conſulares, ne ipſi quidem rerum locupletem notionem habuere; nec vero animus iis eſſe potuit, vt Commentarios ſcriberent rerum publice geſtarum et curatarum, quandoquidem nec merito nec gratiae ex tali opera locus erat, periculi contra et metus plurimum. Rediit itaque omne hoc euentorum ſcripto notandorum ſtudium ad homines priuatos, qui rumores et notitias vulgares, exceptas a ſe, litteris mandabant; neque euentorum cauſſae et rationes,



*tam horam* esse eiicienda; totus enim locus ita se habet: *dehinc, si hora permitteret, actibus publicis operam dabat; idcirco, quod et res bellicae et res ciuiles per amicos tractabantur, — et tractatae firmabantur, nisi quid noui etiam ipsi placeret. Sane si necessitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat et in longam horam producebat*, et sequ. Fatendum tamen, otiosum ita esse voc. *idcirco;* ideo melius feceris, si *post* mutes in *per:* vt, per multum temporis eum consistorio adfuisse narretur, *idcirco*, quia *et res ciuiles et bellicae* in his consessibus, referentibus amicis, tractabantur; qua re consessus in plures horas protractos fuisse necesse est. Meminimus etiam Gibbonum, prudentissimum scriptorem, verbis haud satis expeditis laudem Alexandro, etsi dignissimo principi, haud veram ex his impertiisse, cum eum *maiorem matutini temporis partem in consilio exegisse, actus publicos ipsum peregisse, caussas priuatas cognouisse* memorat. *Gibbon Hist.* T. I. ch. 6. p. 155.

neque gerendarum rerum ſeu ciuilium ſeu bellicarum modi exponi potuere; ſatis eſſe debuit, ſummam euentorum vniuerſe narrari. Ita omne ſtudium hiſtoricum ad ſimilem morem reuocatum eſt, quem in monachorum annalibus et chronicis ſuperiorum ſaeculorum regnare videmus, vt per ſummam tantum recitentur euenta.

Quod autem, grauius quoque, eſt ferendum, inſtitui coepit iſta nuda expoſitio euentorum nullo explorandae veritatis ſtudio, nullo dilectus iudicio, nullo dignitatis ac perſonae, quam ſibi ſcriptor imponeret, ſenſu. Quisquis enim ad hiſtorias ſcribendas, multo magis ad res ſui temporis annalibus condendas, acceſſerit, eo loco ſe conſtitutum eſſe meminiſſe debet, quo probitatis ſuae et ſanctitatis cum veritatis ſtudio experimenta ad omnem poſteritatem proponit, dum et teſtis et iudicis integritatem ac fidem pollicetur. Ad ſenſus tales et laudes prorſus occalluerant haec tempora, per morum, ingeniorum et ſtudiorum, corruptelas. Ex quo enim dominationis mala, cum foeda ditiorum luxuria et pauperum contumelioſa inopia, militari etiam ferocia et lubidine cumulari coepere: omnium ingenia, partim ſeruili adulatione corrupta, partim metu torpentia, ab omni rerum actu refugere; otio inhoneſto, turpi quoque, ſe dedere; ii autem, qui ſe litterarum ſtudiis addixerant, in grammaticis et rhetoricis ſubſiſtere, ſaltem non vltra cauſidicorum clamores forenſes progredi; ita litterarum liberalium flos et decus euaneſcere, omnis ſcribendi ars et hiſtoriae vera notio exoleſcere, prauo rhetorum omnia infucandi ſtudio

ſtudio, pro ſimplicitate ſtili hiſtorici, fucata et calamiſtrata quisque ſectari, pro rerum et ſententiarum pondere et grauitate probare aniles fabellas, mira prodigia venditare, portentoſas principum libidines et luxus euulgare. Quis enim poterat eſſe ſenſus boni, honeſti, pulchri, in litteris, inter eos homines, quibus, ſeruili obſequio mutuo obnoxiis, ad adulationem potentum prolapſis, ad aliorum iudicia ſe componere, vera animi iudicia eierare, coactis, quibus, inquam, ad ſenſum liberalem veri ac decori, et ad laudis bonae cupiditatem, aſſurgere, ſtudiis honeſtis, vix licuit! Mira enim res eſt, vnum quodque saeculum fingere ſuos ſenſus ad eorum, inter quos adoleuerat, exemplum, corruptelas eorum tenaciter retinere, aliis nouis corruptelis cumulare, ad meliora antiquiorum exempla propoſita caecutire aut aſpectum refugere. Itaque nec lectio veterum ſcriptorum ad talia ingenia excolenda vim habuit; extinxerat ſenſum ſimplicitatis et elegantiae meliorem morbus ſaeculi rhetorico tumore et ambitioſo verborum fuco ſententias inconditas aut vulgares obducendi, ita vt ad claſſicorum ſuorum ſcriptorum bona obtuſas afferrent mentes. Ita enati ſunt libelli hiſtoriarum, ſingulorum principum vitas enarrantes. Succeſſere, qui ex iisdem ſeriem plurium principum, tandem qui omnium inde a Caeſare, vel a Nerua, vitas vno aut pluribus voluminibus complecterentur. Ergo vanis et inertibus ſcriptoribus ſucceſſerunt alii inertiores, qui ex iis ſua deteriore ſtilo conflarent, et ſic ad meras epitomas et breuiaria tandem omne ſtudium hiſtoricum

D 5 rediit.

rediit. Acceſſit, quod cum in tantis ac continuis temporum calamitatibus rara omnino eſſent litterarum ſtudia, multo magis in prouinciis, vt multa opera litteraria vix vno aut altero exemplari repetita in paucorum notitiam et vſum venirent, ideoque maturius interirent, paucis caſu ſeruatis, iisque fere leuiſſimis, et breuitate ſe commendantibus aut tuentibus *c*). Vnum eſt quod belle factum inter haec pronunties, quod principibus nulla vera laude dignis nec meliores obtigere ſcriptores.

Certe ii, qui ſuperſunt, appellati vulgo *Scriptores hiſtoriae auguſtae*, tanti nominis laude indigni nec pro hiſtoriarum ſcriptoribus habendi ſunt; epitomatores ſunt et compilatores eorum, qui tamen nec ipſi hiſtorias ſcripſiſſe dicendi ſunt; non enim niſi rumores vulgares in litteras redegerant. Nec vixere illi niſi ſaeculo tertio exeunte et ineunte quarto; cum ad vltimam iam barbariem prolapſae eſſent

*c*) Fuit in his *Marius Maximus*, saepe ab aliis in partes vocatus, ex quo Spartianus plurima repetiit. Est tamen ille Vopisco in Firmo I. *homo omnium verbosissimus*, *qui et mythhistoricis se voluminibus implicauit*: h. e. commentis et sermunculis anilibus. Cui similis fuit *Iunius Cordus*, qui innumera memoratu indigna apposuerat, testante Iulio Capitolino in Macrino c. 1. *quae ille*, inquit, *omnia exsequendo libros mythhistoriis repleuit talia scribendo.* Idem in Clodio Albino 5. *haec atque alia signa imperii fuere*, *quae qui volet nosse*, *Aelium Cordum adeat*, *qui friuola super huiusmodi omnibus* (ominibus) *cuncta persequitur*, et in Maximino iun. 5. *Longum est omnia persequi; quae qui scire desiderat*, *is*, *velim*, *vt saepe dixi*, *legat Cordum*, *qui haec omnia vsque ad fabellam scripsit.*

eſſent prouinciae, ipſa Italia rueret; inſcripſere libellos ſuos Diocletiano, Conſtantio et Conſtantino; quos principes, ſi Romanorum rerum notitias non meliores habuere, quam quas ex his libellis addiſcere iis contigit, admodum indoctos et rudes fuiſſe credere licet; neque aſſequaris, qualem ex iis ſcriptoribus vtilitatem et fructum ad imperii adminiſtrationem ceperint; itaque nec mirandum eſt, ſi tales libros, et cum iis omnes litteras in contemtu habuere. Ita enim euenire neceſſe eſt, vt, quandocunque litterarum ſtudia ad inutilia et parum fructuoſa deflexerint, tanto magis ea negligantur et contemnantur a prudentioribus, qui, ipſi parum imbuti melioribus litteris, ipſo rerum vſu vulgarique ſagacitate pleraque aſſequuti, nihil vulgaribus ſtudiis ineſſe vident quod ſuis vſibus inſeruire poſſit. Inde quoque fit, vt doctis litteris vix locum aliquem relinquant, tantum abeſt, vt perſpiciant, opum imperii et dignitatis gloriaeque fundum in iis litteris tamquam radicitus inhaerere; ſin eae, (vt interdum fit, vt in agro ſterili et inculto ſtipulae paſſim appareant) fortuito obſtacula perruperint, nec ſatis conualeſcere nec vigorem habere. Quod per barbariei ſaecula multis exemplis manifeſtum fit; vt etiam nullus ſtudiis honos niſi ex ſuperſtitione ſeu religionum ſeu magiae cognatarumque vanitatum aſtrologiae et diuinationis, haberetur; ex his enim fructus aliquis ad vitam publicam exſpectari poterat aut poſſe videbatur; nec minus eadem rerum conditio apparuit poſtea quam ad dialecticas aut criticas ſubtilitates ſumma omnis doctrinae

redacta

redacta erat; atque etiamnum veremur, ne ſimili experientia, quam vere haec dicta ſint, pateſcat, niſi mature a metaphyſicis tricis et ſalebris ad liberiorem philoſophiae, rationi ſanae conſentaneae, campum remeauerimus.

Vitarum quidem ſcribendarum ratio ſuum ſibi genus inter ceteros res geſtas tradendi modos conſtituit, nec hiſtoriarum aut annalium ſtadium latius capit; ſi iuſtos laudis numeros conſequi volet; dilectum deſiderat prudentem primo ipſius viri, in cuius rebus exponendis operam ponas; ſin nullum eſt arbitrium, ſed plurium ſeriem et ordinem perſequi neceſſe eſt, vt in imperatoribus, vniuscuiusque ſaltem propria indoles, virtutes, ſtudia, conſilia, diligenter explorata, ſunt apponenda; rerum quoque publice geſtarum; etſi ea euentorum expoſitio locum ſibi in illis vindicat, quae cum eorum opera et conſilio, ductu et imperio, aut fortuna, coniuncta eſt; latius tamen euagandi licentiam habet in iis, quae ceteris lucem afferunt. Nec vita priuata, niſi quatenus ad mores aut ad ingenia fingenda aut ad fortunae caſus vim habuit, enarranda eſt. At iſti homines in his tenuiſſimis nullo conſilio et vſu enarrandis omnem operam poſuere, quae, etſi interdum nobis vtilitatem afferre poſſunt in doctis ſtudiis antiquitatis verſantibus, tamen iudicio et perſonae biographi nullo modo conueniunt. Quam parum autem homines illi de vitarum perſcribendarum rationibus deliberauerint, multo magis ex eo perſpicias, quod ne iuſtum quidem rerum enarrandarum ordinem ſibi praefixerunt; habebant tamen Suetonii

exem-

exemplum, quod ſequi poſſent; poterat ab origine et natalibus per aetatis gradus procedere narratio ad principatus primordia; tunc publice geſta ſiue per annos ſiue per rerum capita, ciuilium et militarium, perſequi; inde ad vitam privatam, per certa rerum genera digeſtam; nihil horum iſti homines animo complexi promiſcue omnia effundunt, perturbant, repetunt et iterant, alieno quaeque loco. Multo itaque minus ab iis expectari poterat, vt, quae a ſingulis principibus in imperii adminiſtratione mutata, quid in rerum actu ſingulis praecipue propoſitum, et quae cauſſarum ſeries ad imperii res inclinatas fractas et euerſas, aut ad eas reſtituendas et inde a Diocletiani temporibus in nouum, diuerſum tamen, ſtatum et locum collocandas, vim habuerit. Itaque ex ſumma rerum narratarum haec, pro ſuo quisque ingenio, diuinamus et colligimus; et Gibboni quoque de his iudicia lubricis paſſim veſtigiis nituntur.

*Scriptores hiſtoriae Auguſtae,* vulgo *ſex* numerati, nec integri ſuperſunt, nec de omnibus libellis ſatis conſtat ad quemnam quisque auctorem referendus ſit; variant enim in codicibus nec magnam fidem habent inſcripta aut praefixa ſingulis ſcriptis auctorum nomina; nec ex ſtili indole comparata tuto iudicium ferri poteſt, quoniam nullus ſibi propriam indolem habet, ſed omnes omni hiſtorici virtute carent, et compilarunt alios, modo eosdem. Nihil enim, niſi forte Vopiſcum exceperis, habent a ſe et opera ſua exploratum aut cognitum, nihil, cuius ipſi teſtes fuerint aut a teſti-

teſtibus idoneis auditum acceperint, ſed exſcribunt ſuperiorum ſcriptorum libellos, id tantum agentes, vt plurium principum vitas vna ſerie iunctas exhibeant. Itaque incidimus interdum in partes minus inepte et tolerabili ſtilo ſcriptas, excipientibus eas aliis, quae deterioris aut deterrimae fabricae ſunt; multa iterantur bis terue, ea quidem plerumque per ſe leuia et memoratu parum digna; pro diuerſitate commentariorum, quos hi ſcriptores manibus terebant. Ita auctor Adriani priori parte ſatis bonos commentarios habuit; attexuit his alia aliunde ſumta; tolerabilis quoque vita Antonini Pii; at in Marci vita multa ſunt temere cumulata, iterata, inter ſe abhorrentia et ſibi contraria, aut male iuncta. Imp. Veri vita ex meris laciniis eſt conſuta; Auidii Caſſii vita tam ieiuna eſt, vt ne quidem, in qua prouincia imperio occupato perierit, ſatis aſſequi poſſis. Sunt multae vitae tam ieiunae, exiles et extenuatae, vt nomine vix dignae ſint, ſic Commodi, Caracalli, Getae, omnino eae, quae Iulii Capitolini nomen prae ſe ferunt. Melius explet partes breuis vita Didii Iuliani. In Maximinis et Gordianis ſcriptorem balbutire et nugari dixeris, non narrare.

Quo tempore et ordine hi ſcriptores vixerint ac ſcripſerint, quae que vitae auctoribus ſingulis ſint aſſignandae, diſſidia ſunt iudiciorum, ſeu potius opinionum, quarum ſaltem loco habendae ſunt Dodwelli rationes in Lect. Cambdenianis propoſitae. Aliam itaque ineamus viam, et relicto codicum diſſenſu et opinionum leuitate, videamus, primo

primo loco quid ipſorum ſcriptorum fide traditum in ipſis libellis inueſtigatum erui poſſit. Certiorem reliquorum fidem praebet *Flauius Vopiſcus*, qui, tanquam auctores, qui ante ſe vixiſſent, *Trebellium Pollionem* memorat, *Iulium Capitolinum* et *Aelium Lampridium* d). Idem *Flauius Vopiſcus* inde ab *Aureliano* orſus quinis libellis perſequutus eſt vitas *Taciti* et *Floriani; Probi; quatuor tyrannorum, Firmi, Saturnini, Proculi* et *Bonoſi;* tandem trium imperatorum, *Cari, Numeriani* et *Carini;* ad Diocletianum ſubſtitit: nam *Diocletianus, ait, et qui ſequuntur, maiore ſtilo dicendi ſunt* (in Bonoſi extr. add. Probi vitam c. 1. extr.). *Aureliani* vitam vt ſcribe-

d) In Aurel. c. 2. *Trebellium Pollionem memorat, qui a duobus Philippis vsque ad diuum Claudium, et eius fratrem Quintillum, imperatores tam claros quam obscuros memoriae prodidit.* in Firmo c. 1. *Trebellius Pollio ea fuit diligentia eaque cura in edendis bonis malisque principibus, vt etiam XXX tyrannos non breuiter libro concluderet.* in Probo c. 2. *et mihi quidem id animi fuit, non vt Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita principum et temporibus disserendis; sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem,* Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, *ceterosque qui haec et talia, non tam diserte quam vere, memoriae tradiderunt.* Adscripsimus locum, quoniam vel ex eo apparet, quam perturbata doctorum hominum iudicia de historiarum studio et de historicorum officio et dignitate fuerint; Suetonio ille adiungit Marium Maximum, leuissimum graui scriptori, quos ipse imitatus sit, eosque ait vere scripsisse. *Spartianum* non laudat, probabiliter tamen sub *Lampridii* nomine latentem, vt Salmasius acute coniicit, cum nomen esset *Aelius Lampridius Spartianus.*

ſcriberet, adductus erat hortatu Iunii Tiberiani praefecti vrbi, (ſub a. C. 291.) qui *ephemeridum Aureliani* vſum, *etiam bella charactere hiſtorico digeſta*, ei obtulerat, cum *libris linteis in bibliotheca Vlpia* ſeruatis *e*). Coniunxerat cum his *libros graecos*; ex quibus Vopiſcus ea, *quae digna erant memoratu, in vnum libellum ſe contuliſſe* ait *f*). Nec diffitendum eſt, melioris frugis plura ineſſe libello; inprimis de bello Palmyreno; verum mole rudi et indigeſta, neque vllo dilectu: laudem vnam habet inſertis epiſtolis imperatorum, cuius generis pauca in reliquis vitis occurrunt. *Probus* Celſo amico eſt inſcriptus, cui inſeruit quoque acta Senatus. Ipſe de ſe profitetur c. 2. *Vſus autem ſum praecipue libris ex bibliotheca Vlpia, aetate mea thermis Diocle-*

*e*) Aurelian. pr. et c. 8. *inueni nuper in Vlpia bibliotheca inter libros linteos epistolam D. Valeriani de Aureliano principe scriptam* etc. c. 24. cum Apollonius Tyaneus Aureliano per visum vrbis Tyanae euersionem exprobrasse narratus esset, *haec ego a grauibus viris comperi, et in Vlpiae bibliothecae libris relegi* — in Tacito c. 9. *ac ne quis me Graecorum alicui vel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephantinum* (eburneum) *in quo hoc SC. perscriptum est, cui Tacitus ipse manu sua subscripsit.* In Caro c. 4. *in ephemeride quadam legisse me memini.*

*f*) Fuere ergo libri graeci, in quibus vita Aureliani erat perscripta; verum nulla *latine* exarata *vita*; erant tamen *ephemerides* et *bellorum* Aureliani *historiae*, latine scriptae, quas tamen Vopiscus nondum legerat. Ita concilianda sunt cum his superius dicta: *neminem a me latinorum, graecorum aliquos lectitatos.* Non autem hinc rite colligas, *nullas omnino vitas Aureliani extitisse.*

*Diocletianis; item ex domo Tiberiana;* (Gellius XIII, 19.) *vſus etiam ex regeſtis ſcribarum porticus porphyreticae, actis etiam Senatus ac populi.* Memorat quoque ephemeridem Turduli Gallicani. Notamus haec eo conſilio, vt, quos auctores melior haec, quam aliae horum temporum, hiſtoria habeat. Ipſe quo tempore vixerit, in Carino c. 18. declarat: *Hic trium principum finis fuit, Cari, Numeriani et Carini; poſt quos Diocletianum et Maximianum principes dii dederunt, iungentes talibus viris Galerium atque Conſtantium:* (ergo poſt a. 292.) — *quatuor ſane principes mundi fortes, ſapientes, benigni et admodum liberales, vnum in remp. ſentientes* — *quorum vitam ſingulis libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco dixi, ne quis a me tantam rem quaereret; maxime, quum vel viuorum principum vita non ſine reprehenſione dicatur.*

Proximus aetate ante Vopiſcum fuit *Trebellius Pollio,* quem ille loco ſupra adſcripto *a duobus Philippis vsque ad D. Claudium et eius fratrem Quintillum imperatores tam claros quam obſcuros memoriae prodidiſſe ait;* et alio loco, *XXX tyrannos eum vno libros complexum eſſe,* teſtatus eſt: conuenit ipſa res inſpecto libello de XXX tyrannis pr. cf. Salonin. c. 1. et 3. At enim huius ſcriptoris *priores libelli* periere, *a Philippis inde vsque ad Valerianum;* de quo ſupereſt non niſi particula; poſt quem ille *nouum volumen* orditur de *Gallienis.* Lacuna haec haud dubie repetenda eſt a lacero hac parte codice, cui reliqua ſeruata debentur. *D. Claudio* librum ſingularem conſecrauit, a quo originem ducebat Conſtantius Caeſar; ergo de eo accurate adulatoria ambi-

ambitione ſcribit. Ipſe de ſe haud magna profitetur, nam in XXX tyrannis extr. *neque ego eloquentiam videor pollicitus eſſe, ſed rem, qui hos libellos, quos de vita principum edidi, non ſcribo ſed dicto; et dicto cum ea feſtinatione, quam, ſi quid vel ipſe promiſero, vel tu petieris, ſic perurges,* (ad quem haec ſcripta ſint, non conſtat) *vt reſpirandi non habeam facultatem.* Hoc quoque ipſa res teſtatur, ſocordius et indiligenter conſuit potius, quam disponit, temere arrepta quaeque. Recte adeo ille apud Vopiſcum (Aureliano l. c. c. 2.) *multa incurioſe, multa breuiter prodidiſſe* dictus eſt.

Licebit nunc *a certioribus* progredi *ad incertiora*, ad ſuperiores, inquam, aetate et loco priores, *Aelium Spartianum*, et *Iulium Capitolinum*. Et *Spartianus* quidem in prooemio Aelii Veri ad Diocletianum Aug. et iterum in extr. eiusdem vitae, ipſe teſtatur *omnium Imperatorum* (addit: *vt vsque ad diuum Adrianum feci*) *Vitas* ſcribere ſe conſtitutum habere, *illorum etiam, qui vel Caeſarum nomine appellati ſunt, nec principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam aut in ſpem principatus venerunt:* quod ſuum conſilium ad faſtidium iterat in extr. Aelii Veri; Peſcenn. 9. Macrin. pr. Vopiſc. in Firmo pr. Ergo inde a Iulio Caeſare omnium principum vitas perſcripſiſſe videtur: nec tamen ex iis quidquam ante Adrianum ſupereſt, a quo volumen Scriptorum hiſt. Aug. exordium facit.

Quaeri poteſt alterum, an, quod ſibi propoſuerat, Aelius Spartianus vere ſit exſequutus, quandoquidem Vopiſcus in D. Aureliano pr. cum quaeſiuiſſet

ſuiſſet praefectus vrbi: *quis vitam Aureliani in litteras retuliſſet?* reſpondit, *neminem a ſe Latinorum, Graecorum aliquos lectitatos eſſe;* probabile tamen foret, ſi Spartiani vita talis extitiſſet, Vopiſco eam innotuiſſe. Nec tamen ſatis tuto ita colligas; nam potuit hoc volumen ei non in manus venire, etſi extaret; nimium itaque ei concluſioni tribuit Caſaubonus in praefat. p. XXXVII. ed. Lipſ. incautius quoque Voſſius de hiſt. Lat. Quae *Spartiani* ſine controuerſia eſſe creduntur Vitae, ſunt *Adriani, Aelii Veri, Didii Iuliani, Seueri, Peſcennii Nigri;* hae quidem omnes inſcriptae: *ad Diocletianum Aug.* Vita *Caracalli* inſcriptionem non habet, habet vita *Getae,* in qua tamen *Conſtantinum Aug.* alloquitur auctor: contra morem reliquorum; ita vt hanc alterius ſcriptoris eſſe cenſendum ſit, etſi inuito Salmaſio.

Simile conſilium ſequutus erat *Iulius Capitolinus,* quem iam vidimus a Vopiſco (in Probo 2.) memoratum inter eos, qui ante ſe imperatorum vitas ſcripſiſſent: "*Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium.*" Inſcripſit ille eas *Conſtantino Aug.* eumque alloquitur in Maximinis duobus pr. vbi ſe teſtatur in eius gratiam *ſingulos quosque principes vel principum liberos per libros ſingulos* diſpeſcere. Sunt ergo plures vitae ab eo ſcriptae. Quaenam vero eae fuerint, diſerte expoſitum non eſt. Quae enim ei vulgo tribuuntur, magnam faciunt dubitationem, cum titulorum codicibus praefixorum neque magna auctoritas ſit, magna etiam varietas; temere enim grammatici in iis apponendis et omittendis, tum omiſſis alia nomina ſubſtituendo, ſunt verſati.

Par eſt dubitatio de *Vulcatio Gallicano*, cuius nomen Auidio Caſſio praeſcriptum eſt, et de *Aelio Lampridio*, cuius nomen prae ſe ferunt *quatuor vitae: Commodi, Antonini Diadumeni, Elagabali*, et *Alexandri Seueri.* Salmaſius in Codice Palatino omnes Vitas vsque ad Alexandrum Seuerum *Spartiano* tribui conſpicatus, ad opinionem, quam ante attigimus, admodum probabilem adductus eſt, vt diceret: *Aelium Lampridium* nullum alium eſſe quam *Aelium Spartianum*, cuius nomen *Aelius Lampridius Spartianus* fuerat; vtque ita a *Spartiano* profectae ſint *omnes vitae ab Adriano vsque ad Alexandrum Seuerum; vnde a Maximinis vsque ad Philippos ſuccedant Vitae a Iulio Capitolino perſcriptae.* (v. Salmaſ. ad Valerianos pr.) Sunt nonnulla quae ſatis conueniunt; repugnant alia. *Commodi* quidem vita manifeſte prodit eundem auctorem, quem *Marcus Antoninus* habuit, is autem *Iulii Capitolini* nomen habet praefixum; et c. 19. ſacratiſſimum Imperatorem *Diocletianum* appellat. *Diadumeniani* vita *Lampridio* adſcripta vix videtur alium auctorem habere poſſe quam *Macrini patris* vita; ſane quidem *Iulium Capitolinum* auctorem ea praefert ad *Diocletianum Aug.* itaque et hanc vitam *Spartiani* verius eſſe dixeris. *Elagabalus* male prae ſe fert inſcriptionem: *ad Diocletianum Aug.* Nam c. 2. de Antoninorum nomine, leguntur verba: "*quod tu, Conſtantine ſacratiſſime, ita veneraris, vt Marcum et Pium inter Conſtantios Claudiosque velut maiores tuos aureos formaueris.*" Idem auctor ſub f. c. 34. vbi in Antonino Elagabalo definit, *Scribere autem ordiar*, inquit, *qui mox ſequentur: quorum*

*Alexan-*

*Alexander optimus — Aurelianus praecipuus, et horum omnium decus, auctor tui generis, Claudius, de quo vereor — ne maleuolis adulatus videar eſſe; — his iungendi ſunt Diocletianus, aurei parens ſaeculi et Maximiani, vt vulgo dicitur, ferrei, ceterique ad pietatem tuam.* Nouas haec dicta tenebras obiiciunt. Apparet ſcriptorem opus per plures vitas detexuiſſe; *Alexander* ſane *Seuerus*, *Aelii Lampridii* nomen in fronte habens, ſubſequitur, adſcriptis verbis: ad *Conſtantinum Aug.* (pro quibus perperam ed. Lipſ. exhibet *Diocletianum Aug.*) extremis c. 65 ſqq. *Conſtantinum maximum* appellans multis agit de Alexandri laudibus ac virtutibus earumque cauſſis, in quibus memorat quoque hoc, *quod eunuchos nec in conſiliis nec in miniſteriis habuit, qui ſoli principes perdunt.* — Poſt multa addit: *Scio, imperator Conſtantine, quo periculo iſta dicantur, apud imperatorem qui talibus* (eunuchis) *ſeruit; ſed ſalua republica: poſteaquam intellexiſti, quid mali clades iſtae habeant et quemadmodum* (ſcil. illi) *principes circumueniant; et tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iuſſeris,* (quod iſto tempore honeſtiorum veſtimentum erat) *ſed neceſſitatibus domeſticis delegaris.* Vnum hunc in omnibus his vitis meminimus locum occurrere dignum hiſtorici grauitate et libertate Romana; nam, quomodo eunuchos aut ab imperatoribus admitti in palatium, aut ferri ab aliis potuerint, haud aſſequaris. Vix alia origo rei, a moribus Romanis et a religionibus chriſtianis abhorrentis, eſſe potuit, quam ſtolida aemulatio palatii ac faſtus regis Perſarum, quae imperatores, multo magis Orientis Byzantinos, tenuit,

vt ſui faſtigii, ad quod erant euecti, immemores, vanitate incredibili, ad pudendam humilitatem ſe demitterent, exterorum regum faſtum et luxum ipſi aſſumerent, ac ſi nunc demum pares aliis regibus habendi eſſent, ſi eos, quos tamen dignitate et potentia ſuperare videri volebant, externo faſtu aequarent. Cum ſemel peſtis iſta eunuchorum aulam inuaſiſſet, tolli nequiit. Iam antea Elagabalus eos ex Syria adduxerat; at Alexander Seuerus eos *de miniſterio ſuo abiecit, et vxori, vt ſeruos, ſeruire iuſſit* ſqq. nam locus eſt videndus in eius vita c. 23. *Aureliani* Vita, quam in hac farragine habemus, auctorem praefert *Vopiſcum*, *D. Claudii Trebellium Pollionem ad Conſtantinum Aug.* Aut igitur iſtius, qui *Elagabali* et *Alexandri Vitas* ſcripſit, periere reliqua, ſubſtitutis aliis in eorum locum: aut *Elagabalum* et *Seuerum Trebellii Pollionis* eſſe dicendum eſt; ad quae miramur, Salmaſium nec alios attendiſſe. Certe in aperto eſſe videtur, Alexandri Seueri vitam meliore habitu cultuque ſe commendare inter veteres. Facit quoque auctor tanquam epilogum c. 64. *hactenus imperium P. R. eum principem habuit, qui diutius imperaret — vsque ad eos principes, qui latius imperium tetenderunt, Aurelianum dico et deinceps, de quibus ſi vita ſuppeditauerit, ea, quae comperta fuerint, publicabimus.*

Ex *Iulii Capitolini* nouem libellis *trini* ſunt *ad Conſtantinum Aug.* de quibus nec ipſe Salmaſius controuerſiam mouet, *Maximini duo*, *Gordiani tres*, *Maximus et Balbinus*. Eiusdem Vitas *Pii*, *Marci Antonini*, *Veri*, *Pertinacis*, *Clodii Albini et*

*Opilii*

*Opilii Macrini*, *Spartiano* vt aſſignaret, Salmaſius habebat auctoritatem codicis Palatini; et *Pius*, *Verus*, *Macrinus*, *Albinus*, *Diocletiano Aug.* inſcripti ſunt. In *Marco* autem c. 19. *Diocletianum* appellat auctor. Nec de ceteris intercedimus, niſi quod de *Clodio Albino* non habemus, quod ſtatuendum ſit; in ipſo enim opere c. 4. *Conſtantinum maximum* alloquitur; vnde probabile ſit fundum eſſe *Spartiani*, eum feciſſe ſuum et adieciſſe alia de ſuo *Capitolinum*.

Supereſt *Auidius Caſſius*, cuius auctor *Vulcatius Gallicanus*, ignoti nominis homo, inſcriptus eſt; itaque et hanc vitam *Spartiano* tribuere malebat Salmaſius cod. Palatino tantum tribuens, quantum vix ſatis tuto ſtatueris.

Secundum haec, quae adhuc dicta ſunt, etiam *de annis* quibus hi ſcriptores vixere, non niſi probabiliter ſtatui poteſt. *Spartianum* Diocletiani, *Iulium Capitolinum*, Conſtantini M. *Trebellium Pollionem* Conſtantii Imp. tempore, et *Vopiſcum* iisdem temporibus, etſi illis iuniorem, vixiſſe, ipſi teſtatum fecere.

*Numerus* horum *libellorum* eſt XXXIV, qui tempora inde ab Adriano vsque ad Cari mortem, cui Diocletianus ſucceſſit, hoc eſt ab a. C. 117. ad 282, eoque numerum annorum 165 complectuntur; vt Vitas Suetonii ſi non re, ſaltem ſpecie aliqua continuare videri forte poſſint; deſunt tamen Vitae *Neruae* et *Traiani*, interciderunt quoque poſt *Gordianos*, et *Maximum cum Balbino*, vsque ad *Valerianum*, *XV Imperatores*; qui annos circiter nouem aut decem de imperio inter ſe de-

certarunt, in his *Philippi*, *Decius*, *Gallus*, *Hoſtilianus*, *Voluſianus* et *Aemilianus*. Probabile fit, fuiſſe aliquem, qui ex ſcriptoribus diuerſis, qui ea aetate, qua vixit, ſupererant, ſeriem vitarum ſiue inde a Caeſare, ſiue a Nerua et Traiano, ſiue demum ab Adriano, contexere voluit, forte vsque ad Conſtantini tempora; Ex eo codice poſt aliquod tempus foede lacero et corrupto fuit, qui *eum codicem* conficeret, ex quo *noſtri codices*, pauci numero, in his quidem princeps Palatinus, antiquiſſimus, quo Salmaſius vſus eſt, fluxere g).

Perplexe ſatis diximus multa de re impedita nec ſatis diluenda, ad quemnam vita quaeque auctorem referenda ſit; eſt tamen in hiſtoriarum fide haud leuis momenti res, auctoritatem teſtis, hoc eſt ſcriptoris, certe tenere. Grauiora itaque et fide digniora ſunt, quae ex Dione Caſſio et ex Hero-

g) Ex cod. Palat. expressa esse videtur ed. princeps Mediolanensis 1475 Salmasio testante; Casaubonus tertiam editionem Venet. 1490 pro principe habuerat; idem cod. Parisino et Puteani vsus erat. Verum litteraria huius generis haud attingimus, ex libris notis petenda; etiam ex Puttmanni praef. ad ed. Lips. et edit. Bipont. Ceterum desideramus, si quam aliam, horum vtique scriptorum recensionem, mole commentariorum liberatam, instructam tamen iis, quae vnicuique liberaliter instituto scitu necessaria sunt ad eam lectionem; mirum fuit iudicium eorum, qui editionem Lipsiensem curarunt, quod putarunt, ita se rem egregie perfecisse, si indicem Latinitatis adiecissent; quasi hoc illud esset, quod in lectione eiusmodi librorum paullo prudentior aliquis, nisi otio abundans, quaesiturus sit. Res ipsae, et quae ex more, habitu et vsu horum saeculorum illustranda sunt, apponere curabit editor.

Herodiano petita legimus. Verum ex his ſcriptoribus, niſi forte Vopiſcum exceperis, nullus alterum fide et auctoritate antecedit; nam nec ea ſcripſere, quae ipſi viderant aut ab iis, qui interfuerunt, acceperant; rumores, vt iam dictum eſt, vulgi exceptos ab aliis ac perſcriptos iterum recoxerunt. Inſunt tamen his ipſis veſtigia luculenter et ſignate expreſſa temporum et principum; quae ſi perſequaris induſtrie, facile agnoſcas, qualis reip. adminiſtratio, palatii formula et diſciplina, praua hominum ſtudia, ſeruientium adulatio, dominorum faſtus et ſuperbia, inde luxus et mollities, fuerint: etſi ad haec aſſequenda, non magno acumine opus eſt, et in omni aetate, omnibus regnis et palatiis, Perſarum et Parthorum, Orientis et Occidentis, occurrunt paria. Nihil tamen eſt, quod aliunde tam plane ac perſpicue intelligas, quam ſunt extremae calamitates, ad quas *imperium militare* neceſſitate, omni prudentia maiore, ducit, mox praeceps ruit, enerue et debilitatum malis internis, corruens et protritum, ſi externa vis, vigor et virtus, labantes vires percuſſit. Effrenis praetorianorum, tum legionum, licentiae, ad quam aliquando illae prolapſae ſunt, exempla vix fidem reperiunt; tum largitiones, ſtipendia, donatiua iis facta, omnem fidem ſuperant; ita vt his ſolis expenſis aerarium exhauriri, prouincias atteri, neceſſe fuerit. Omnino non niſi attriſtati ab hiſtoriarum lectione recedimus, maxime tamen ab hiſtoria principum Romanorum, quod manifeſtum fit, magna imperia perbreui flore iuuenili viguiſſe, longo vero ſenio, tabe et torpore, vsque ad

decrepitam aetatem defeciſſe; confecta eſſe ea ſuis viribus, ad ſe tutandum conuerſis; opes ciuium priuatas attritas eſſe et abſumtas ad opes publicas ſuſtentandas; ita ſine vi, ſine metu, regi imperia non potuiſſe; metum autem, legionum numero et diſciplina contineri; imperium militare ipſa re ducente verti in dominationem, diſciplina militari in ciuilem migrante. Iam, ſi mali principes, ſeu praua inſtitutione, ſeu ignauia et luxurie, corrupti ſuccedunt, meliorem rerum reſtituendarum praeciſa eſt ſpes et expectatio omnis, quia fons et ſcaturigo omnium malorum, palatium ipſum et aula, nec ab optimo principe, emendari potuit; militaris autem licentia omnem coercitionem reſpuebat; ſuſtinebantur quidem res aliquamdiu rei militaris cura diligentiore, ad quam Romanos imperatores inuitos trahebant barbarorum incurſationes; mox tamen, neruis rei militaris exciſis, aerario exhauſto diſciplinaque laxata, corruere ipſum imperium neceſſe fuit.

Ad haec atque ſimilia ſi quis in ſcriptorum Hiſtoriae Auguſtae lectione animum aduerterit: non ſine omni vtilitate ab ea recedet; multa alia ad imperii Romani adminiſtrationem, officiorum, inſtitutorumque ſub Impp. deſcriptionem, maximeque innumera ad iuris hiſtoriam ſpectantia, quod iam viri docti ſatis declaratum dedere *h*), reperire licebit: ita vt ICtis, qui legum cauſſas et rationes ab inſtitutis fortunisque temporum repetere

*h*) In his Gottfr. Maſcov. nota Oratione a Puttmanno repetita in ed. Lipſ.

tere didicerunt, hos ſcriptores familiari lectione frequentare neceſſe ſit. Multa occurrunt alia, iis notabilia, qui ad temporum iudicia, ad populorumque opiniones et ſenſus, hoc eſt, ad modos de rebus quibusque ſentiendi et cenſendi cuiusque aetatis, aut ad artes et litteras, ad ſuperſtitiones et mores, animos attendunt. Modos acclamandi in Senatu non alibi tam diſerte expreſſos vidimus, quam in his ſcriptoribus: in Commodo 18. in Alex. Sev. 6. 7. 56. etiam in exercitu v. c. Diadum. 1. et ſaepe. Abierat res tandem ad ineptias, quas interdum intolerabiles dixeris, vt in Tacito 5. Claudio 4. Quod tamen notabile viſum eſt, vt in acclamationibus, ita in Senatus decretis, in orationibus et aliis actis publicis: affectatum eſt iſto tempore, quo cum vera libertate verus quoque recti ſenſus dudum euanuerat, *genus loquendi per mera inciſa, abrupta et hiantia.* Exemplum apponere placet ex D. Claudio c. 18. *Claudi, dux fortiſſime, aueas; virtutibus tuis, deuotioni tuae* (ſcil. bene ſit!) *Claudio ſtatuam omnes dicamus. Claudium conſulem omnes cupimus. Qui amat remp., ſic agit. Qui amat principes, ſic agit. Antiqui milites ſic egerunt. Felicem te, Claudi, iudicio principum,* et ſic porro. Putes Gallo-Francum aliquem exercitum vel multitudinem alloquentem audire; credas eos funem ex arena torquere! tam parum cohaerent ſententiae ac verba. Placuere tamen ſibi in hoc homines; inuenti quoque ſunt nuper inter Germanos, qui exemplum egregium ſequerentur. Alio modo memorabile eſt, quod Marcum Antoninum legimus vnum quemque

ciuium

ciuium iuſſiſſe apud aerarii praefectos intra trigeſimum diem, in prouinciis apud tabularios publicos, liberos natos profiteri: (Marc. 9.) reuocato ſic antiquo more, quem a Seruii inſtituto ductum eſſe voluit Dionyſ. Hal. IV. 18. auctore Piſone; ſeruatus ille, certe repetitus eſt aliquoties *i*). Non diu tamen poſt iterum neglectum eſſe morem vtiliſſimum credere licet; quandoquidem ea, quae publice vtilia ſint, raro durationem habent parem *malis publicis*, quae cum aliqua *priuatorum vtilitate* coniuncta ſunt. Nouum inuentum fabricae miramur in Pertinace c. 8. vbi in auctione rerum Commodi multa luxus inſtrumenta noua memorantur, tum quoque *vehicula arte fabricae noua, perplexis diuerſisque (flexuoſis) rotarum orbibus, et exquiſitis ſedilibus, nunc ad ſolem declinandum, nunc ad ſpiritus opportunitatem, per vertiginem; et alia iter metientia, horasque monſtrantia, et cetera vitiis eius conuenientia.* Verbo: fuere currus rotis verſatilibus, vt in contrarias partes verti poſſit curſus, adiuncto hodometro et chronometro. Vidimus in loco aliquo Lampridii c. 27. (al. 26.) Alexandrum Imp. voluiſſe *omnibus officiis genus veſtium proprium dare et omnibus dignitatibus, vt a veſtitu dignoſcerentur.* — *Sed hoc Vlpiano Paulloque diſplicuit dicentibus plurimum rixarum fore, ſi faciles eſſent homines ad iniurias:* ſcil. quia ſic dignoſci facile poſſet quisque cuius ordinis eſſet. Noſtrae aetati Vlpianus Paullusque hoc

*i*) Mentio moris vtique fit in Suetonii Nerone 39. An *acta publica* de eo accipi possint in Tiber. 5. Calig. 8. dubitare licet. v. de his Arnzen. Actis Societ. Traiect. p. 146.

hoc idem perſuadere haud potuere. Aliud memorabile viſum in Alexandri vita 43. quem in Chriſtianos aequum fuiſſe ſatis conſtat, non aeque alterum vulgo notum eſſe putamus: iam Adrianum voluiſſe Chriſtum inter deos recipere, "*qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri, quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani; quae ille ad hoc paraſſe dicebatur; ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optate eueniſſet, et templa reliqua deſerenda.* Habet haec pro commentitiis, quibus ſcriptor ſibi a Chriſtiano aliquo homine imponi paſſus ſit Gibbon (c. XVI. nota 115.) nec tamen omnino abhorret ab ingenio Adriani, qui, ſi quis alius imperator, multarum litterarum notitiis, ex peragratione prouinciarum auctis, inſtructus, nec philoſophiae rudis, facile eo adduci potuit, vt de Chriſtianorum religionibus prudentius ſtatueret.

Vtiliter dicta et ſententioſe occurrunt pauca, etſi etiam ab aliis frequentata. Placet Pius c. 7. *nihil eſſe ſordidius, immo crudelius, quam ſi remp. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Grauiora his ſunt, quae dixit fecitque Alexander imp. cuius vita videnda eſt cap. 15. 41. 45. 49. al. 14. 40. 44. 48. *qui nec quenquam paſſus eſt eſſe in palatinis* (aulicis) *niſi neceſſarium hominem;* quid diceremus, ſi principem noſtri aeui ad haec devenire videremus! *Iureiurando deinde ſe adſtrinxit, ne quem adſcriptum, hoc eſt, vacantium,* (ſine — cure) *haberet; ne annonis* (gratuitis ſtipendiis ſeu ſalariis bene-

beneficiariis) *remp. grauaret; dicens, malum populi villicum eſſe imperatorem, qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios nec reip. vtiles, paſceret.* Ita quoque in aulicos, qui *fumum venderent*, hoc eſt, acceptis muneribus promitterent et falſo iactarent ſe aliorum preces ad imperatorem retuliſſe, acerbiſſime vindicauit. (c. 35. 36. al. 34. 35.) Inter ciuilitatis exempla quae in Pio fuit, eſt cap. 11. hoc: *quum domum Omelli viſens, miransque columnas porphyreticas, requiſiſſet, vnde eas haberet, atque Omollus ei dixiſſet:* Quum in domum alienam veneris, et mutus et ſurdus eſto; *patienter tulit.* Sed ſunt in ea vita, quae ex melioribus eſt, alia plura huius generis notabilia. In Seuero 20. autem: *Et reputanti mihi, neminem prope magnorum virorum optimum et vtilem filium reliquiſſe, ſatis claret.* Triſte effatum! Idem Seuerus c. 18. *ex humili* (loco), *per litterarum et militiae officia ad imperium pluribus gradibus a fortuna ductus*, poſtquam per omnia ſaeuitiae genera imperii habenas manu valida retniuiſſet, dixiſſe fertur: *omnia fui, et nihil expedit.* Vides rerum omnium vanitatem barbare quidem, nouo tamen modo, declaratam.

Conſtitutum erat, vt adiiceremus non nulla de ceteris hiſtoricis minoribus, ſeu puſillis verius, qui per epitomas Caeſarum vitas in aciem eduxerunt: Abiiciendum tamen hoc videmus, ne quis nobis acclamet ſollenne illud: *hoc age!* Praeconis itaque academici vicibus ſuſceptis agimus hoc, vt pronuntiemus, depoſito magiſtratu per ſemeſtre elapſum feliciter geſto, Senatus academici acclamatione,

matione, ex principali ſanctione, ſucceſſorem nunc eſſe datum Virum Illuſtrem,

GEORGIVM FRIDER. DE MARTENS Dr.

doctrina, meritis, vitae grauitate et dignitate, conſpicuum, iisque ingenii dotibus animique virtutibus inſignem, quae veſtris animis, Commilitones, reverentiam inſinuet, inuitis quoque obſequium extorqueat. Habemus itaque, cur optima quaeque de rep. noſtra ominemur; vos autem, Ciues, auguramur, cum paucorum, qui ex clandeſtinis ſodalitiis et nefariis ſicariorum armis licentiam facinorum ſibi quaerunt, proteruia calcata ſit et protrita, legum ſanctitatem iuriumque aequalitatem, cum modeſtiae et verecundiae laude, diligenter et religioſe eſſe ſeruaturos.

P. P. pridie Kal. Mart. cIↃIↃccciii.

V.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GEORG. FRIDER. DE MARTENS
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
HENR. AVGVSTVM WRISBERG D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS MARTIAS cIↃIↃCCCV.

*Cenſura XII. Panegyricorum veterum.*
Commentatio prior.

Etſi bene nouimus, Ciues, in praeſenti rerum conditione, nulla cum hominum offenſione intermitti poſſe morem indicendi nouos magiſtratus academici faſces; non tamen hac veniae facilitate abutimur, vt, non ſine calliditatis aliqua ſuſpicione, ſubducamus nos officio noſtro, et deſeramus inſtitutum Academiae noſtrae, legum auctoritate ſancitum, maioribus noſtris probatum, et vtilitatibus ſuis commendatum. Abrogato enim ſemel hoc, Academiae nomine, publice agendi et commen-

commentandi officio: cum nulla alia ſit opportunitas, qua corpus academicum memorationem ſui publice faciat, rerumque ſuarum vices fortunasque edoceat: ſi prorſus obmuteſcimus, nomini et famae Academiae aliquantum erit detractum, nec rerum academicarum notitiae per vulgares libellos litterarios cum pari dignatione edentur. Sublata porro, poſt alia, neceſſitate hac latine, hoc eſt, ſermone litteris eruditis conſecrato, ſcribendi, quid obſtabit, quo minus ſenſim tantum non omnem litterarum latinarum vſum, et cum vſu facultatem, amittamus? qui ſi prorſus exoleuerit, quot et quanta ipſis diſciplinis ſuperuentura ſint detrimenta, et ante ſenſimus, et in poſterum ſentiemus multo magis. Praeterea rerum experimentis ſatis edocti ſumus, quam periculoſa res ſit, vetera inſtituta ritus moresque ab incautis relaxari: initio ſcilicet ab iis facto, quae, ſi omiſſa fuerint, aut pro tempore nullum, aut non magnum ſui deſiderium mouent, progreſſus eſt procliuis ad alia grauiora, cum officii fide et religione coniuncta, et ſalubria, moleſta tamen et negotioſa, vt ea pari iure omittantur. Ita tandem euenit, vt optima quaeque inſtituta neglecta euileſcant, conſeneſcant, intermoriantur. Sero tum paratur medicina malis iam praeualeſcentibus; priſtina diſciplinae, legum, inſtitutorum, ſanctitas fruſtra deſideratur; et munimentis, quae eluuiei obſtare poſſent, prorutis ſero de ſtruendo nouo legum aggere cogitatur. Hisce ſimilibusque cogitationibus adducti, quantum pro noſtris partibus fieri poteſt, ne deſerta officia incaute omittendo poſteris

ris iuſtam de nobis conquerendi cauſſam praebeamus, ſed ſpartam religioſe tuendo aliis exemplo et auctoritate praeeamus, veterem morem etiam iniuſſi ſeruare e re noſtra eſſe duximus.

Itaque nunc quoque, Viro Illuſtri,

HENRICO AVGVSTO WRISBERG Dr.

in Prorectoris vices ſuccedente, officio noſtro ſatisfaciendum eſſe arbitrati ſumus, vt ciuibus noſtris indicta in Kal. Martias fauſta magiſtratus auſpicia publice nuncuparemus. De *magiſtratu* quidem, per quatuor ſemeſtria continuato, cum *Eius, qui eum geſſit*, nomen huic paginae praeſcriptum ſit, intercedente modeſtiae lege, nihil memoramus; *memorabilis ille in faſtis academicis per omnem poſteritatem habebitur;* quantopere autem reip. noſtrae incolumitas et ſalus viri ſummi prudentia et vigilantia ſuſtentata ſit, tacentibus nobis melius intelligitur quam noſtra oratione nunc quidem declaratur.

Mirari licet, inter Romanos ſcholas rhetoricas tum maxime increbuiſſe, cum eloquentiae flos et honos dudum defluxiſſet, nutrimentis ex ipſo rerum actu ſubductis, cum eius vſus in rebus gerendis vix eſſet vllus; quandoquidem nec cum populo agebatur, in Senatu ſententiae caute ac timide, non libere et diſerte, dicebantur, in foro autem cauſſidicorum mercenariae voces ſonabant. Nunc tamen rhetorum exercitationibus, ſuaſoriis, deliberationibus, accuſationibus, perſtrepebant pergulae et diſcipulorum cathedrae: non aliter ac ſi mimum agerent priſtinae vitae et dignitatis ii,

quibus erepta erat veritas: etſi nondum eo deuenerat res, quo in noſtris academiis, in quibus omni iam eloquentiae vſu abrogato Profeſſores eloquentiae conſtitui ſolent, vt artis memoriam nomen ſaltem retineat. Si tamen iis, non tam vmbraticas et ſcholaſticas litteras docendo, quam certis temporibus pro concione dicendo, exercendi muneris facultas publice daretur: poſſit forte aliqua eloquentiae vis eſſe ad iuueniles animos, modo ſuadendo et hortando, modo conciones funebres habendo; cum nunc ne Collegarum quidem Elogia deſiderentur. Nunc vero, pro rhetorica atque pro ipſa eloquentia, habentur ſcriptiones et recitationes, in quibus nec perſpicuitatem ſermonisque proprietatem, multo minus elegantiam et venuſtatem requirimus; ſatis habentes verba compendiorum et ſyſtematum effundere; ita vt ne quidem ſubtiliter cogitata ſermone populari reddere et repraeſentare aliis, quam ſcientiae et artis vocabulis, didicerimus. Poſteaquam autem diſciplina philoſophica in tot ſectas inter ſe diſſidentes diremta eſt, ſchola quaeuis non niſi verbis ſuis ſollennibus ſenſus ſuos et cogitata declarare valet, ita vt ſi, alius ſermo ſubſtituendus eſt, obmuteſcendum ipſis ſit: ſi modo philoſophus ſuas opiniones tuendo vnquam obmutuit. Adeo receſſum eſt ab vſu veterum, qui eloquendi artem ad publicas orationes fere ſolas retulerunt, de ſcriptione et ſtilo ne quidem in ſcholis praecipiendo; nos contra, ſcriptionem in chartis tantum non pro ipſa eloquendi arte habemus. Verum iſtis, de quibus agimus, aetatibus, omiſſis diſciplinis ceteris, omnis

F 2 fere

fere litterarum doctrina continebatur ſcholis grammaticis et rhetoricis, quibus iuuenes aſſequerentur facultatem qualemcunque dicendi ac ſcribendi: qua ſi inſtructi erant, ad munera obeunda et petendos palatii honores ſatis praeſidii ex litterarum ſtudiis habere credebantur: quemadmodum noſtra aetate, ſi iuris prudentiae qualemcunque notitiam imbibiſſent iuuenes, ad omne munerum publicorum genus egregie inſtructi eſſe exiſtimati ſunt. Sane quidem in reipublicae libertate nullae erant ſcientiarum ſcholae publice conſtitutae, niſi quod ex Graecorum diſciplina proficiebat iuuentus Romana: verum exemplis dicendi et agendi quotidie in conſpectu poſitis fingebantur ingenia iuuenilia, moxque ipſo rerum actu acuebantur, progreſſu ab alia ad aliam reipublicae partem, eiusque adminiſtrationem et curationem, facto.

Inter haec tamen, cum omnis alia oratoria laus ſilentio obſcurata iaceret, vnum perorandi genus ad laudem publicam emerſit, quod *panegyricum* appellant: de quo cum varie ac parum accurate plerumque pronuntietur, nonnulla a nobis praefanda ſunt. Scilicet iam antiquis Graecarum litterarum aetatibus celebratum eſt dicendi genus *ἐπιδεικτικὸν* dictum, ſeu *demonſtratiuum*, cum haberentur orationes, *ἐπιδείξεις*, *demonſtrandae*, hoc eſt oſtentandae, *artis* cauſſa, indictis *auditionibus a*). Iam, cum eius qui ad dicendum prodiret animus haud magnopere commotus et affectu percuſſus eſſet, ſed in ingenii et artis meditatione eſſet occupatus:

a) *ἀκροάσεις* dixere, erantque eae plerumque *ἐρανικαὶ* et *ἔμμισθοι*.

cupatus: huius dicendi generis vanitas, cum ex ſententiarum ſpecioſarum praeſtigiis, ex ſcita vocum coaſſatione, et verborum numeroſe cadentium ſuauitate, ingenii et orationis laus quaereretur, quantas verae eloquentiae corruptelas afferret, mature intellectum eſt; id quod ex philoſophorum contra ſophiſtas diſputationibus conſtat. Argumenti quidem dignitate aliquantum ſuſtentari potuit id vmbraticum eloquentiae genus, vt in Epitaphiis orationibus, in Iſocratis Panathenaico et Panegyrico. Cum iſti rhetores in hominum non modo circulis, ſed conuentibus, interdum in ludorum, vt Olympiorum, celebritate, verba facerent: ipſi coetus, πανηγύρεις, nomen fecere *panegyrico;* vt proprie eo nomine dicerentur orationes omnis generis in ſollenni coetu habitae a ſophiſtis Graeciae et Aſiae vrbes peragrantibus, oſtentandae artis et quaeſtus faciendi cauſſa: magis forte opimi, quam noſtrorum hominum, qui nuper declamationes et recitationes oppidatim in circulis facere inſtituerunt. Orationum iſtarum argumenta, inde a Gorgia, Hippia et Prodico, ſaepe erant petita a laudatione modo deorum et heroum, modo vrbium et ciuium; qualis eſt Iſocratis panegyricus, etſi cum hortatione ad bellum cum Perſis ſuſcipiendum adiuncta; interdum quoque factorum illuſtrium ac virtutum: in quibus locum communem fere conſtituebant Athenis laudes maiorum, et in iis Marathon, Salamis et alia, quorum recordatione ii, qui tum erant, pudore potius ſuffundi debebant, quam vt aliena gloria ſe iactarent; vt ſolent maiorum nomen ac famam ii oſten-

F 3 tare,

tare, qui ex ſe nihil habent quo ſuperbiant. Per haec euenit, vt nomen, quod genus aliquod publice dicendi omnino declarauerat, ad certam aliquam partem τὴν ἐγκωμιαστικὴν reuocaretur, diceretur que *panegyrica* oratio proprio aliquo vſu *laudatio;* inualuitque adeo, vt omnis fere eloquentiae vſus intra laudationes ſubſiſteret *b*).

Recte ac cum laude facta ſatis eſt memorare; ſi quid praeterea deſideres, eſt, vt cauſſas, a quibus profecta ſint, conſilia, prudentiam, omnem animi virtutem, qua ad euentum ea adducta ſint, in luce collocari, et conſentanea oratione ornari velis. Atqui eae partes ſunt hiſtoriae,

*b*) Horum, quae dicta sunt, illustatio petenda est ex Cresollii Theatro rhetorum III, 7. vbi et de hoc genere encomiastico per rhetorum ineptias ad res ludicras, interdum et viles turpesque elapso loca adscripta sunt. Inter antiquiores locus fere communis erant laudes Herculis: e quibus multa in fabulas veteres migrarunt: v. de Hercule Musageta in Commentationum Soc. R. G. Vol. VIII. Sane ii ipsi, qui artis praecepta tradidere, Aristoteles, et Theophrastus, seiunxerant encomiasticum genus a pragmatico, quod in caussarum veritate versatur, ita vt illud vellent in ostentatione ingenii se continere. Videat aliquis vulgatum ab Heerenio Menandri rhetoris libellum, vt cognoscat tenuitatem argumentorum, quae ille tractare iubet. Valde ieiunum est caput in quo de eo agit Quinctil. III, 7. et de laudum fontibus ac caussis in Aristot. arte rhet. I, 9. Res inter se diuersissimas vno *Elogiorum* nomine complexus est eloquentissimus scriptor Thomas *sur les Eloges.* nuper prodiit *spicilège de Litterature ancienne et moderne* — p. *J. L. Coupé,* ancien Professeur de l'Université de Paris. *Panegyriques.* deux Parties. 8. 1803. de toto genere panegyr. tum verss. et excerpta Panegyricorum vet. et rec. verbose, sed docte collecta.

riae, habentque fundum veritatem. Sane quidem, ſi intra narrationis ad rerum veritatem factae fines ſe contineret oratio laudatoria, poſſet illa magnam vim et vtilitatem cum ad eum, qui vere laudatur, tum ad audientes, quibus in rebus vera laus ſpectetur, edocendos. Enimuero omnis oratio, in mera laude occupata, per ſe eſt ſuſpecta et aleae plena. Laudatio enim flagitat virtutem non quamlibet, non vulgarem, ſed magnam, per ſe illuſtrem, generoſam, per res magna animi vi, prudentia, conſtantia, non ſuae, ſed vtilitatis publicae cauſſa, moleſtiis, laboribus, periculis ſuperatis, forte cum ipſo patrimonii diſpendio, vitae diſcrimine, geſtas et curatas, declaratam; quae enim, vt officio tuo ſatisfaceres, peregeris, ea probantur, non laudantur; vt laudentur, requiritur aliquid, quod vltra officium cumulatum ſit. Haec ſunt illa, quae audientium animos admiratione percutiunt, ſimili gloriae ſtudio aemulantium pectora inflammant, quibusque efficitur, *vt panegyricus cum laude oratoris, et cum fructu ad alios, audiatur.* Iam talis virtus vt eſt perrara, ita eam quilibet affectat et ſimulat, ideoque lubenter audit facta ac merita ſua ab aliis tanquam ab haud vulgari virtute profecta amplificari. En inſidias laudanti oratori ſtructas, laqueos tecte poſitos; dum odium ſtudet effugere, gratiam captare, adulatoris partes ignarus ſui agit. Ipſum illud ſtudium molliendi duriora et cauendi offenſiones obtundit dicendi impetum; cui graviores ſtimulos ſubiecturum eſſet contrarium argumentum, accuſandi improbos: in quo facile ad pathos euectura eſſet ingenium ipſa actio. Rara

itaque ſunt tempora, rarae conciones, rarae cauſſae, quibus ingenium dicentis et audientium ſtudia poſſint excitari et teneri. Panegyricus requirit affectum, qui et inflammatus ſit et inflammet. Materiam idoneam et fomitem raro vita ciuilis ſuppeditat; mirationem faciunt, ſenſusque animosque percellunt ea, quae, cum per ſe ſint praeclara, vtilia, ſalutem publicam continentia, magno animo, magna et rara virtute, conſtantia, qua vulgo humana ingenia haud facile eminent, ſunt effecta. Etiam is, qui irae, etſi iuſta in cauſſa, imperauit, iniurias et odia remiſit, vlciſcendi opportunitates praetermiſit, mirationem faciet; ſic Iulius Caeſar ignoſcendo Marcello, Ligario, Deiotaro.

Dicat aliquis: ita melius eſſe, vt ab iſto laudum et rerum faſtigio deducta oratio ſe contineat in ea laudatione, quae mitiores et molliores affectus mouet memoratione et exornatione virtutum ciuilium; laudationes eſſe habendas virorum bene de republica meritorum, grata factorum memoria, vitae priuatim publiceque exactae commendatione: egregiam e philoſophicis praeceptis materiam, ſententiarum vtilium copiam, huic generi propoſitam eſſe, vnde magna vtilitas ad audientes manare poſſit. Recte haec, modo aetas noſtra alienas laudes patienter ferret, nec, de ſua tantum gloriola quisque ſollicitus, mallet detrahere aliis quam bonorum merita ante oculos ponere. Etſi nec multi de iuſtitiae, honeſtatis, moderationis laude magnopere laborant; ingenioſi, docti, eſſe volumus, et vel pudoris impendio, cum bonorum

inſectatione, litterariam laudem venamur. Inde fit, vt meritiſſimorum virorum memoriam cum funere elato videamus eſſe extinctam et ſepultam; nam nec hoc ſatis certo ac tuto pronuntiatum eſſe cenſemus, inter viuos regnare liuorem, poſt fata quieſcere, aut, inuidiam ſupremo fine domari, et eundem, qui fulgore ſuo vrebat, et artes infra ſe poſitas praegauabat, extinctum amari. Immo vero arrodunt oſſa, qui carnes viuis detraxerant.

At enim repones, non omnem laudationem panegyrico eloquio contineri; nullum dicendi genus, nullam formam eſſe, in qua laudatio locum non habere poſſit, eoque illam modo aſſurgere, modo ad ſimplicitatem et ſuauitatem, diſputando quoque, ſe remittere, vt in Platonis Phaedro de amore *c*). Vere ac recte haec; haberi quoque poſſunt orationes, quae non in ipſa laude nec vnice ſint occupatae, etſi cum laudibus coniunctae; ſolent quoque illae panegyricorum nomine comprehendi: vt ſi gratiarum agendarum cauſſa, cum gratulandi officio, ad conſolandum, ad cohortandum, habentur: hae vtique, ſi res ipſae laudem mereantur, laudes quoque ſibi pro parte vindicant; eſt enim harum rerum magna cum laude cognatio; nam laudantur ea quae ſuadentur, quae deſideramus, ad quae hortamur et impellimus.

Neſcio tamen, quo fato fiat, vt, cum ſenſus et affectus animi ex eo, quod ſeu gratulandi ac laetandi ſeu gratias agendi cauſſa ſuſceptum erat, lar-



*c*) τὸν πανηγυρικὸν Πλατωνικὸν λόγον appellat Hermogenes de formis orat. lib. II. p. 477 sq. ed. Colon. 1614.

gam materiam orandi haberet, hae tamen orationes totae fere conſumantur laudibus, et ab eo quod principe loco propoſitum erat, recedant *d*). Quid enim Plinius? cum gratias agere vellet Traiano in conſulatus auſpiciis, quid aliud egit, quam vt totus eſſet in Principis laudibus, iuſtis quidem, ſed vltra propoſiti cancellos euagantibus? Eo minus mirabimur, ſeriores panegyricorum auctores, etiam meliores, dum ſe ad Plinii fere exemplum compoſuere, in Imperatorum laudibus ſummam orationis poſitam eſſe putaſſe. In republica quidem libera laudationum vnum genus memoratur funebrium, non omnino illud improbandum; niſi et ipſum vanis falſisque laudibus maiorum fuiſſet corruptum. Atque hoc vnum eſt ex iis, quae ex maiorum inſtitutis vel maxime deſideramus; ſermones funebres, qui ad tumulum vel feretrum virorum meritis inſignium haberi ſolebant. Quid? quod praeclaram amiſimus opportunitatem mouendi affectus et excitandi ſenſus in iuuenilibus animis ad defunctorum corpora in dormitorium demittenda! Ex quo vero ſumma poteſtas in vnius manu fuit conſtituta, laudum quoque immodicarum illecebras inter argumenta ſuaſoria relatas videmus ab ſummo oratore Cicerone in deprecationibus pro M. Marcello et pro Ligario. Sub Imperatoribus vero nemini cum populo agere licuiſſe facile expectes, cum rerum ſumma apud Principem eſſet, pericu-loſa

*d*) Ipse Plinius testis c. 4. *Sed parendum est SCto., quo ex vtilitate publica placuit, vt Consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes quae facerent, recognoscerent, mali, quae facere deberent.*

loſa autem eſſet licentia priuatis conceſſa publice de republica dicendi; nec locus fuit eloquii ſollennis niſi in Senatu, ſiue ſententiis ad Principis voluntatem dicendis, ſiue in iudiciis capitis in Senatu habitis, gratia forte Principi agenda, ſi diſcrimen reus effugiſſet, tum inprimis a Conſulibus creatis ſub ipſa magiſtratus auſpicia: quas orationes praeſente Principe dictas prorſus ad adulationem compoſitas fuiſſe vel ex Plinii panegyrico diſcimus, cum *nihil ante tam vulgare, tam paruum in ſenatu actum eſſe dicat, vt non laudibus principum immorarentur, quibuscunque cenſendi neceſſitas accidiſſet; — patiebantur illi, et, quaſi meruiſſent, laetabantur* (c. LIV.). Ita adulationibus aſſueſcere Principes neceſſe fuit, inprimis ſi ſollenni more per ſingulos annos idem officium perageretur, alio poſt alium idem argumentum retractante, variante, certatim ornante; audiret autem idem ille, cui non modo placendum erat, verum etiam adulandum: quomodo enim is, qui nullius virtutis, nullius verae laudis ſibi conſcius eſt, non ſibi placeat ac plaudat, ſi ſocordiam in leuibus et nugacibus rebus occupatam induſtriae pro ſalute publica exſertae nomine commendari audiat!

Ad ſeruilem prorſus adulationem proceſſum eſt deinceps a rhetoribus, quos Sophiſtas appellabant, cum in panegyricis, quibus eloquii oſtentationem faciebant, Imperatorum quoque laudes pro argumento adhibuerunt; tum ex iis delecti legati vrbium Aſiae ac Graeciae, ad Principem miſſi ad impetranda, quae vellent, beneficia, eius laudes oratoria copia amplificabant. Ita ſubnatus tandem eſt

eſt mos inprimis ab vrbibus Galliae, quae tum rhetoricis ſtudiis florebat, frequentatus ſub Diocletiani et Maximiani, tum Conſtantii et Conſtantini tempora, vt mitterentur ad Principem rhetores ad gratulandum de fauſtis euentis aut ad gratias agendas pro beneficiis acceptis. Atque ex hoc genere peruenere ad nos XII. Panegyrici, de quibus hac ſcriptione paucis agere conſtitutum habemus.

Quod antequam recte fieri poſſit, de toto genere horum panegyricorum dicendum eſt. Omnino in locum iniquiſſimum deducta erat oratoris fortuna. Vt enim laudare poſſis, vt antea diximus, eſſe debent, quae laudem mereantur, virtus vera, magna, non vulgaris, non fucata, non affectata, non ſimulata; res animo magno excelſo, generoſo, geſtae, in publicum fructuoſae; iam, dicentis partes non minus arduae ſunt habendae: inſideat, neceſſe eſt, eius pectori mens magnarum rerum, ſententiarum, iudiciorum rectorum capax, a qua nihil tenue et ieiunum proficiſcatur, nihil non cum dignitate et grauitate dictum, nulla laudis vanitas, nihil quod adulandi ſtudium redoleat. Contactus rerum magnitudine orator ex ſua ipſius mente ſenſa eius, cuius virtutes celebrat, facti cauſſas euoluit, ex animi receſſibus elicit, quae in iis praeclara, magna, generoſa ſunt, verborum claritate et dignitate in apertum profert, docet, illuſtrat. Hae tamen animorum dotes ac virtutes per iſtas aetates a neutra parte poterant expectari. Imperium ab hominibus tenebatur, ſi qua forte, non tamen niſi militari, virtute inſtructis; virtutum ciuilium nulla, aut vix aliqua, erat dignatio;

ſeruien-

ſeruientium ingenia, dominatione ipſa, per tot aetates tolerata et laudata, non ad obſequium inflexa, ſed ad adulationem foediſſimam proiecta. Iam aut his ipſis Principibus audientibus orationem habebantur, aut praeſentibus iis qui ad ſummas dignitates imperii erant euecti, in coetu hominum ſeruilis adulationis iugo colla ſubmittentium: quid in his potuiſſet a dicente proferri, niſi quod et ipſum eſſet adulatorium? Quam indigni laude vera eſſent iſti Principes, vel ex hoc intelligas, quod tales laudes coram ſe pronuntiatas auditu tolerabiles cenſuere! Omnis iam tum ſublata erat veritas et dignitas laudum, cum praeſente Principe orator prodiret; excluſa erat tanquam per ſatellitium libertas, fides, veritas *e*). Ita omne hoc orationis genus prorſus adulatorium habitum induerat. Non, facta praeclara ornare, illuſtrare, quid in iis admiratione dignum ſit exponere, ſaltem ea ampliora et magnificentiora reddere, fuit propoſitum; ſed communia quaeuis et vulgaria in maius extollere, hyperbolice exaggerare, fuco commentitio incruſtare. Quid vero, ſi oratorem videas

*e*) Plinii panegyricus, qualem habemus, coram Traiano recitatus non est; vt nec Dionis Prusaei, etsi hic effutiit magis philosophica praecepta, quam orationem habuit in dissertationibus de Regno. Recte itaque celebratum est a multis Imp. Pescennii Nigri dictum (Spartian. c. 17.) *cum Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit ei: Scribe laudes Marii vel Hannibalis vel alicuius ducis optimi vita functi, et dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur.* Eius exemplum aemulatus est Alexander Seuerus, narrante Lampridio c. 35. an plures alii, ignoramus.

videas factis iniuſtis, crudelibus, impiis, modo excuſationem, modo conſilium reipublicae fructuoſum ac glorioſum ſubiicere? et haec in magno coetu! et ſollenni die. Hisce orationibus, deterrimo hoc laudationis genere, vel bonus princeps veneno adulationis infici, malus ad vecordiam extremam agi debuit. Ab audientibus autem quo animo, quo ſenſu, excepta eſſe putabimus! prudentiores, qui mendacium et vanitatem laudum bene tenebant, quique rerum, conſiliorum, factorum, cauſſas et rationes norant, gemitum et ſpiritum ipſum pectore preſſerunt; obtuſioris ingenii et ſeruile vulgus per acclamantium plauſus multo magis quam ante ſtupore obtorpuit.

Per hoc amplificandi et exaggerandi ſtudium vt ſententiarum, ita verborum quoque corruptela nata eſt. Iam ab initio a ſenſus et affectus veritate, (quis enim ei in ementitiis et falſis his laudibus locus eſſe potuit?) ad ingenii luſum et inanes verborum ſonos oratorem abripi neceſſe fuit, vt captaret acute dicta, ſcite oppoſita, inuicem pugnantia in ſpecioſum conſenſum adducta, cumularetque aculeos, figuras, tropos alios ex aliis aptos; corrupta per haec audientium ingenia, vt hos orationis cincinnos, hunc fucum probarent. Ita oratores multo magis placendi cupiditate incenſi nouos calamiſtros et phaleras circumſpicere, ad tumores et ampullas prolabi, hyperbolicis luſibus et antithetis indulgere. Per has ipſas orationis faſtidioſas delicias oratorem credere licet tenuiſſe audientium animos, et ipſum Principem: cuius patientia audiendi per plures horas hominis

hominis ineptias mirabilis fuiſſet, niſi, quanta cum voluptate adulantium voces audiri ſoleant, memineris. Animi magni eſt, laudatione ſui erubeſcere.

Inter XII. Panegyricos, quos fortuna ad noſtram aetatem ſeruauit, argumento et eloquio praeſtat, et ſtudia noſtra ad ſe conuertit, *Oratio Eumenis pro inſtaurandis ſcholis.* Argumentum enim habet, quod per ſe viris prudentibus ſe commendare poteſt, quodque ſententiarum grauitatem et copiam ſuppeditat, oratoris autem ingenium excitare, et orationis vim concitare potuit. Eumenius Auguſtoduni Aeduorum in Gallia natus et nutritus, a rhetorica cathedra in palatium ad munus magiſtri ſacrae memoriae erat vocatus a Conſtantio Chloro Caeſare. Superioribus annis, multis Gallia calamitatibus fuerat afflicta, tributorum acerbis exactionibus, vexationibus magiſtratuum, eorum qui rerum ſumma potiti erant mutuis certaminibus, tum vero barbararum gentium incurſationibus, tandem inteſtinis ſeditionibus. Inter haec iam a Claudii II. inde temporibus (a. C. 268-270.) Bagaudarum tumultus acceſſerat, agreſtium hominum, qui ſalute deſperata armis ſumtis igni ferroque omnia infeſtabant. Ductis a Carino aduerſus Domitianum copiis, Gallia inermis (a. 284. 285.) eo audaciae progreſſos vidit Bagaudas, vt Aelianum et Amandum Caeſares nuncuparent: qui tamen paullo poſt (a. 286.) a Maximiano cum copiis aduolante ſunt oppreſſi. Ab his Bagaudis Claudii II. tempore Auguſtodunum obſeſſum, ſuppetiis fruſtra ab Imperatore petitis, tolerata per ſeptem menſes obſidione, deditionem

ditionem fecerat *f*). Vaſtities terrarum per haec tempora facta incredibilis *g*), vrbs autem ruinis foedata. Eam itaque Conſtantius recreare conſtituit, maximis pecuniis in eam rem ſepoſitis *h*). Cum autem artium liberalium officina illa vrbs antea fuiſſet, non ſatis habuit ille aedes reficere, et proſpicere neceſſitatibus; verum, cum bene intelligeret, principum conſilia effectu carere, niſi ſtrenuus conſiliorum exſequendorum adſit exactor, circumſpexit virum, qui conatibus vires adderet. Itaque Eumenium, quem iam tum ad otium et quietem ſe contuliſſe apparet, ex ſeceſſu euocatum ſcholae Auguſtodunenſi praefecit, vt locus, quem ex antiqua dignitate in Palatio ſeruabat, nouo muneri dignitatem adſtrueret *i*); ne autem nouo profeſſoris munere priſtinae dignitati derogatum eſſe videretur, eius ipſius ſalarium muneri rhetoris

*f*) Orat. VII, 4, 2.

*g*) Orat. VII, 6 et 7. v. *Salvian.* V. p. 91. (De Bagaudis repetíerunt ea, quae de iis in scriptoribus huius aeui dicta sunt, quotquot de iis agunt; etiam in libris periodicis de iis memorata videre licet, et nuper in *Magazin encyclop.* Août 1805. p. 308. in *Lettre sur la Colonne de Cussy*, quae columna in Maximiani honorem posita esse creditur. Add. *Prunelle* ap. *Millin* V. C. Voyage Tom. I. 298.)

*h*) Orat. III, 4.

*i*) C. 14. in Epistola Principis: *Saluo igitur priuilegio dignitatis tuae, hortamur, vt professionem rhetoricam repetas, atque in supra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitae melioris studium adolescentium excolas mentes; nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari; cum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat, dignitatem.*

rhetoris aſſignauit, ſimulque illud duplicauit, vt pro trecenis ſexcena millia numum *k*) numerarentur; quo quidem ſalario ita vſus eſt Eumenius, vt dimdiam partem ſcholae inſtaurandae ſeponeret; nam aedes docendis litteris deſtinatae, Maeniana appellat, per temporum calamitates euerſae erant. In ipſo igitur muneris aditu, vt principis liberalitatem et animum ſuum generoſum declararet, publice coram Galliae Lugdunenſis primae praeſide a. 296. orationem habuit, quae inter Panegyricos tertia eſt, inſcripta *pro inſtaurandis ſcholis.* Excuſato inſolito hoc publice dicendi conſilio, quid curandum et exſequendum ſit exponit, tum qua ratione id fieri poſſit nullo publico ſumtu, ſalarii dimidia parte ei operi addicta, docet. Lenis et moderata, nec tamen grauitate caret oratio: inter praeſtantiora eſt locus, in quo auditorium in praecipua vrbis parte, in ipſa ciuitatis fronte, inter duo Apollinis et Herculis templa, ſitum praedicat: etſi hoc eum ad rhetoricum acumen deducit, vt aedes Muſarum dedicata eſſe videatur inter Herculis Muſagetae et Apollinis aedes (c. 7. 8. 9.). Rhetoricum quoque eſt, quod de tabulis geographicis in porticu pictis monet (c. 20.) ex iis iuuentutem diſcere oculis et *ſpectare quotidie omnes terras et cuncta maria et quicquid inuictiſſimi principes vrbium, gentium, nationum, aut pietate reſtituunt, aut virtute conficiunt, aut terrore deuinciunt.* Praeclarum eſt (c. 8.) quod ait principes ſenſiſſe, litteras

*k*) III, 11. ingens stipendium: nostra aetate 10,000 aurei ducati.

*litteras omnium fundamenta eſſe virtutum, quae — cum in conſuetudinem in tenera aetate venerunt, ad omnia deinceps officia vitae, et ad ipſa, quae diuerſiſſima videntur, militiae atque caſtrorum munia conualeſcunt:* Appellat mox easdem ſcholas *omnis induſtriae atque omnis laudis nutrices aut, vt verius loquatur, matres.* Recitat quoque (c. 14.) Conſtantii Caeſaris reſcriptum lectu dignum; quod ſubſcriptum eſt: *vale Eumeni cariſſime nobis.* Memorabilis admodum eſt Conſtantii Caeſaris prudentia, cuius exemplum aliud non meminimus, quod inſtaurandis ſcholis virum ex palatio eximiae dignitatis praefecit, eumque litteras, quarum ſtudia reſuſcitare volebat, docere iuſſit, viditque conatus generoſos etiam generoſis mentibus ad exſequendum mandandos eſſe.

Admonet nos haerens iam in ora extrema littera, vt reliqua ad aliam commentationem ſeponamus; ſubiectis in fine bonis votis pro republica et vniuerſa et academica; quae facimus ad deum O. M. cui intimi quique mentis humanae receſſus patent. Vtinam pace terris reddita panegyrici omnium optatiſſimi indicendi facultas votis noſtris publicis priuatisque obtingat! Fauſtum habebitur ſemeſtre, fauſtus magiſtratus, qui illam votorum ſummam impertierit optantibus.

P. P. pridie Kal. Mart. cIↃIↃcccv.

---

VI.

# VI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
HENR. AVGVSTVS WRISBERG D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
CHRISTOPHORVM MEINERS
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS SEPT. cIↄIↄcccv.

*Cenſura XII. Panegyricorum veterum.*
Commentatio poſterior.

*Panegyricorum veterum XII. cenſuram* ſuperiore ſemeſtri peracturi, cum praefandum eſſet praeconio, quo noui Prorectoris auſpicia ſunt indicenda, de ipſa panegyricae orationis natura, de toto hoc orationis genere, de laude et laudatione, a quibus ea principiis ſit petenda, agebamus; tum vnius ex iſtis Panegyricis, *Eumenii de inſtaurandis ſcholis*, notitiam breuem appoſuimus: eſt illa oratio ex genere medio, non nimis exili, argumenti ad humanitatem et inſtitutionem publicam ſpectan-

 tis

tis vtilitate ſe commendans. Properandum nunc eſt ad reliquos Panegyricos, breui cenſura perſtringendos: breuitatis enim ſtudium eo magis ſequendum eſſe putabimus, quo ipſa res, de qua agimus, voluptatis et iucunditatis commendatione caret; noſtra inprimis aetate, in qua haud facile aliqua lectio niſi otii fallendi aut oblectationis capiendae cauſſa inſtituitur; ipſius vero generis huius eloquentiae, quod in panegyricis ſe iactat, vſus noſtra aetate, aut auditionis ex ſuggeſtu fructus, omnino eſt nullus; quae enim poteſt eſſe voluptas recitationis ex charta factae maior, quam ex lectione tacita?

Sunt autem hae orationes, vix vna et altera excepta, gratulatoriae: orationes vero funebres omnino vix ſuperſunt vllae; cuius tamen generis ingens ad animos mouendos vis eſſe poteſt per ea, quae cum pietatis officio ſunt coniuncta. Laudationum funebrirum apud Graecos praeclara extant exempla, Periclis apud Thucydidem, Platonis in Menexeno, et aliorum. Romae in rep. libera legimus in principum funere ſollenni habitas eſſe laudationes ex more: (cf. Polyb. VI, 54.) ſub Imperatoribus vix memorantur aliae quam ab ipſis principibus habitae; Auguſtus laudauit pro roſtris Marcellum, et Druſum, et Octauiam ſororem; Auguſtum Tiberius, hunc Caius; Claudium Nero; idem Poppaeam vxorem; Titum Domitianus, Pium M. Aurelius; Pertinacem Seuerus; Priuatorum laudationes raro, vt Paeti Thraſeae et Heluidii. Miramur diuinos Auguſtis decretos honores cum oratione funebri coniunctos haud memo-

memorari. Priuatorum hominum laudationes a Sophiſtis extant nonnullae graece ſcriptae, in his Ariſtidis in Eleonei et Alexandri funere, fuco ſophiſtico ita oneratae, vt meretriciam artis, non honeſtam faciem agnoſcas. Ergo Panegyricorum, quos habemus, *primus* eſt, qui et tempore prior eſt, *Claudii Mamertini* ad Maximianum Herculium a. 289. XI. Kal. Maii die Vrbis natali Treuiris aut alia Galliae vrbe habitus. Caruſius cum claſſe in Britanniam e Gallia miſſus, purpuram ſumſerat. Ad claſſem aduerſus eum parandam Maximianus Imp. tum in iis locis commorabatur; eius tamen conatibus euentus haud reſpondit; adortus enim Caruſium, re infecta pepigit cum eo vt Britanniam ei cederet. Rhetor de Romae incunabulis memoraturus adulatorie nomine Herculiani arrepto Herculem celebrat Euandri hoſpitem in Pallantio ſeu Palatio, pariterque Maximiani, ne Romani quidem, ſed exteri e Pannonia, natales et inſtitutionem laudibus effert, res ab eo in Galliis aduerſus barbaros incurſantes geſtas *a*), Bagaudarum

G 3 inpri-

*a*) Memorantur in his barbaris inprimis Franci, c. 11. vbi ductu ducum Maximiani, *cum feliciſſimis* eius *auſpiciis vterentur*, *lubrica illa fallaxque gens barbarorum*, *vt merebatur*, *affecta* (h. e. afflicta, male habita) *est*. Hac notatione, vt solent inimici mutuis inter se probris grassari, designantur Franci: vt ap. Saluian. de prouid. dei VII. p. 172. c. v. *gens Saxonum fera est*, *Francorum infidelis*, *Gepidarum inhumana*, *et Hunnorum impudica:* cf. Paneg. VI, 11. Vopisc. in Proculo, Procop. b. Goth. II, 25. Erant tamen Franci ex populis germanicis collecti, quorum fides a Romanis quoque laudatur. Ad mores emendandos adducti esse creduntur, ex quo sacris christianis fuere imbuti.

inprimis motus ab eo compreſſos, tum expeditionis maritimae apparatum narrat. Si qua laus huius, vti earum quoque, quae eam excipiunt, orationum eſſe poteſt, poſita ea eſt in rerum et temporum memoria ex hoc potiſſimum rhetore petenda: cum tam pauca alia aeui huius monumenta extent; abſtergendus tamen narratis eſt fucus et tumor rhetoricus, ne eorum auctoritas nimium eleuetur a moroſioribus.

II. *Genethliacus Maximiani:* dictus in eius natalibus XXI. Iulii a. 291. Auctor panegyrici habetur idem *Mamertinus;* facit auctoritatem opinioni color et tumor orationis, etiam luſus in *nomine Herculis* et in voce *numinis*, qua Imperatores vulgari vſu tum appellabantur: vt c. 2, 4. *ſi quidem vos diis eſſe genitos, et nominibus quidem veſtris, ſed multo magis virtutibus, approbatis, quarum infatigabiles motus et impetus vis diuinitatis exercet* etc. vſus vocis ſaeculo iſti facile condonandus, cum a multo inde tempore mos vocabulum hoc pro maieſtatis nomine ſubſtituiſſet; nec eſt quod in principum honoribus vulgo vſurpatis nimium tricemur: habet aetas noſtra alia, quae facile poſſint comparari; Etiam c. 3, 2. cum naturae diuinae perpetuo motu comparatur imperatoris celeritas in itineribus. Omiſſis bellis et victoriis praedicat rhetor pietatem Maximiani in deos et felicitatem, tum pietatem inter Maximianum et Diocletianum mutuam, hoc eſt concordiam: quam quidem partem bene exſequitur c. 6, 5. 6. c. 7. et 8.: in cuius fine: *Etenim,* inquit, *cum nihil ſit animo velocius, vos, quorum igneae immortalesque mentes minime ſentiunt corporis moras,*

*moras, peruecti eſtis ad vos mutua deſiderii celeritate;* ſcilicet conuentu Mediolani facto, hieme anni 291. Iter hoc c. 9. inepto acumine ornatur; vbi haec quoque: *ceteris hominibus atque regionibus vi frigorum adſtrictis et oppreſſis, vos ſolos aurae lenes vernique flatus et, diductis nubibus, ad itinera veſtra directi ſolis radii ſequebantur.* Felicitatem inter imperatorum merita refert *b*); qui communis laudum locus eſt, etiam in peſſimis principibus; vnde et vulgata illa comparatio imperii cum aureo ſaeculo, paſſim obuia, etiam in numis. Eumenius c. 3, 1. Paneg. VI. Conſtantini auribus ingerit verba: *imperium naſcendo meruiſti.* Ergo naſcendi caſus pro merito habetur; ſcilicet pari iure quam fortuna et caſus.

IV. *Eumenii panegyricus Conſtantio Caeſari* dictus, Britannia recepta, Allecto, qui Carauſio ſucceſſerat, victo, ſub finem anni 296 aut ſub anni 297 initia, forte Kalendis Martiis, quibus ante aliquot annos (291) Caeſar renuntiatus fuerat *c*). Nam priore



*b*) II, 18, 1. *iam, inquam, fortunatissimi Imperatores felicitatem vincitis soli* (f. *felicitate*). De pietate in deos c. 6, 1. locus occurrit, qui arguit artibus architecturae et sculpturae materiem, quod vix crederis, ea aetate haud defuisse: *quanta est vestra erga deos pietas! quos aris, simulacris, templis, donariis, vestris denique nominibus adscriptis, adiunctis imaginibus, ornastis, sanctioresque fecistis exemplo vestrae venerationis:* non, quod aiunt viri docti ad e. l. nominibus Augustorum diis additis, sed titulis ex more subscriptis, quibus aras et statuas diis dedicarunt, et suis imaginibus iuxta positis, quasi in deorum tutelam traditis.

*c*) Itaque paullo ante alteram orationem eodem anno 297. ab Eumenio habitam Augustoduni pro instaurandis Aeduensibus scholis, de qua superiore commentione fuit actum.

anno Conſtantii claſſis a Geſſoriacenſi littore in altum euecta, cum per nebulae caliginem latuiſſet aduerſam claſſem apud Vectam inſulam in ſpeculis et inſidiis collocatam, Britanniae littus inuaſerat, et pugna facta Allectum occiderat (c. 14. 15.). Habita oratio Treuiris coram Conſtantio Caeſare (c. 4. *ſtante Caeſare, cum loquimur*). Modeſtior quidem eſt Eumenius in celebrandis laudibus Mamertino: faſtidioſe tamen (1. 2. 3.) dignitatis Caeſareae Conſtantis auſpicia ornat praedicando veris, quo facta erant, magnam amenitatem et ſolis eius diei ſerenitatem c. 2. 3. ipſos Auguſtos comparat cum ſole omnia proſpiciente et fouente c. 4. Diſertus eſt in memoranda expeditione Conſtantii in Britanniam c. 13 ſqq. dilectu earum rerum facto, quae propriam aliquam Conſtantio laudem habere poſſunt.

V. *Incerti Panegyricus Maximiano et Conſtantino* Treuiris in Conſtantini nuptiis cum Fauſta, Maximiani filia, celebratis a. 307. poſt quas ille a Maximiano Auguſtus eſt dictus. Procedit rhetor a laudibus Conſtantini virtutibusque quibus patris exemplum expreſſit; reliqua adulatorie ſunt contexta in laudes Maximiani, qui imperium depoſitum iterum receperat. Habita oratio coram Auguſtis, quos vix credas riſum continuiſſe audientes rhetoris putidi ineptias, cum is nec ſentiret, quam iniquo animo Conſtantinus ferret, ſenem Auguſtum ad recipiendas imperii habenas proſiluiſſe, a quo inſidiae in generum ſtruebantur. Locus eſt c. 11. quo rhetor Romam inducit cum Maximiano expoſtulantem, quod ſui curam depoſuerat;

ſuerat; ſtolidus homo meliorum oratorum exempla ſequendo nihil apponere potuiſſet quod magis a rerum veritate abhorreret. Pernicioſiſſimae ſunt tales laudes vel propterea, quod Principes ita ſibi perſuadere ſolent, ad artium ſuarum calliditatem omne caecutire vulgus *d*).

G 5 VI.

*d*) Occurrit in huius orationis c. 6. locus, quo imago picta et in coenaculo posita memoratur miro cum iudicio de arte: futurum Constantini cum Fausta connubium fuisse, quasi praesagio, adumbratum imagine *in Aquileiensi palatio ad ipsum conuiuii* (h. e. conuiuantium) *posita adspectum*, qua ea puellaribus adhuc annis puero ei offerebat *galeam auro gemmisque radiantem et pennis pulcrae alitis* (an pauonis?) *eminentem.* Addit ille *quanquam ipsi* (pictores) *ferant, difficillimam esse praecipuae cuiusque formae imitationem; quia certis sui notis cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulcritudinis tam sit ardua, quam rara est pulcritudo; non tantum tamen ille* (pictor) *cepit laboris ex ore vestro diuinas species transferendo, quantum voluptatis hausit cominus vos inspiciendo, intuendo sollicite, et curiose ab hilaritate illius aetatis vultus immobiles et serios exigendo,* (in puerili vultu dignitatem exprimendo, reddendo: nam quae perficiuntur, efficiuntur, *exigi* dicimus; ait igitur: omnino facilius reddi posse faciem deformem, quam pulcram: scilicet quatenus similitudo oris spectatur; verum in formosis istis imaginibus maiorem *voluptatem* pictorem cepisse ex intuitu formosi pueri et puellae quam laboris in iis reddendis. Quasi vero in picturae admiratione ratio habeatur pictoris, quo cum iucunditatis sensu eum, cuius imaginem pingit, adspexerit. Doctior est altera lectio: *quantum diuinitatis hausit* pictor *cominus vos inspiciendo,* ita vt numen futuri imperatoris sensisse et expressisse dicatur;) *promendo denique amoris vestri tacita praesagia:* quo factum esse ait lepidus homo, *vt, quod vobis verecundia negabat, libere vos in imagine cerneretis.*

VI. Qui inſcriptus eſt *Eumenii Panegyricus Conſtantino Auguſto dictus* vix eſt Eumenii, certe eo eſt indignus, ab eiusque ingenio liberali animoque ingenuo abhorrens; neque eſt ſatis graue ad firmandam opinionem, quod auctor ſe Auguſtodunenſem praedicat, c. 22. et ſenem §. 7. et quod liberos ſuos commendat c. 23. *praecipueque illum iam ſumma fiſci patrocinia tractantem*, (aduocatum fiſci) *in quem me totum transtulit pietas*, (quem ſummo paterno amore amplector) *cuius felix ſeruitus*, (munus quo fungitur ille in aula; nam qui in aula verſantur, *ſeruire* et *ſerui imperatoris* eſſe dicuntur) *ſi quando reſpexeris* (eius inter ceteros rationem habueris) *maxime tuae conueniet aetati*, Conſtantino tum iuueni viro XXXVIII annorum; dictus enim eſt Panegyricus a. 310. Treuiris, die vrbis eius natali, Conſtantino audiente. Prior pars laudibus Conſtantii patris conſumitur, multo cum verborum tumore, vt, cum eum ad extrema inſulae Britanniae exploranda profectum eſſe dicere vellet, c. 7. eum neque Hiberniam nec Thulen viſere, *ſed, quod eloqui nemo voluit*, iturus ad deos *genitorem illum deorum, ignea caeli aſtra refouentem proſpexit Oceanum, vt, fruiturus inde luce perpetua, iam videret illic diem paene continuum.* Ait igitur, voluiſſe eum quaſi aeternae, qua aliquando fruiturus erat, lucis aliquem ſenſum guſtumque capere et experimentum facere, ex adſpectu Oceani, e quo ſidera oriuntur, et in extremo ſeptentrione, in quo ſol vix ex conſpectu decedit, nocte in breue ſpatium contracta. Ineptiora ſunt cap. 8, 4. 5. de recuſata purpura, c. 9, 4. de Conſtantino, quem

Britan-

Britannia prima Caeſarem vidit. Inde Conſtantini res geſtae enarrantur: quarum quidem memoria, miro aliquo fato, non niſi per panegyricos, epiſcopos et abbreuiatores, adulatorie aut parum explorate perſcripta ad nos peruenit. Ideo noſter rhetor palpat Conſtantino tam impudenter, vt eius immanitatem in Francos, quorum reges beſtiis obiecit, multa laude commendet c. 10. 11. quodque Rheno traiecto Bructeris inopinato oppreſſis omnia late fero ignique vaſtauerat, *puberes omnes ad poenas ſpectaculo dati, ſaeuientes beſtiae multitudine ſua fatigarunt:* c. 12. Inde de oppreſſis Maximiani bellum renouantis conſiliis multa memorat c. 14. 15. in quo merito mireris rhetoris imprudentiam coram genero narrantis infauſtos ſoceri conatus et fata. Quod, dum ad Galliae res conſtituendas a limite, Rheno, diſceſſerat, barbaris nouas res molientibus, ipſoque, nuntio accepto, confeſtim ad eos opprimendos properante, *audito eius reditu, velut attoniti barbari conciderant:* hic, acumine neſcias quo, ad Apollinem fauſtum rerum ſucceſſum refert *e*). Ceterum in hac oratione locus eſt inſignior de laudibus Britanniae c. 9. lectu dignus.

VII.

*e*) C. 21. Versari tum debuit in vrbe aliqua Galliae, pulcherrimo Apollinis templo celebri, quod etiam donariis ipse locupletauit; Lugdunum, Viennam, Tolosam, (hanc satis probabiliter), memorant viri docti. Videtur in eo templo signum Apollinis Victoris positum fuisse, adstante Victoria; cum ille manu coronas laureas prae se ferret, in omen rhetor illud vertit, noua sed obscura interpretatione ex Sibyllinis oraculis, si recte suspicamur, petita de saeculo tribus aetatibus, et aetate (γενεᾶ) huma-

VII. *Eumenii gratiarum actio Conſtantino Auguſto Flauienſium nomine*, etiam Treuiris habita a. 311. Hanc quidem orationem non ſine voluptate legimus ex ipſo argumento profecta. Vaſtatis per Bagaudarum incurſationes Aeduorum agris, et vrbe eorum Auguſtoduno miſere direpta, mox autem tributis et exactionibus praeſidum acerbiſſime vexata, tandem Conſtantini in vrbem aduentu Auguſtodunenſes fuerant recreati, cum aliis beneficiis, tum abolitis reliquis luſtri, hoc eſt quinque annorum tributis, et porro in annum ſeptem millia capitum tributo exemta ſunt numero viginti quin-

humana tricenis annis computari solita, quam laurea adumbrari credidisse videtur. Verba sunt: *vidisti enim, credo, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem, quae* (sc. coronae) *tricenum singulae ferunt omen annorum: hic est humanarum numerus aetatum, quae tibi vtique debentur vltra Pyliam senectutem. — vidisti, teque in illius specie recognouisti, cui* (de Constantino accipe, non de Apolline) *totius mundi regna deberi vatum carmina diuina cecinerunt* (agnoscimus verba Virgilii: *tuus iam regnat Apollo:* ad Constantinum translata; nam pergit): *quod ego nunc demum arbitror contigisse, cum tu sis, vt ille, iuuenis et laetus et salutifer et pulcerrimus imperator.* Obseruandum est haec memorari sub ipsa tempora illa, quibus sacris Christianis iam se publice addicturus erat; fitque e toto loco probabile, carmen illud Sibyllinum (de quo ad Eclogam IV. Virgilii disputatum est) de Iesu Christo a Christianis acceptum, a nonnullis eo tempore ad ipsum Constantinum interpretando fuisse translatum. Adulatio enim a lubentibus semel suscepta diu vagata non inuenit, vbi subsistat. Aliud est Apollinis templum quod paullo post commemorat, in luco calidis aquis nobili, in vicinia, vt apparet, Augustoduni §. 7. c. 22, 1 sq.

quinque millium, quae cenſebantur: c. 12. 13. Hac Imperatoris liberalitate ad effectum adducta, vrbs, nomine Flauiae adſumto, Eumenium ad gratias agendas Treuiros miſerat *f*).

VIII. *Incerti Panegyricus Conſtantino Auguſto dictus:* Nazarii eſſe, ex IX, 30, 2. colligitur; Treviris habitus a. 313. poſt Maxentium ſublatum, ob quam victoriam Conſtantino gratulatur rhetor. Narratio ſolitis panegyricorum ampullis et verborum bombis amplificata; vt mireris Imperatorem durare potuiſſe ad audiendam hanc rerum ſuarum, factorum ac conſiliorum, ab homine ex turba ſcholaſtica et vmbratica factam enarrationem. Negari tamen nequit, primis imperii annis magnam fuiſſe in Conſtantino virtutem, prudentiam, moderationem. Argumenti magna eſt ſimilitudo inter hanc et nonam orationem. Peroratio nouo exemplo fit precibus ad deum, nec tamen chriſtianae diſciplinae, ſed philoſophiae formulis.

IX.

*f*) Ceterum ad res et fortunam Aeduorum, qui fratres populi R. fuere olim appellati, discendam oratio haec nonnullas notitias suppeditat. Est in his c. 3, 2. Missus Romam *princeps* Aeduorum *in senatum venit, rem docuit; cum quidem, oblato consessu, minus sibi vindicauit quam dabatur, scuto innixus perorauit.* Ibidem §. 3. Idem Aeduus *Romanum exercitum Caesaremque cis Rhodanum primus induxit. Semita enim Galliae vsque ad id temporis Transalpina Gallia nominabatur:* aliena a vero narrantur. Delendae voces *Transalpina Gallia:* nam de *Rhodano* haec sunt accipienda, per quem antea Provincia adiri solebat. Paullo post c. 4, 4. beneficia Constantii in Augustodunum memorantur: mirari licet, nullam fieri mentionem *scholae a Constante restitutae:* vt suspicio suboriatur, liberalitatem imperatoris effectum haud diuturnum habuisse.

IX. *Nazarii Panegyricus Conſtantino dictus*, a. 321. Kal. Martiis, die natali Caeſarum Criſpi et Conſtantini, votis quinquennalibus faciendis. Habita oratio non praeſente ſed abſente Conſtantino; quo tolerabiliorem cenſeas laudationem; dubites forte, an omnino ſit habita; ſi tamen habita eſt, Romae habitam eſſe ſuſpiceris. Maiorem operae partem orator conſumit in Conſtantini patris laudibus, eumque filiis proponit exemplum virtutum, quod exprimant. Eſt in his c. 5. quod ille vitam priuatam haud occultat *g*); inde c. 6 ſqq. narrantur ea, quae Romae in Maxentio opprimendo fuere peracta; a. 312. Exercitum in Germania cisrhenana coactum tanta celeritate Conſtantinus in Italiam duxerat, vt caelo delapſus eſſe videretur: quod in miraculum vertitur c. 14. 15. cf. VIII, 2. etſi de labaro nil memoratur; ita vt omnino et Chriſtianorum et profanorum mentes rerum miraculis, neſcias quibus, contactas tum fuiſſe appareat. Introitus in Vrbem c. 31 ſq. oratorie, ſatis probabiliter, deſcribitur.

X.

g) C. 5. *Existimare quidem de principibus nemini fas est:* (scil. excepta posteritate et occulto hominum proborum inter viuentes iudicio) *nam et in vestibulo suo inquirentem repellit obiecta veneratio, et, si qui propius adierunt, quod oculis in solem se contendentibus euenit, praestricta acie, videndi facultate caruerunt* (homo vtique dignus, qui luce priuatus caecutiret, tam adulatorie haec effutiens!) *Verum tu facis, principum maxime, vt patere videantur, quae prius obstructa fuerant. qui tam optas totus videri, quam ceteri recusabant.* Ex seqq. tamen apparet, omnem laudem eo redire, quod princeps aditu facilis fuit.

X. *Mamertini pro conſulatu gratiarum actio Iuliano Auguſto:* primo eius imperii anno, et a. C. N. 362. Mamertino et Neuita Coſſ. (Ammian. XXII, 7.) Diuerſus Mamertinus haud dubie a Claudio Mamertino Panegyricorum primi, forte et ſecundi, auctore; conſul factus, cum iam praefectura aerarii et praefectura Illyrici ornatus eſſet, agit gratias Imperatori Conſtantinopoli agenti, et, progreſſus ab eius laudibus, de ſuo honore agit; homo vtique diſertus et pro ea aetate artibus oratoriis imbutus; vis tamen eius dicendi non minus inquinata vitiis eloquentiae corruptae, non in rerum grauitate et affectus veritate, ſed in vanis ornamentis, verborum fuco, et acute dictis per antitheta, praeſidia ſua petentis. Et de his quidem vt primo loco dicamus, habent ſane acute dicta ſtimulos ſuos, quibus pungant, altius quoque penetrent animum, ſi ex ipſis rebus inter ſe cognatis et aptis ſunt petita; non ab inani ingenii vel verborum luſu aut difficili ad aſſequendum ſubtilitate *h)*. Comparatione modo diuerſorum inter ſe, modo ſimilium, magnitudo aut praeſtantia magis eluceſcit: delectu tamen rerum et iudicio plurimum in his proficitur. Ita bene comparantur imperia Iuliani et Conſtantii; conſulatus

h) Ita c. 10, 1. bene ista se habent: *Si quis mortalium — profecto mirabitur tam breui cuncta mutata;* at quod subiicitur, nimium ineptit: *desiliet e nubibus et viciniam caeli cupide derelinquet, vt tuis, imperator, terris fruatur.* Placent haec c. 27, 3. *videte, num secundis rebus elatus aliquid de prioris vitae mansuetudine et moderatione mutauerit. Mutauit plane, mutauit. Nam ciuilior factus prosperorum infregit inuidiam.* Adde c. 17. 18, 5. 6.

latus populiſuffragiis et Caeſaris iudicio acceptus *i*). Laudum fons eſt ab arte petitus, ſi ea, quae vulgo aut more fiunt, aut impetu, aut alio conſilio et iudicio, ad animi affectum referuntur *k*). Ornamentis inanibus et otioſis paſſim onerat rhetor ea, quae per ſe magna et praeclara maiorem vim habebant, ſi ſimpliciter enuntiaſſet *l*).

XI. *Latini Pacati Drepanii Panegyricus Theodoſio Auguſto m*); Pacatus Gallus Theodoſio gratulatur, Maximo victo, Romam reduci a. 391. praeſente principe. Rhetorem agnoſcimus in ſchola

*i*) C. 19. v. c. *nunc non petuntur honores, sed deferuntur.* add. c. 21. c. 22. at vltra modum protracta c. 23. excepta §. 4.

*k*) v. c. si custodia corporis mandata armatis repetitur a fide militum, inuito principe c. 24, 7. si ingentes labores et curas suscipit princeps non suis sed aliorum commodis vnice studens c. 10. 11. 12. 13. at inepta est c. 13. §. 4. affecta fictio personae loquentis, virorum ex inferis reuocatorum. Parum caute Mamertinus honores in se cumulatos ait nondum meritum, c. 31 et alibi; detrahit enim sic principis iudicio; subsistere debebat in promittenda fide, industria, constantia. At hoc bene c. 15, 5. quod consulem creatum se esse ait *sine impendio.*

*l*) Vt post illa de comitate principis c. 28, 3. 4. dum §. 5. pergit: *Poetae ferunt altissimum illum* etc. Ceterum notabilia attingere liceat alius generis. c. 9. leuati equorum pretiis enormibus dicuntur Dalmatae ibid. reparata Nicopolis, Athenae, Eleusis, cum aliis Graeciae vrbibus.

*m*) Sequimur numerum editionis Norimbergensis Iaegeri. Diuersus numerus est aliorum, qui modo XI. memorant Panegyricos, modo XII. relato in numerum Panegyrico Plinii. Omisso Pacato tantum denos edidit Arnzenius.

ſchola ad artis formulam et antiquorum imitationem informatum; itaque laudes Theodoſii perſequitur a parente, a genere, a corporis ſpecie, aetate integra et rebus agendis matura, ab animi virtutibus, et ſic porro; ita vt ſtatum ponat: cum imperator eſſet quaerendus, quibus virtutibus ille inſtructus eſſe debuerit, iis omnibus Theodoſium, nec quenquam alium, inſtructum fuiſſe. Inter virtutes memorat frugalitatem c. 13. 14. qua aliena vitia corrigere voluerit: *a te voluiſti incipere cenſuram et impendia palatina minuendo, nec ſolum abundantem recidendo ſumtum, ſed vix neceſſarium vſurpando dimenſum, quod natura difficillimum eſt, emendaſti volentes.* Praeclarum ac diuinum hoc Theodoſii ſub imperii primordia iudicium. Haec regni auſpicia, facile dixeris fuiſſe fauſtiſſima, vnicum vtique ſatisque efficax malorum remedium ex ſuperiorum temporum calamitatibus, vitiis et fraudibus, contractorum. Sunt huius generis multa, quae de nouo principe praedicari lubenter audias: in his eſt, quod amicitiam coluit et priſtinos vitae priuatae amicos eodem quo antea modo habuit c. 16. ſi modo illi digni fuere, quos coleret, non ſcurrae, plani et aſſentatoria turba ad nouam praedam aduolantium. At promiſſorum fidem et facilitatem c. 17. 18. 19. ambiguam et dubiam dixeris laudem! Ab eadem profecta eſt illa, quae ſub Theodoſio increbuit, facilitas largiendi dignitatum inſignia, et immodice augendi aulae officia, c. 20. In enarrandis rebus ab eo geſtis inde ab c. 23. in Maximo tyranno a Theodoſio profligato vela pandit et oratorias artes

exſerit *n*): in quibus diſplicet, quod Maximum, haud multo aliis principibus deteriorem, omni opprobriorum genere acerbiſſime exagitat, ſumma cum Theodoſii adulatione; quod adulandi genus iniquiſſimum eſt. Falſi acuminis exempla in his occurrunt multa *o*).

Memorandus adhuc eſt paucis, qui XII. loco adiectus eſt nouiſſime, *Fl. Creſconius Corippus Africanus de laudibus Iuſtini Auguſti minoris libris V.* *p*). Inſi-

*n*) Sunt in his loci qui δεινότητα habent, vt c. 25. oppressis per exactiones ciuitatibus: *quid ego referam vacuatas municipibus suis ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus solitudines?* et sqq. — *et senes fortunarum superstites, et infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem* sqq.

*o*) Vt c. 39 3 sq. de celeritate qua milites ad tyrannum opprimendum aduolauerint: *negant se suis vectos esse corporibus, sed, tanquam aliquas imagines somniorum ferrentur absentes, praebuisse gestantibus ventis otiosorum ministeria membrorum* etc. Multa huius generis c. 41. vt §. 5. *quis vnquam vltra spem timuit?* etc. cum tantum hoc verum sit, quando nihil vltra sit sperandum, mortem vltro esse expetendam. Meliora sunt c. 40, 2. Virtutes et Fortunam contendere inter se, quantum sibi cuique debeatur a Theodosio; etsi fortuna praedicanda laudem virtutis minui dicas. At clementia bene laudatur c. 46. Locus de clade Maxentii c. 36. oratorius est; vbi tamen: *illi mutilis excisisque membris reliqua sui parte fugiebant, hi dolorem vulnerum sequebantur:* quo sensu dicta putabimus? forte, pro: dolori cedebant, succumbebant. Doctum est quod c. 18, 3. ex Euripide Parcas memorat cum tabulis deo adstantes. Vim vocabuli *superbus* bene declarat in Tarquinio superbo dicto c. 20, 4.

*p*) E codice vno, qui nec superstes nunc est, a Mich. Ruizio Hispano editus Antwerpiae 1581. inde aliquoties repetitus, etiam a Iaegero, nuper iterum a P. Franc. Fogginio in Noua App. hist. Byzant. Ro. 1777.

infimae adulationis famelici hominis opus mere rhetoricum, metrice redditum, nulla dote ſe commendans, niſi quod multa ex vita eorum temporum deſcripta ante oculos ponit, inprimis in ſollennibus imperatoris funebribus, in imperii auſpiciis, in conſulatu adeundo. Nuntiata a Senatu a. 565. Iuſtiniani morte, heres regni Iuſtinus cum Sophia, ex aurea domo (I, 97.) multa nocte prodit ad palatium occupandum; pro augurio eſt gallorum cantus I, 197. Inuidioſae ſunt Iuſtiniani ſenis laudes; cuius innocentiam adhuc in ore mortui ſpectabilem fuiſſe ait (v. 244.). Conuenit populus ſub primam lucem in hippodromo. Interea funebris pompae apparatus adornatur. Antequam Iuſtinus cum Sophia procederet, factae ab iis recitantur preces; (II, 5 ſq.) a Iuſtino quidem in templo Angelico II, 8. (forte archangelorum in Stiro: nam ab Interpretibus nihil de his ac ſimilibus monetur) a Sophia in templo matris deiparae, θεοτοκου, II, 47 ſq., ad quam ipſam illa preces facit, tum *placuere Parenti orantis pia vota viri, Genituſque precanti annuit, et ſanctus, Regnato, Spiritus inquit.* Nunc in palatium redux, indutus habitu imperatorio, prodit Iuſtinus; impoſitus clipeo in ſublime attollitur (137.) a Ioanne Patriarcha conſecratur; cum coniuge Sophia ſedet in ſolio et verba facit, Corippo poeta digniora quam principe; inde ad hippodromum progreſſus populum alloquitur; interpellant loquentem qui fiſco pecunias crediderant, oſtentantes ſyngrapha, (nouum ſpectaculi genus; ſiue funebri illud dixeris ſiue auſpiciorum regni!) obtinentque vt cre-

 ditae

ditae pecuniae ſoluantur. Reditu in palatium facto effertur funus (lib. III.) inde ſollenne conviuium (v. 85 ſq. enumeratione vinorum iſta aetate praeſtantiorum).

Sunt omnino in hoc carmine multa ad antiquitatem Byzantinam notabilia I, 276. memoratur veſtis purpurea mortuo Iuſtiniano iniecta, *auro gemmisque intextis eius bellis.* Locus de hippodromo et factionibus I, 314 ſqq. de Imperatorio habitu II, 84-136. In eo *fibula* eſt chlamydis, *gemmis* ornata *e ſpoliis Gothicis et Vandalicis* II, 123-126. vt intelligas, artis antiquae opera barbarorum manibus tractata iterum Byzantium rediiſſe, paullo poſt aliis barbaris praedae futura, inde in Italiam et nuper ad Gallofrancos migratura. En compendium hiſtoriae artium et operum! Fiſcum Iuſtiniani incuria et ſocordia eſſe expilatum ipſe fatetur Iuſtinus v. 261. Quantum in Iuſtiniano ſtolidi faſtus et oſtentationis ſtudium fuerit, ex hoc diſcas, quod *vaſis in menſa appoſitis victoriae et triumphi expreſſi erant* III, 111-125. *aurea purpureis apponunt fercula menſis pondere gemmarum grauia plus: pictus vbique* (leg. grauia: illis pictus vbique) *Iuſtinianus erat*, etc. Officia domus auguſtae ſplendide comparantur cum Olympo 179-190. Deſcriptio atrii, cum ſolio, cui inſidens Auguſtus legatos Auarum admittit, 191 ſq. cum antiquis diptychis eſt comparanda. Stultam plebem ore et oculis in haec inhiaſſe facile credas; at quod praeterea adiicit, ſtuporem verius ſeu hominum ſeu poetae declarant. Attoniti enim hoc adſpectu barbari comparantur cum *tigribus in caueam amphitheatri immiſſis,*

*quae*

*quae* conſpecta tanta hominum multitudine *expaueſcunt:* vt intelligas ſaeuiſſimas belluas metu corripi multitudine hominum incluſas: *non ſolita feritate fremunt; ſed margine toto* (caueae), *intrantes, plenum, populorum millia, circum ſuſpiciunt magnoque metu miteſcere diſcunt, deponunt rabiem, gaudent fera vincla ſubire* etc. III, 246 ſq. At tamen iſti barbari non fuere deterriti quo minus inuaderent, diriperent et vaſtarent prouincias et ipſi vrbi terrorem immitterent. Sedes in hippodromo principi poſita IV, 114 ſqq. gemmis — ex parte opere teſſellato, ornata: *miſcentur teretes quadris, viridantibus albae; chryſolithi mireque micant, flammasque pyropos afflans, et propria depellens luce tenebras.* — Inde die ſeptimo inſtructa domo augusta legati Auarum admiſſi 151 ſq. Tandem (lib. IV.) conſulatus a Iuſtino initus; munus populo datum per miſſilia in hippodromo; exſtructo ingenti tabulato ligneo; diſtributione munerum ſeu ſportula prius inter Senatores facta, recitatis de albo nominibus. Sportularum diſtributione peracta IV, 154 ſq. in munificentiam Principis oratores in hippodromo panegyricos habuiſſe videmus: *tot laudatorum numerus! — quanto conamine niſi tunc phaleris phaleras et laudibus addere laudes!* Beatos homines dixeris obtuſis adeo ingeniis, vt miſeriam ſuam ipſi laudibus praedicarent. Verum ab his diſertius enarrandis conſilio harum paginarum excludimur. Feſtinandum enim nobis eſt ad peragendum aliud praeconium Noui Magiſtratus academici, translatis faſcibus ad Virum Illuſtrem

CHRISTOPHORVM MEINERS

quem ſi bonis votis proſequimini, Ciues, facitis vtique, quod et pietas ſuadet et gratus in virum animus, qui veſtris commodis aſſidue inuigilat et incolumitati reip. academicae conſulit: De qua publica vota facimus vniuerſi, numen ſummum adorantes, vt calamitatum finem ac modum ſtatuat, malorum ſolatia ſubmittat, et, ſi mutari nequeunt, ad ea ferenda animum fortem, prouidentiae fidentem, pia et ſalubri conſtantia obfirmet, certa meliorum ſpe recreet.

P. P. in Georgia Auguſta pridie Kal. Septembres cIↃIↃcccv.

# VII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
CHRISTOPHOR. MEINERS
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
THEOPH. IACOBVM PLANCK D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS MARTIAS cIɔIɔcccvi.

*Cenſura ingenii et doctrinae Saluiani Maſſilienſis, librique de gubernatione dei, poſt ſimiles Auguſtini in volumine de ciuitate dei, Oroſiique in hiſtoriarum libris conatus, ſripti.*

Sacris Chriſtianis in Imperio Romano publice receptis, patriisque Romanorum religionibus primo coercitis mox abolitis, contigit, vt in eadem tempora imperii Romani ruentis fata inciderent. Exorti ſunt clamores paganorum, qui exercituum clades, vaſtationes prouinciarum, et barbarorum victorias, a patriarum religionum contemtu, tanquam cauſſa, repeterent, et florentes imperii res per ea tempora, quibus religionibus

patriis honos ſuus conſtiterat, iactarent. Mutua inde conuicia, accuſationes, imputationes, etſi cauſſa vtrinque parum explorata et male conſtituta.

Mala quidem publica ac priuata a religionibus ſeu violatis ſeu neglectis repeti, ſollenne eſſe humanae imbecillitati, omnium gentium docet hiſtoria; ſunt quoque rationes obuiae in notionibus numinis ex ſenſu affectuque humano plerumque adumbratis, vt illud, contemtum aequo animo haud ferre, maieſtate laeſa exardeſcere, iniuriam poenis ſuppliciisque vindicare, calamitatesque omnis generis immittendo ſaeuire, credant. Nec deſunt alia, quibus permoti, prudentiores quoque, res aduerſas ad deorum iras retulerunt, interuenientibus partim naturae fortuitis, tanquam diuinitus immiſſis; calamitoſa autem et exitioſa quomodo humana infirmitas non credat a numine irato et infeſto ſibi infligi? caſibus quoque improviſis luctuoſis conſilia prudentiſſima euertentibus; interdum etiam malorum cauſſas ex diſciplinae publicae priuataeque corruptelis, quae cum religionum neglectu admodum coniunctae ſunt, fluxiſſe videbant; Ita euenit, vt praetermiſſis ceteris cauſſis in poſtremum hoc toto animo incumberent, et caerimoniarum, quamuis ſuperſtitioſarum, neglectum pro fonte omnium calamitatum haberent. Quae opinio Romanorum maxime animis inſederat, quorum respublica religionibus ita implicita et illigata erat, vt religionum contemtus ipſam quoque legum inſtitutorumque auctoritatem infringeret, etſi earum vanitatem prudentiſſimus quisque facile perſpectam haberet. Rebus itaque laban-

labantibus, compage imperii ſoluta, prouinciis a barbaris occupatis, exercitibus deletis, cum in cauſſas malorum inquirerent, nulla grauior occurrebat, quam patriae religiones per noua ſacra ſublatae, deorum irae et poenae: quippe cum ante iſta tempora, quibus noua ſacra recepta fuerant, nullae prouinciae Romanae a barbaris in ditionem eſſent redactae, nec tanta malorum nubes vnquam ingruiſſet.

Impoſita eſt per haec Chriſtianis neceſſitas, vt hanc calumniam a ſacris ſuis auerterent: quod non vno modo factum eſt. Increbuerant atroces iſtae Chriſtianorum inſectationes per tempora maxime vexationum, iam inde a Traiani Marcique annis, multo magis ſub Maximino (cuius edictum v. ap Euſeb. H. E. IX, 7.) circa a. 238. dum odio ſuo pagani praetexebant mala publica per Chriſtianorum impietatem inflicta *a*). Nunc tamen obſeruaſſe ſatis eſto, has inter paganos et Chriſtianos contentiones ſaeculo maxime quarto exeunte nobilitatas eſſe, cauſſa pro patria religione a Symmacho acta, vt ara Victoriae in Curia Senatus reponeretur. Sublata illa erat Gratiani iuſſu a. 382. Flagitauit Senatus vt reponeretur, nec tamen preces admiſit Imperator; poſt eius mortem iteratae preces a. 384. miſſo a Senatu ad Valentinianum III. Symmacho, tum Praefecto Vrbis; nihil tamen impetratum; nec magis res poſt haec

H 5 iterum

*a*) Sunt de his loca Tertulliani Apologet. 40. ad Nationes I, 9. 10. Arnob. adv. gent. lib. I, pr. Ambroſ. Epp. II, 12. iam a Kortholto in Pagano obtrectatore notata; lib. III, 15. p. 618.

iterum tentata anno 388 et 392. ſucceſſum habuit *b*). Oratio in illa legatione a Symmacho 384. habita in eius Epiſtolis legitur *c*): in qua inter alia: *Romam nunc*, inquit, *putemus adſiſtere atque his vobiſcum agere ſermonibus: Optimi Principes, Patres Patriae, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, vt vtar caerimoniis auitis: neque enim poenitet: viuam more meo, quia libera ſum; hic cultus in leges meas orbem redegit; haec ſacra Annibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo ſeruata ſum, vt longaeua reprehendar?* Sine mora Ambroſius, Epiſcopus Mediolanenſis, ad Imperatorem ſcripſit, mox et libellum miſit, quo eius voluntatem a Senatus poſtulatis auerteret, argumentis quidem pluribus vſus, in refellendo autem et conuellendo iſto Symmachi loco argutiis verius et ſycophantiis. Si quis enim candide et vere ad iſta reſpondere volet: diſparia et diuerſa dicet

*b*) De anno 388. in Ambrosii Epist. ad Eugenium 57. et Orat. funebri in Valentin. III. tradi putant; itidem ex Prospero de Promiss. lib. III, c. 38. Iure meritoque Theodosium Aram e Curia remouisse contendunt scriptores nostri. Nescio an aequius fuisset aram relinquere Patribus, qui antiqua sacra retinebant, et iubere liberum esse iis, qui noua sacra amplexi erant, sub ingressum Curiae aram nec adire nec curare. At prouidendum erat hoc, vt, qui Curiam ingrediebantur, essent iusti et sancti viri, ingeniis, animis, moribus bene informatis, rerumque agendarum scientia et studio satis instructi.

*c*) Epistolarum lib. X, Ep. 54. De ara autem Victoriae submota et Senatus precibus negata post alios diserte egit *Lardner Testimonies to the Chr. Relig.* Vol. IV. p. 372 sq. Ex eo *Gibbon* c. 28. et vterque ex *Tillemont.* Add. *Montesquieu Grandeur et Decadence de l'Empire Romain* ch. 19.

dicet iſta eſſe quae tanquam paria et communia memorantur; Florentes imperii res et victorias non religionibus et caerimoniis obtineri, ſed pacis et belli artibus, prudentia ciuili et militari; religionum autem curam et obſeruantiam partem diſciplinae publicae conſtituere; quod ſi, hac diſciplina labefactata et ſoluta, morum corruptelae omnis generis graſſantur, laborat vtique ipſa quoque religionum auctoritas, et, vt diſciplina publica reſtitui poſſit, eadem ipſa reſtituenda eſt; niſi tamen reliqua quoque acceſſerint, adminiſtratio imperii prudenter et prouide conſtituta, opum publicarum diſpenſatrix frugalis et diligens; ſi e contrario imperium male adminiſtratur, luxu faſtuque aulae et palatii, prauisque diſpendiis, publica priuataque patrimonia prodiguntur, ſi plebs tributis et vectigalibus oppreſſa, ſi aerarium exhauſtum, ſi, copiis idoneis haud prouiſis, exercitus temere conſcripti nullis ducibus idoneis praefectis mittuntur: ſola religionum ſanctitate et pietate nec reipublicae felicitas nec bellica virtus, nec vtriusque effectus ſalubres reſtitui poſſunt. Iam autem dudum plebs diuitum et potentum iniuriis, auaritia et luxuria, ad ſummam inopiam et ſeruilem metum abiecta ad omnem virtutem ciuilem et militarem occalluerat; nullus erat honoris, patriae, iuſti aequique ſenſus et reſpectus, nulla ſpes melioris fortunae ex ipſa victoria; eorum autem qui eunuchorum et palatinorum beneficio ordines ducebant, Tribunorum et Ducum, imperitia rei militaris, par auaritia et inertia. Fruſtra adeo exercituum victorias et prolatos imperii fines a cultus religioſi

vera

vera an falſa indole expectabimus: etſi ad virtutem excitandam et inflammandam religioſi ardoris magna interdum vis fuit. Verum ea, quae iſtorum temporum fuit doctrina et diſciplina, animos multo magis ad inertiam, iniuriarum patientiam, ſubmiſſam ad humilitatem mentem, inclinabat.

Prodiit mox in arenam *Prudentius* carmine, ſeu verius declamatione verſibus conſcripta, libris duobus *contra Symmachum*, ita vt priore libro religionum antiquarum hiſtoriam contexeret vsque ad Theodoſium patrem, qui ſuperſtitiones ex Vrbe Roma a. 394. ſuſtulerat *d*); in libro ſecundo ipſa Symma-

*d*) Lib. I, 410 sq. *Cum princeps gemini bis victor caede tyranni* etc. est is Theodosius victor Maximi (388. a.) et Eugenii (394). Quae de sublatis a Theodosio sacris paganis memorat (interpositis, tanquam a Theodosio narratis verss. 467-496. de Constantino Imp.) ea vulgo ad a. 389. referunt, Tillemontio praeeunte ad h. a. Rationes tamen rerum et temporum ita perturbari, aliquoties sensimus: donec animaduertimus, ad a. 394. haec spectare: ducit eo ipse poeta, cum Theodosium *gemini tyranni victorem* appellat, atqui alter Eugenius non nisi a. 394. victus est: etsi verum est, iam ante anno 389. post Maximum tyrannum deuictum Theodosium vna cum Valentiniano iuniore et Honorio filio Romae fuisse, id quod multi scriptores testantur; v. Chronol. Cod. Theodos. h. a. Verum diserte ad a. 394. ea, quae Prudentius memorat, Zosimus adscripsit IV, 59. Theodosium in Senatum venisse, et Patrum peruicaciam increpuisse. v. 507. *Talibus edictis Vrbs informata refugit errores veteres* — ex quo, vt ille vs. 524. profitetur, Roma *inque fidem Christi pleno transfertur amore* et 545-578. *Exultare Patres videas* — e quibus nobiliſſimas familias ad sacra Christiana se conuertisse ait; paucis ex iis in pristina superstitione persistentibus vs. 592. Itaque

Symmachi verba impugnat, quae etiam in Prudentii editionibus inſerta reperiuntur *e*); ſub finem Honorium hortatur, vt ludos quoque gladiatorios tollat: quod cum factum eſſe conſtet a. 404. neceſſe eſt ante hunc annum iſta Prudentii carmina eſſe ſcripta, et quidem anno ſuperiore 403. quandoquidem Gothos victos et pugnam ad Pollentiam (ad Taenarum in Pedemontio) factam commemorat vs. 689-719.

Nec tamen barbari ab inuadendis prouinciis ipſaque Italia deterriti ſunt, etſi paullo poſt a. 405. Radagaiſo ad Florentiam ingenti clade victo et mox caeſo; quo tempore, cum trepidaretur Romae, hoſte pagano vrbis arcibus imminente, pagani in vrbe continuo de repetendis celebrandisque ſacris multis cum clamoribus egere, nomenque Chriſti, tanquam lues aliqua praeſentium temporum, opprobriis eſt grauatum (Oroſ. VII, 37.). Altera ex parte, partim vecordia ſua, partim Sti-
liconis

Itaque *SCto ex Theodosii sententia facto abrogata sunt sacra patria.* Faustinum Areualum in Prolegom. Prudent. p. 48. cum Tillemontio Tom. V. p. 349. ex Ambrosii Epp. II, 15. et Concione in obitu Valentiniani (Tom. V. Opp. Par. p. 108.) videas omnia ad a. 392. reuocare, quia Constitutio eius anni extat (Cod. Theodos. XV, 12.) qua sacrificia idolorum prohibentur; non tamen et reliqua a Prudentio memorata cum eo anno conueniunt. Omnino in his annis, dum similia edicta et facta sunt, in nostris libris multum turbari videas.

*e*) In his quoque superiora: *Romam nunc putemus assistere* sq. Romam, post vs. 947. ait, potius nunc gratias agere Imperatoribus, quod per eos senectam exuerit, Christianis sacris inductis et priscis superstitionibus expulsis.

liconis conſilio et virtute, deletis barbaris, tam peruicaces in detrahenda virtutibus ciuilibus laude et vindicandis religioſo cultui fauſtis euentibus erant Chriſtiani, vt, non virtute, ſed miraculo diuinitus edito hoſtes proſtratos eſſe contenderent: ac ſi maior laus eſſet, miraculo aliunde ſeu caſu ſeu diuinitus oblato viciſſe, quam virtute innata et conſiliorum prudentia. Itaque Auguſtinus quoque pronuntiare haud erubuit, (de Civ. Dei V, 23.) *vno die tanta celeritate Radagaiſum victum eſſe, vt ne vno quidem, non dicam extincto, ſed nec vulnerato, Romanorum, multo amplius quam centum millium proſterneretur eius exercitus f*). Enimuero cum aliquot annis poſt (a. 408. et iterum 409.) Alaricus non niſi magnis muneribus placatus ab vrbe receſſiſſet, tandem autem a. 410. eam captam expilaſſet: tum vero perculit animos res inopinata, vrbs inter ſacra patria inuicta, nunc, iis per Chriſtiana ſacra expulſis, barbarorum armis capta et direpta; multoque magis ſequentium annorum calamitates, clades et vaſtationes Italiae, prouinciis iam in ditione barbarorum habitis; iis enim malis ſimilia nulla antea aetas viderat g). Nunc vero bona cauſſa patrono indigere viſa eſt ſagacitatis et eloquentiae ſpectatae; ſuſcepit eam *Auguſtinus*, et tum alia, et in his nonnulla ſatis ſpecioſa dictu perorauit h), tum vero inprimis, Chriſtianae pieta-

f) Bilem mouebat narratio etiam acuto ſcriptori Gibbon Vol. III. c. 30.

g) Grauiſſimus hanc in rem eſt locus Zoſimi IV, 59. §. 4 ſq.

h) Eſt in his vnum, quo intelligas, quantopere ſe premi rerum argumentis ſenſerit, dum vim Chriſtianae

pietatis felicitatem non hac in vita eſſe expectandam, ſed futurae vitae ſepoſitam eſſe; magnitudinem autem priſcam imperii Romani, rem per ſe vanam, praemium fuiſſe a numine conſtitutum virtutibus nonnullis Romanorum vanis et inanibus *i*). Dedit res, profitente ipſo Auguſtino Retractat. II, 13. locum diſputationibus, ad innumera alia a re aliena deductis, quibus Libri XXII. *de Civitate dei* ſunt referti; opus inchoatum ſtatim poſt a. 410.

stianae religionis ad Gothorum mitigandos animos tantam fuisse praedicat, vt vrbis calamitas non tanta fuisse censenda sit, quanta, antiquis sacris vrbi illudentibus, a Gallis vel a Nerone illata fuerit: Augustin. C. D. I, 7. Oros. VII, 39.

*i*) Tam soluta, tumultuaria et incondita opera Augustinus librum hunc condidit, vt omnino difficile sit ad explicandum, quomodo non senserit, nullum rerum sententiarum, argumenti, esse consensum, ordinem, nexum; neque vllo modo consilio scriptoris tam operose ac verbose simulque tam perturbate dicta respondere. Libris enim decem prioribus religiones Romanas, vna cum philosophorum placitis, exagitat; nec Romanos inter religiones suas felices fuisse, nec religionibus amplitudinem ac diuturnitatem imperii Romani esse debitam (qui illi fuerint, lib. VI, c. 1 sq. dixerint, deos a se coli non propter vitam praesentem, sed futuram, haud dixerit quispiam). Repente tum libro XI. duas civitates constituit, alteram caelestem, alteram terrenam; sacrasque historias persequendo ad hanc refert res humanas ac profanas, ad illam res diuinas, quae ad pios homines, eorum dicta, facta et fata spectant, eademque ad Christum et ecclesiam refert; haecce est denique illa Ciuitas caelestis, in qua vita beata et praesens et futura sit expectanda. Pro his malimus, ex hoc libro a viro docto chrestomathiam condi eorum, quae ad antiquitatis antiquarumque litterarum illustrationem vtilia et memorabilia esse possint.

a. 410. libris primo tribus, tum aliis editis, et per diuerſa temporum interualla continuatum, nec niſi ſub extrema vitae, quae in annum 429. inciderunt, abſolutum. Deflexit inde quaeſtio ad ſubtiliora, de origine malorum, de liberando numine a malorum culpa, de prouidentia et iuſtitia dei, de libero hominum arbitrio: et quantopere in his per ſubtiles argutias conſtituendis laborauerit Auguſtinus et poſt eum alii, non neceſſe eſt dicere. Satius erat acquieſcere in liberali profeſſione, iuſtam harum quaeſtionum enodationem vltra humanae imbecillitatis limites eſſe poſitam, nosque ſubtiliſſima quamuis explicatione in nouas impingere offenſas inexplicabiles; ſufficere, hoc vniuerſum ita eſſe conſtitutum, vt, cauſſis effectisque deinceps ſe excipientibus, noſtrum terrarum orbem et phyſicis et ethicis malis laborare iam ab origine neceſſe eſſet; omnino, an, quando et quomodo, numen effectibus intercedat et praeter ordinem ſe interponat, mortalia ingenia nec aſſequi nec aſſequi poſſe; appellare autem nos mala, quae elementis et materiae naturaeque humanae, (ita, vt eſt, conſtitutae) ſunt tam propria, vt abeſſe nequeant, ſed naturae legibus cauſſisque eueniant; pro bonis autem malisue ea haberi ſecundum vires et effecta in nos resque noſtras; eſſe itaque ea, quae in damnum vertunt, aut ingenii ſollertia conſilioque emendanda, aut forti conſtantique animo ferenda, neceſſitate, ex naturae noſtrae fragilitate et imbecillitate, ſemel conſtituta; poſſe vtique fieri ac ſolere, vt prudenti conſilio auxilioue ab iis, qui remedia parare debebant, haud occurratur, quin

noua

noua quoque mala parentur; nec tamen hoc ſemper et vbique deprauatione voluntatis, ſcelere, flagitio, parari, ſed plerumque iudicii errore, imperitia, leuitate, vanitate euenire; quicquid ſit, mala inde orta ferenda eſſe; ita ſtatus ſocialis legem et neceſſitatem in inchoata hac, nec abſoluta, rerum conſtitutione, per naturae humanae imbecillitatem, ferre; bella, clades, victorias, exactiones, contingere ciuilibus de cauſſis; ad religiones, cultusque diuini modos ac formulas ea haud eſſe referenda. Ferre ferenda, et aequo animo carere negatis, ſummam eſſe omnis humanae ſapientiae, confidendumque numini ſapientiſſimo, optimo, maximo, et habendum perſuaſum, fieri ea ſuis de cauſſis recte nec temere. His aliisque quae forte dici poterant, homines iſti, qui ſibi ſapere et religiones colere videbantur, ſubſtituerunt craſſiora illa de ingenita humanae naturae malitia, daemonum conſortium prauitate et ſic porro; tum vero deum in caelo ſedere, orbem hunc terrarum inſpicere, actis geſtisque hominum modo laetari modo iraſci, tum punire vel remunerari ſeu pro certis rationibus ſeu pro lubidine et arbitrio: pro poenis autem eſſe mala vitae, modo ex naturae neceſſitate, aeris corruptelis, terrae motibus, tempeſtatibus, aquarum eluuie, et aliis, quae peſtes et febres gignunt, quas illi parari extemplo a numine naturae turbato ordine et temere immitti putabant; modo ex generis humani, ſocietatis vitaeque vitioſa conſtitutione et informatione, a cuius perfecto aliquo exemplo multum adhuc abſumus, nata. Premuntur tum ii qui ita diſputant,

ea animaduerſione, quod iisdem malis et bonos et malos, noxios et inſontes, pari poena affici fatendum eſt. Ita in nouas difficultates et dubitationes implicitos ſe eſſe ſentiebant.

Excitauerat Auguſtini vibrantis arma exemplum *Oroſium*, diſcipulum, vt et ipſe arma ſumeret *k*) etſi imbellibus manibus; ſollenni tamen more adoleſcentium, in controuerſiis litterariis incaleſcentes feruore aut vecordia magiſtros ſuos ſtipantium, iis acclamantium, ſibi ipſis plaudentium, et ex ſuffragatione aut adulatione partem aliquam famae ſibi aucupantium. Arripuit ille potiſſimum hoc, quod pagani "*praeſentia tantum tempora, veluti malis extra ſolitum infeſtiſſima, ob hoc ſolum, quod creditur Chriſtus, et colitur deus, idola autem minus coluntur, infamant*"; congeſſit igitur ex omnium ſaeculorum hiſtoriis quicquid malorum bello, peſte, fame, terrarum motibus, aquarum eluuie, ignium eruptionibus, vel etiam hominum parricidiis flagitiisque, eueniſſe narratum eſt; non ſatis reputans, ita quidem ad vulgare ſolatium, quae mala nunc ſint aut nobis eueniant, aliis quoque iam olim eueniſſe, rem eſſe deductam; non autem ita conſtare, quidnam boni per abrogata patria ſacra Romani ſint conſequuti, aut quibusnam in rebus oſtentata ex nouo cultu humani generis felicitas manifeſtata et vere repraeſentata fuerit; etiamſi fatendum ſit, per haec quoque recentia, priſtinis paria mala, Chriſtianorum animos ad pietatis praemia in altera vita expectanda eſſe erectos. Hominem nec ad hiſtorias

*k*) v. Gennadii verba edd. Oroſii praefixa et ipſius Oroſii praefationem.

rias condendas ingenio aut arte felicem nec iudicio acrem facile agnoſcas; quod tamen e libris deperditis nonnulla inſerta legimus, ei in laudem cedit. Detexuit operam ſuam Hiſtoriarum aduerſus paganos *l*) libris VII. vsque ad ſua tempora poſt captam Romam, finemque impoſuit a. 417. decem libris Auguſtini de Ciuitate dei iam tum euulgatis.

Inter haec Imperatorum ſocordia, ducum imperitia et perfidia, exactionum acerbitate, potentum auaritia et luxuria, imperii res multo magis profligari, barbarorum incurſationibus vaſtari prouinciae. Nunc vero non modo pagani incuſare religionum ſuarum contemtum, verum et Chriſtiani conqueri calamitates, pietati ſuae parum reſpondentes; *deum negligere res humanas, bonorum et malorum parem eſſe curam, parem fortunam.* His occurrendum erat nouorum argumentorum acie; eaque circumſpexit *Saluianus, Epiſcopus Maſſilienſis,* opere circa 440. ſcripto imperante Valentiniano III. cum iam Vandali Africam occupaſſent regni ſede



*l*) Optime de Orosio egit Schönemann olim noster in Biblioth. PP. Tom. II. p. 481. Quod librum doctissime scriptum admodum paucorum manibus teri aiunt, pro argumento est, totum hoc eruditarum litterarum genus inter nostrates euiluisse: quem quidem doctioris huius studii contemtum grauiter in se vindicari sentiet posteritas. Ceterum variis modis inscriptum librum Orosii reperiri, veram inscriptionem ignorari, constat: mirum vocabulum *Ormesta* s. *Ormesia mundi* videtur resolui posse in *Or. mesta*, h. e. *Orosii maesta*, s. tristia *mundi*. Nec tamen displicet Schönemanni acumen, codicem fuisse inscriptum *Or. m. ista*, h. e. *Orosii mundi historia.*

a Genſerico Carthagine conſtituta. Facit enim (Lib. VII, p. 141.) mentionem Litorii, Romani ducis, Hunnis auxiliaribus praefecti, Theudericum regem Gothorum apud Toloſam temere adorti, ab eo victi et caeſi a. 439. Tum non modo Africam memorat a Vandalis occupatam, (428.) verum et Carthaginem captam regnique ſedem factam (439.): libri ſunt VIII. ad S. Salonium Epiſcopum *de gubernatione dei:* addunt alii, *de iuſto dei praeſentique iudicio.* Primo et altero libro de prouidentia diuina diſputat, inficiantes refellere, dubitantes redarguere ſibi viſus; vt tamen verboſa potius loquacitate obtundat, quam argumentorum dilectu, vi, pondere et diſerta expoſitione vincat et perſuadeat; pleraque teſtimoniis et locis communibus verbisque ſimilibus librorum ſacrorum memoratis exſequitur.

*Incurioſus*, inquit, in ipſo libri exordio, *a quibusdam et quaſi negligens humanorum deus dicitur, vtpote nec bonos cuſtodiens, nec coercens malos, et ideo in hoc ſaeculo bonos plerumque miſeros, malos beatos eſſe.* Expectes igitur probatum iri, aut, hoc ita ſe non habere, aut, ſi ita ſe habeat, alio modo eoque fere exemplo, quod paullo ante propoſueramus, de his eſſe iudicandum; boni et mali notiones perperam a nobis conſtitui, et temere ea, quae ex naturae legibus procedunt, et vniuerſi rationibus a nobis ignoratis reſpondent, pro bonis malisue haberi; nos, quicquid de diuina natura philoſophamur, ad naturae humanae modulum effingere et adumbrare, mentique diuinae tribuere modos prouidendi, puniendi, remunerandi, a noſtra imbecillita-

cillitate translatos; ipſa iudicia noſtra, ex notione perfectae naturae petita, tamen pro fundo habere naturam finitam. Pro his Saluianus haec ſubiicit: "*ſufficere quidem ad refellenda haec, quia cum Chriſtianis agimus, ſolus deberet ſermo diuinus:* (bene hoc, ſi argumenta in eo recondita eruantur rite, enucleentur, et illuſtrentur) *ſed, quia multi incredulitatis paganicae aliquid in ſe habent, etiam paganorum forſitan electorum atque ſapientum* teſtimoniis *delectentur:* (Enimuero teſtimoniis talis demonſtratio non efficitur, ſed argumentis eorumque idonea prolatione) *probamus igitur, ne illos quidem de incurioſitate ac negligentia ita ſenſiſſe.* — Commemoratis nunc philoſophis, qui deum ediderunt eſſe animum per omnes partes mundi diffuſum, quo ipſo conſtet, etiam naturae curam ei eſſe debere, contra Epicureos diſputat, nec tamen eorum rationes conuellit, ſed ſtatim ad vulgaria tranſit: "*quod meliorum ſtatus in hoc ſaeculo deterior eſt*" et reſpondet: "*ſanctos non eſſe miſeros, nec aliud eſſe poſſe quam beatos.*" Excurrit nunc in locum hunc communem declamationibus haud incommodum; delabitur quoque ad monachica placita. — Nec vere dici poſſe *deum omnia iudicio futuro ſeruare:* immo vero deum etiam in hoc ſaeculo iudicare, quia gubernat; nam gubernationem ipſam eſſe iudicium; — niſi hoc eſſet, quorſum deo ſupplicaremus? Nunc, vt probet deum regere et iudicare, res a Moyſe narratas pro exemplis commemorat: quibus appareat deum curare homines, praemiis poenisque afficere.

His probationibus ille ſatis defunctum ſe eſſe arbitratus, quarum vim excutere neceſſe non eſt,

libro *tertio* ad quaeſtionem procedit: "*cur melior multo ſit barbarorum conditio quam Chriſtianorum; cur inter hos ipſos quoque ſors bonorum durior puam malorum; — poſſum quidem,* inquit, *rationabiliter et ſatis conſtanter dicere: neſcio. — homo ſum, non intelligo ſecreta dei. inuestigare non audeo.*" Vtinam in his ſubſiſtere maluiſſet! Mox tamen de paganis quidem quicquam proferre recuſat; quod autem ad Chriſtianos attinet, primo, eos ait eſſe miſeriis tolerandis deſtinatos: ita apparere, an ſint vere fideles, et an legibus Euangelii ſatis faciant; ſecundo, tantum abeſſe vt Chriſtianos deus miſeriis calamitatibus que colluctantes haud reſpiciat, vt potius iis has ipſas calamitates iure meritoque pro poena infligere dicendus ſit. Tum vero medio fere libro (p. 49.) hanc refellendi erroris viam ingreſſus, Chriſtianos docet omni vitiorum, criminum et flagitiorum genere iram et vltionem diuinam prouocaſſe, patientiam et clementiam eius expugnaſſe, nunc itaque iſta mala pro poena infligi, etſi pro meritis multo mitiore, et cum paterno animo, vt corrigantur et emendentur. Ab his pinguium olim ingeniorum, et ad miſerationem calloſorum praecordiorum, de deo optimo maximo iudiciis, profectus, et ab his exorſus, Chriſtianorum mores ita exagitare pergit, vt nihil cogitari poſſit flagitioſius, nihil corruptius ac probroſius, vita Chriſtianorum eius temporis *m*). Atque in his flagi-

*m*) Multa huius generis denuo decantantur in libro *contra auaritiam*, nec tamen conſilio ſatis laudabili, dum id agit vt perſuadeat Christianis, liberalitate in pauperes esse redimenda peccata, inter paupe-

flagitiis et corruptelis Chriſtianorum decantandis ille et hunc librum et ſequentem quintum porroque reliquos conſumit; in hac tamen operis parte lectori prudenti melius ea ſuppeditat, quae ad quaeſtionem propoſitam reſponderi poſſint, quam per argumentationes parum plerumque idoneas et ſubtiles, interdum quoque ſophiſticas et callidas verius quam validas: quas quidem vlterius perſequi operae pretium haud foret. Enimuero corruptae iſtorum hominum vitae et diſciplinae Chriſtianae exempla nonnulla commemorare, conſentaneum eſt, e quibus melius, quam vllo alio modo fieri poteſt, apparebit: *cur tot tantisque malis et calamitatibus oppreſſum fuerit genus humanum.* Nam imperii, principum fatuitate et inertia, aulicorumque prauis artibus, aut imperite aut ſocorditer per multos annos adminiſtrati, vires fractas et exhauſtas, populos tributis, exactionibus, dominatione acerbiſſima, ad ſeruilem ſtuporem proiectos, omittimus: at, quam diſcors a doctrina chriſtiana et a diſciplina omni publica priuataque vita Romanorum fuerit, oſtendamus, vt inde intelligatur, nulla elementa vitae bene et feliciter agendae illa aetate ſuperfuiſſe; ſed omnia publice privatimque ad infamem mollitiem et atrocem inhuma-



panperes referens clericos et monachos; maxime autem sub exitum vitae memorem esse oportere legandae partis ex hereditate ad pios vsus: h. e. ad augendas ecclesiae et monasteriorum opes. cf. Ernesti Prolus. de auaritia eccles. in Opusc. theol. p. 250. inpr. p. 560 sq. et Oelrichs Commentarios de Scriptoribus ecclesiae Latinae priorum sex saeculorum p. 300.

humanitatem diuitum ac potentum, et ad dedecora miſeriasque plebis fuiſſe comparata; tantum abfuit, vt diſciplinae Chriſtianae ſanae ac verae ſeu vſus et vis ſeu veſtigium aliquod ſupereſſet.

Saepe et identidem iterat ſcriptor, non modo non meliores eſſe Chriſtianos barbaris, ſed multo deteriores; et barbaros prouincias ingreſſos flagitioſam Chriſtianorum vitam obſtupeſcere, horrore et contemtu correptos. Intelligit autem per Chriſtianos Romanos; nam et Gothi et Vandali erant Chriſtiani, etſi haeretici, quippe Ariani, meliore morum diſciplina inſtructi; erant quidem etiam Romani haeretici, eorumque magna multitudo; hos *infidelitate* ait *eſſe Romanis deteriores, et foeditate vitae barbaris turpiores* (lib. V. p. 98.): quae, ſuperioribus parum conſentientia, odium Saluiano expreſſiſſe patet. *Inter haec*, pergit Saluianus (p. 90.) "*vaſtantur pauperes, viduae gemunt, orphani proculcantur in tantum vt multi eorum, et non obſcuris natalibus editi, et liberaliter inſtituti, ad hoſtes fugiant, ne perſequutionis publicae afflictione moriantur; quaerentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt, — itaque paſſim vel ad Gothos vel ad Bagaudas vel ad alios vbique dominantes barbaros migrant n); et migraſſe non poenitet; malunt enim*

*n*) De Bagaudis, quorum in Cenſura XVII. Panegyr. vet. Comment. pr. mentio facta erat, et de miſera eorum conditione per vexationes, ſimiles iis quibus aliquando ruſtici Germaniae exagitati ad ſimilia

*enim ſub ſpecie captiuitatis viuere liberi, quam ſub ſpecie libertatis eſſe captiui.*" (p. 93.) "*illud indignius, quod omnium onus non omnes ſuſtinent, immo quod pauperculos homines tributa diuitum premunt, et infirmiores ferunt ſarcinas fortiorum. — Adiectiones tributarias ipſi interdum diuites faciunt, pro quibus pauperes ſoluunt — decernunt potentes quod ſoluant pauperes..*" An, ſi haec legeris, vlterius tibi putes quaerendum eſſe de malis vitae eorumque cauſſis et auctoribus? Quis a miſeris tam indigna paſſis mores Chriſtiana diſciplina dignos exigat aut exquirat! quis de vita flagitioſa conqueratur, aut potentibus Chriſtianas virtutes cordi fuiſſe expectet, qui onera publica in egenos, iam tributorum mole defetiſcentes, a ſe amouent, "*cum a paucis potentibus decernitur, quod a multis miſeris dependatur*" qui porro, "*cum ad ſubleuandam prouinciam remiſſiones tributorum aut alia fortunae remedia a ſummis poteſtatibus*, hoc eſt a magiſtratibus, *decernuntur, ipſi ea egenis praeripiunt et inter ſe partiuntur.*" — *Vbi, niſi in Romanis, tanta ſunt mala? Franci hoc ſcelus neſciunt; Chunni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Vandalos, nihil horum apud Gothos. — Et miramur, ſi non vincuntur a noſtris partibus Gothi,*

I 5 *cum*

lia consilia proruperunt, locus classicus est Salviani lib. V. p. 91 sq. vbi inter alia: *per malos iudices et cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam ius Romanae libertatis amiserunt, etiam honorem Romani nominis amiserunt:* (videntur ergo ad servilem conditionem esse detrusi) et *imputatur his infelicitas sua, — et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos* etc. Nam sunt multa lectu digna.

*cum malint apud eos eſſe, quam apud nos, Romani! Itaque fratres noſtri ad eos non transfugiunt, nos relinquunt.* — Narrat porro eos, qui ſuum agellum familiamque deſerere nequeunt, dedititios ſe diuitum facere et in ius eorum ditionemque tranſire: iam iſtos ſuum patrocinium ita vendere, vt pauperes omnia ſua bona iis addicant; ita, vt patres habeant defenſionem, filios perdere hereditatem. Iam porro *iidem pauperculi, exterminati agris ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur, cum poſſeſſio ab iis receſſerit, capitatio non recedit; proprietatibus carent, vectigalibus obruuntur;* — itaque *nonnulli, qui quorſum fugiant non habent, fundos potentum expetunt et coloni diuitum fiunt, — iugoque ſe inquilinae abiectionis addicunt — ita domini incipiunt eos habere quaſi proprios, et, quos conſtat eſſe ingenuos, vertuntur in ſeruos.*

Bonum Epiſcopum haec indignari tanquam Chriſtianae doctrinae repugnantia facile expectes, nec mireris; verum hoc miraberis, eum haud aſſequi, ab iis, qui ſummam imperii adminiſtrant resque inſpiciunt, ſolis remedia malorum, non a doctrinae formula, fuiſſe expectanda, nec a diſciplina, quam vocant, eccleſiaſtica. Nam eam facile veniam dabimus pio homini, quod non intellexit, mala a calamitatibus per bella illatis orta inſequuta pace prudentibus conſiliis poſſe reparari; enim vero, profuſione et prodigalitate opum publicarum continuata, in ſumma hominum egeſtate, pacem bello non vtiliorem ſed etiam exitioſiorem eſſe.

Non

Non licet haec vlterius perſequi: ſunt innumera, quae de noſtrorum temporum moribus, flagitiis, luxurie, inſolentia, narrata eſſe putes; ſunt tamen alia, quae ſaeculi noſtri vitia excedunt, vt mores noſtrorum hominum mitiores et humanitatis ſenſu emollitos agnoſcas; inprimis quod ad hominum, religioſis ritibus doctrinaeque Chriſtianae docendae conſecratorum, ingenia moresque ſpectat. Exagitantur libro ſexto ſpectaculorum flagitia, ad noſtrum ſenſum incredibilia, amphitheatra, circi, theatra (p. 105 ſq.) etiam die dominica celebrari ſolita, in multis locis propter populi egeſtatem intermiſſa, at Rauennae et Romae ſummo cum furore expetita. Deficeret charta apponendis iis quae de Treueris, de prouinciis, de Gallia, narrat. "In Aquitanis et Nouem Populis: (lib. VII. p. 132 ſq.) pene vnus gurges, omnium gula; pene vnum lupanar omnium vita — offenduntur barbari ipſi impuritatibus noſtris. Potuiſſent ne homines ſacris Chriſtianis addicti ad tanta flagitia prolabi, ſi litterarum ſtudia viguiſſent, e quibus omnium bonarum rerum primordia procedunt, bona inſtitutio, morum humanitas, ſacrae doctrinae ſanctitas ac veritas? — De Afris vero Chriſtianis vix auditu toleranda memorat p. 145 ſq. vbi: "nam ſicut in ſentinam profundae nauis conluuiones omnium ſordium, ſic in mores eorum quaſi ex omni mundo vitia fluxerunt; — omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quaedam bona; in Afris pene omnibus neſcio quid non malum; — impuritate autem etiam

etiam vitia ſua vicerunt." — Omnem tandem modum excedit, vbi omne ſcelerum et flagitiorum exſecrationisque genus in Carthaginem vrbem effuſe cumulat *o*). Vix tibi temperes quo minus credas bonum Saluianum veritatis limites in his interdum amplificandis eſſe egreſſum; eſt quoque eius oratio propior declamationi e pulpito ſacro. Habebat tamen per haec cauſſam ſuam euictam: calamitates Chriſtianorum pro poena impietatis eſſe inflictas.

Ceterum his lectis auditisque manifeſtum ſit, ſi tempora noſtra comparemus, nos habere quod prouido numini gratias agamus de meliore doctrinae Chriſtianae vitaeque noſtrorum temporum cultu; quamuis enim de corruptelis aetatis huius iure meritoque conqueramur: non tamen ea laborat

*o*) Institutionem Christianae doctrinae admodum modicam et mancam in ipsa Carthagine tum quoque fuisse, ex hoc discas. quod cum cultu Christi religio Deae Caelestis fuit publice coniuncta, VIII, p. 163. 164. Vnum est, quod tamen forte aegre feras. quod in ciuitatibus Africae et maxime intra Carthaginem adspectum monachi aut coenobitae aut anachoretae ex Aegypto haud admiserunt, conuitio et execratione eos insectando lib. VIII, 157. Ceterum multis Saluiani locis vsi sunt viri docti in describendis Christianorum vitae corruptelis huius saeculi; suo quisque indicio ac consilio, vt taceamus Tillemontium ac similes, memorari possunt Montesquieu, Gibbon, Meiners noster (*Histor. Vergleichung des Mittelalters* p. 90 sq.). Pium virum *Kortholtum*, qui in Pagano obtrectatore lib. III. c. 15. p. 664 sqq. de malis et calamitatibus publicis Christianismo imputatis sedulo egit, nihil e Saluiano afferre miraberis.

borat infamibus his flagitiis et ſceleribus, quibus contaminatus fuit orbis Romanus vixdum ſaeculo elapſo, ex quo cultus Chriſti religioſus publice fuerat receptus. Ei tamen cultui immerito teterrimam iſtam luem peſtemque tribueret aliquis. Imperantium ſocordia et imperitia, aulicorum fraude et malitia, nobiliumque, potentum ac diuitum vecordia et iniuſtitia, omnis legum ac iudiciorum vis et ſanctitas, ius et fas, erat ſublatum, omnis diſciplina publica priuataque euerſa: ad animos, partim luxurie auaritia et inhumanitate efferatos, partim nulla inſtitutione imbutos, potentum iniuriis foediſſimis obnoxios, quam quaeſo vim habere potuit doctrinae Chriſtianae ſanctitas, cuius ne notio quidem aliqua iis inſtillata fuerat? vnde ad intelligendum in promtu eſt, ab inſtitutionis et adminiſtrationis rei publicae, quaecunque illa ſit, prudentia et conſtantia, a iudiciorum ſanctitate, morum cura, litterarum bonarum cultu, procedere imperiorum ſalutem; atque ita quoque, melioris diſciplinae Chriſtianae bona ſi acceſſerint, altiores eam in animis radices agere, et reliqua ſalutis publicae praeſidia firmare ac ſtabilire; iſtis autem praeſidiis orbatam, inermem et imbellem eſſe.

Actae ſunt partes praefantis; ſumendae ſunt alterae praeconis, vt pronuntiemus praeconio noſtro ac promulgemus ſuccedentem in vices magiſtratus academici per inſtans ſemeſtre virum ſumme reuerendum

THEOPHILVM IACOBVM PLANCK D.

ſollicita ſalutis publicae cura, prudentia et conſtantia, veſtrique caritate, Ciues, eodem iam olim magi-

magiſtratu geſto, ſpectatum. Contracta ex nupera nonnullorum fraude, et adſperſa academiae noſtrae, labes eluetur obſequio veſtro, modeſtia et tranquillitate. Cumque ea vtinam confeſtim coniuncta ſit, GEORGIO III. rege ac patre patriae rebus noſtris prouidente, reddita tranquillitas publica, quies et pax, integro et incolumi rerum ſtatu, cum felicitate publica priuataque. Illuceſcat tandem aliquando illa lux, omnium quae fuere, feſtiſſima et fauſtiſſima! *o Sol pulcher! o laudande!*

P. P. in Georgia Auguſta pridie Kal. Martias cIↃIↃCCCVI.

---

# VIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
THEOPH. IAC. PLANCK D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
IOANN. PETRVM WALDECK D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS SEPT. cIↃIↃCCCVI.

## *Cenſura Boethii de conſolatione philoſophica.*

Etiam libellos ſua fata habere, notum eſt dictum, Commilitones, ſaepe quidem cauſſis fortuitis, interdum tamen merito ſuo, raro praeſtantia ſingulari; interiere opera ab aequalibus immortalitatis laude conſecrata, ſeruata ſunt plura, quorum iactura vel vnum ex altero genere redimi poſſe velles. Quae quidem res nec minus ad retundendam confidentiam eorum vim habere debet, qui ingenii ſeu doctrinae ſuae fetibus aeternitatem tam prolixe

prolixe promittunt; vt intelligant, durationem famae, quae per ſe eſt fluxa et incerta, vt meritis ſaepe negatam, ita ſaepius eſſe indebitam: vti nec ſola ac nuda nominis celebritas habet quod deſideres; quod enim nomen eſt vulgatius, inter pueros quoque, quam Priſciani aut Donati? Inter libros celebratiſſimos eſt *Boethii* de *conſolatione philoſophica*, per tot ſaecula lectione et vſu doctiſſimorum hominum commendatus. Qui quidem libellus quo tandem merito ſuo tantam celebritatem obtinuerit, facile quaeratis. Et habet vtique ille laudes ſuas, quibus ſe commendet; multo magis, ſi, quo tempore ille ſcriptus ſit, memineritis; profuit nec minus poſita ab eius auctore Boethio opera in libris Ariſtotelicis latine vertendis et illuſtrandis, opera, inquam, inter homines doctos per ſuperiora ſaecula ſumma in laude habita; maxima tamen ex parte celebritas libelli *de conſolatione philoſophica* debita eſt miſeriae humani generis, quod per omnia ſaecula, multoque magis Boethii aetate, et multis inde temporibus, calamitatibus aerumnisque omnis generis vexatum, ſolatia malorum circumſpexit cupideque arripuit oblatum ſibi munus, ad leuandas aegritudines, idque ab homine, probitatis et integritatis laude ſpectato, fortunae luſibus iactato et per inuidorum calumnias in vinculis necato. Lectus itaque eſt libellus a multis millibus; mitigati, quod credere licet, multorum animi, dolore exulcerati; cepit quoque aliquos carminum dulcedo; conuerſus eſt libellus in multarum gentium ſermonem, ab Rege Alfredo etiam in linguam Angloſaxonicam; editiones

nes curatae complures, et conſcripti commentarii. Iam autem vita noſtra iis oppreſſa eſt calamitatibus, tot obſepta terroribus, vt facile aliquis tantarum aerumnarum et malorum medelam anquirens incidat in recordationem libelli tot hominum manibus triti, vtque, eo in manus ſumto, videat, quid ex iſta conſolatione in ſe medicinae loco ipſe adhibere poſſit. Quo magis nobis in praeſentibus ad Boethium deuertere licebit, cum ſuperioribus annis nonnullorum ſcriptorum Romanorum cenſuram egerimus ex iis aetatibus, quae in vulgarium ſtudiorum curſu raro tractari ſolent, magnam tamen habere poſſunt vtilitatem ad ipſas temporum notitias, hominum, morum, ſtudiorumque rationes; vt nuper in Salviano haud poenituit cauſſas cognoſcere malorum ſaeculi, in quo Chriſtiana doctrina in imperio Romano primas partes occupauerat, nullo aut exiguo ad felicitatem publicam fructu, imperio Romano contra multis magnisque calamitatibus afflicto. Videamus itaque et nos, an ex Boethio noua moeroris fomenta propinare aequalibus noſtris poſſimus; ſequuti illa Ennii apud Ciceronem: *O Tite, ſi quid ego adiuero curamque leuaſſo, quae nunc te coquit et verſat in pectore fixa, ecquid erit pretii?*

Multi ſunt libri, quorum cauſſas et conſilia ab auctorum fortuna repetere neceſſe eſt, nec noſtra modo aetate, qua venter ſummus eſt litteraturae arbiter. Liber de conſolatione ſcriptus eſt a viro de ſumma dignitate et fortuna per aulicorum hominum malas artes deiecto et in carcere detento. *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius*

*thius a*), vir conſularis, auctoritate et gratia apud Theodoricum, Oſtrogothorum in Italia regem, pollens, Conſulatu tertio cum Symmacho ſocero geſto anno 522. improbiſſimorum hominum flagitioſae malitiae, auaritiae et libidini, in opprimenda exactionibus rapinisque Italia, fortiter reſtiterat, nec pro republica ac ciuium fortuna potentiorum inimicitias ſuſcipere refugerat; quorum calumniis anno ſequente in regis odium adductus, tandem, cum a Senatu falſae delationis periculum depuliſſet, in ſuſpicionem ipſe venit, cum Senatu conſilia agitaſſe de reſtituenda re Romana in priſtinum ſtatum, Italiaque in libertatem vindicanda *b*). Erant tamen alia quoque quae regis animum ab eo alienauerant; etenim iſtis temporibus contentiones inter Arianos et Catholicos cum maxime agitabantur; quibus Boethius ſe interpoſuerat, quippe qui cum alia, quibus orthodoxorum dogmata defenderat, tum libellum de Sancta Trinitate ſcripſerat, opera ingrata Arianis, qui ſua decreta

*a*) ***Boethium***, non Boetium, scribimus, ex Diptychi Consularis, (quod ad patrem Boethii nostri referendum esse, post tot virorum doctorum disputationes de diptycho Brixiano. in Gorii Thesauro vet. diptychor. Vol. I. p. 154. 202. probabile fit,) auctoritate er sermonis ratione, vocabulo a *βοηθὸς* ducto; etsi vulgaris scriptura codicum et monumentorum, quodque mireris, etiam Procopii est, in cuius edd. *Βοέτιος* est exaratum.

*b*) Ipse haec exposuit in Consolatione lib. I. prosa IV. p. 24 sqq. (cf. quae post ista a me scripta disertius exposita sunt a Collega Ge. Sartorio V. C. in libro varia eruditione instructo et ab Instituto Franc. Imp. praemio ornato, *über die Regierung der Ostgothen.* p. 134.)

decreta refelli videbant; rex Arianis partibus addictus, et Catholicorum erga ſe odiis exacerbatus, partim de tranquillitate publica ſollicitus, cum eos conſilia cum Iuſtino Imp. Orientis communicaſſe comperiſſet, qui edixerat, vt omnes Arianorum aedes ſacrae orthodoxis redderentur, tandem aures expugnatas accuſatorum Boethii clamoribus praebuit. Ita Boethius cauſſa indicta Ticinum, Papiam dixere ſeriores, anno 524. eſt relegatus, exutus dignitatibus, bonisque publicatis, damnatione, quod ipſe ait, infamatus, quandoquidem "ita fit, *vt exiſtimatio bona prima omnium deſerat infelices*," carceri incluſus, in quo paullo poſt anno 526. gladio eſt percuſſus; idem ſupplicium de Symmacho ſocero eſt ſumtum.

In carcere illo Ticinenſi libros de conſolatione philoſophica ad ſuum ipſius dolorem leniendum compoſuit: librorum copiis deſtitutus *c*), fortunae ſuae ſolatia moerorisque remedia ſedulo conquirens. Ipſe philoſophiae Peripateticae innutritus, lectione Platonica eximie imbutus, (Eleatica, hoc eſt Dialecticam, et Academica ſtudia ipſe commemorat, (lib. I, 1.) ad philoſophica potiſſimum fomenta recurrit, prudenterque eam ſtudii rationem amplectitur, vt non modo iſta ſapientiae placita meditatione proſequatur, verum etiam ſtylo expreſſa ante oculos ſibi ponat; quod quidem conſolandi genus, quoniam eo animus detinetur, facile pro-

K 2 bes.

*c*) Lib. I. Proſa V. vbi bibliotheca ei olim fuiſſe narratur, quae *comtos ebore ac vitro parietes* haberet. *Vitrum* accipimus de opere muſiuo ea aetate frequentato; ebore ornati loculi et ſcrinia.

bes. Ingenium ſuum litterarum varietate ornatum ipſe approbat in deſcriptione operis; dum et dialogi formam amplectitur, et Philoſophiam ſe in carcere inuiſentem et de ſua fortuna conquerenti ſolatia impertientem fingit, et, quod ſcribendi ardorem excitare et ſcripti auſteritatem diſputionisque exilitatem ſuauitate aliqua perfundere poterat, carmina breuia lyrica, ſententia modo ex antecedentibus ducta, modo ad ſequentia ducente, interponit, multa cum arte et vi poetica: inſunt certe placitorum ſubtiliorum per ornamenta poetica animum demulcentium praeclara ſpecimina *d*).

Videamus iam, quaenam ſolatia et vnde ducta Torquatus noſter adhibuerit. Omnino omnem conſolationem, tanquam ex fonte, ducit a perſuaſione prouidentiae diuinae *e*); ſcilicet a deo regi mundum, et quidem certo propoſita fine, nec caſuum temeritati, ſed diuinae rationi ſubditum. Tollitur (lib. II, 1.) falſa opinio de bonis et de fortuna; exſpatiatur inter haec rhetorica copia in fortunae inſtabilitatem, fortunae ſuperioris recordationem, et in falſa iudicia hominum de nobilitate, de dignitatibus, de gloria. Promittit inde (lib. III, 2.) veram felicitatem, *cui nihil deſit*, (quae tamen

*d*) Carmina pedestri oratione interponere, nisi fallimur, Ennii exemplo in Satira ausi sunt Lucilius, tum Varro, scriptionis genere, quo varietatem vitae, fortunae vicissitudines et mores hominum ipso actu, sermone et mimo exprimere instituerant; aemulatione forte mimorum Sophronis, qui soluta quidem oratione, per κῶλα tamen et ῥυθμοὺς scripti erant.

*e*) Lib. I. Prosa VI. vti enim licebat distinctionibus his edd. e codd. receptis.

tamen omnem humanam ſortem exſuperat, nec in hac vita cuipiam contigit, nec contingere aut locum habere poteſt). Veterum philoſophorum, Platonis maxime, placitis appoſitis, promittit ſe docere velle, quae ſit vera felicitas, quid reddat vere beatum: ſcilicet bonum ſummum, quod omnia in ſe contineat bona; deum enim eſſe bonum ſummum, ſummam beatitudinem. Obſcuratur tota diſputatio confuſa notione boni, quod ipſi eſt deus, quodque nemo niſi tropico et myſtico ſenſu ſuum facere poteſt, et boni, ea notione dicti, vt ſit, quod homo appetit quodque in naturam humanam cadere, et quo illa potiri, eoque frui poteſt. Ducunt haec (lib. IV, 1.) ad diſputationem, per omnia ſaecula et a tot praeſtantiſſimis ingeniis agitatam, ſi deus bonum eſt et a bono ac per bonum omnia reguntur, cur mala bonis, et bona malis obtingunt? Reponit Philoſophia illa vulgata: non eſſe malos felices, nec bonos infelices, tricasque ſophiſticas ſollennes perſequitur, in quibus quidem inſunt multa vere ac recte dicta; haud dubie enim boni multa in ſe habent infortunii fortiter tolerandi ac leuandi praeſidia; mali contra bonorum fructu et vſu ſperato multis modis excidunt; nec tamen vel ſic, niſi vocabulorum luſu ac Stoicorum more, alter abſolute et perfecte felix, alter abſolute infelix dici poteſt. *Infelicior eſt, qui facit iniuriam quam qui patitur;* recte, ſi animi mores ſpectes, at qui patitur corporis iniurias ſeu fortunarum iacturam, in eo non eſt felix. Ambigue adeo et duplici ſenſu voces, mores ac ſententiae iactantur plures,

 vt

vt illud: *Malos ait, eſſe miſerandos, non odio habendos;* etiam hoc ſpecioſe, non vere, dictum: miſerari licet, etſi cum contemtu et indignatione, coditionem hominis a ratione et virtute ad vitam flagitioſam proiecti miſerabilem, at odio habenda praua indoles, praua actio. Poſt haec omnia reſtat quaeſtio: cur tamen deus admittit hoc, "vt ſcelerum ſupplicia bonos premant, praemia virtutum mali capiant; quaeque tam iniuſtae confuſionis ratio videatur" (lib. IV. proſa V.). Reſpondet Philoſophia: "Sed tu, quamuis cauſſam tantae diſpoſitionis ignores, tamen, quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites." Sapienter vtique, pro ingenii humani tenuitate et imbecillitate; et in hoc ſatius erat acquieſcere et ſubſiſtere; non enim ſapientiae mortalium tanta caligine obſeptae, vt in tenebris micare videamur, licet vlterias progredi in cauſſis fatorum enucleandis. Atqui ea *ad animum confirmandum* vim habere poſſunt, vt fortiter feras mala, non vero *ad conſolandum;* ſunt haec inter ſe diuerſa, per totam tamen diſputationem confuſa et ad eandem notionem retracta et coarctata. Subiungit Philoſophia ſubtilitates alias, primum de *fato*, "quod idem eſſe ait cum *prouidentia*, ſcilicet reſpectu rerum, quae ex diuinae mentis ſtabilitate cauſſas, ordinem, formas, ſortiuntur. Nam *prouidentiam* eſſe ipſam diuinam rationem, in ſummo omnium principe conſtitutam, quae cuncta diſponit; *fatum* vero inhaerentem rebus mobilibus diſpoſitionem, per quam prouidentia ſuis quaeque nectit ordinibus." Tandem (libro V, 1.) adiicit diſputationem,

de

de quaeſtione, quid ſit *caſus?* quae multis caſſa cogitationis imago aut ſonus vocis inanis eſt; porro annon, ſi fatum et caſus ſit, *libertas arbitrii* noſtri tollatur? an ne tum quidem, ſi numen *praenoſcit futura?* Expediuntur haec, confuſis paſſim diuerſis notionibus mali phyſici, metaphyſici, et ethici, per vulgata philoſophiae decreta, quae ſatis arguunt, fruſtra de his, quae ingenii humani facultates exſuperant, nos argutari; diuinae autem menti eſſe omnia praeſentia, quae nobis praeterita aut futura; nil niſi optima quaeque eam velle, perficere autem, quae velit, omnia.

Suſpicati ſunt viri docti opus a Boethio non eſſe abſolutum; forte etiam eum alium librum ſubiecturum fuiſſe de Conſolatione Chriſtiana. Satis tamen apparet, non de vniuerſa quaeſtione eum agere voluiſſe, nec niſi quatenus ad ſuum ipſius infortunium ea ſe referret: quae eſſent *ſolatia eius qui, bona conſilia ſequutus, malorum hominum ſcelere fortuna meliore exciderit.* Atqui innumera ſunt alia infortunii genera, quae conſolationem ſui generis requirere videri poſſunt. Omnino de ipſa *conſolatione* multa quaeri poſſunt, cum vniuerſe de eius cauſſis, natura ac vi ad animum humanum, tum de diuerſis conſolandi modis ac generibus, et de prudentia in conſolatione adhibenda. Conueniunt ita in hanc quaeſtionem multa, quae, noſtro loquendi more, ex pſychologia, anthropologia et ethica, ſunt petenda. Vagatur ita temere omnis diſputatio, niſi antea de re, tum de ipſa voce, accuratius conſtitutum fuerit. Si miſeris mortalibus ſuccurrere volumus, eſt ſane

quod primo loco in votis habet humanitatis ſenſus ingenuus, vt a malis, quibus premuntur, eos liberemus, bonorum autem, quibus priuatus aliquis eſt, compotem eum reddamus; vt eo modo priſtina conditio, in qua acquieſcebat, ei reſtituatur. Cum porro inter vitae humanae bona et mala etiam ſpes metusque habeantur: te optatis potiri et malis liberari, pro optima conſolatione habendum eſſet. Nec tamen ne vſus quidem loquendi vocem *conſolandi,* niſi improprie, ita conſtituit; ſed ſubeſt vbique aliud quid, votis expetitum, ſtudio et opera allaboratum, etſi manente malo aut bono ſublato, *vt dolor inde manans,* ſi tolli nequit, ſaltem *minuatur;* reditque, ſi dolor animi eſt, omne ſolatium *ad ſenſum et opinionem:* vt quae tolli nequeunt mala, leuentur, quae bona, erepta aut negata, ſi reſtitui nequeunt, *vt ſenſus vel opinio et dolor inde perceptus minuatur ac diluatur.*

Si itaque vniuerſe de *conſolatione* quaeritur, vſu hominum notionem eius modo latius modo anguſtius conſtitui apparet. Omnino enim, vſu vulgari, *conſolari* eſt, aliquem in malo verſantem compellare, aut eius malum quocunque modo leuare, aut a ſenſu mali eum abducere, tum vero etiam argumentis idoneis animum ab opinione mali liberare. Poſtrema haec ratio ea eſt, quae a philoſophia vel ſanctiore doctrina petitur: quae vt locum habeat, quatenus non res ſed *opinio* curam gignit, in promtu eſt videre, *hominem requiri, iam antea adſuetum rationibus philoſophicis, aſſequendis, expendendis et aſſenſu ſuo admittendis, tum vero ſenſu et affectu ita recipiendis,*

*dis*, vt iis animus ſeu voluntas aduerſus dolorem obfirmetur, moeror diſſipetur, et affectus animi ad moderationem componatur. Non enim perſpicientia veri rectique per ſe, et ſola, aeſtum animi comprimit, niſi acceſſerit animi vis excitata ad actionem, et voluntatis conſtantia ad eam vim exſerendam; itaque nec ſolatia admota per ſe eximere ſollicitudinem ac metum, retundere cupiditatem, leuare aegritudinem poſſunt, niſi intelligentiae adiunctum ſit robur animi ac virtus diuinitus inſita ad agendum quod volueris et exſequendum. Propterea eſt pro potiſſimo conſolationis genere habendum, ſi animum circumferre audeas obfirmatum ad diſpiciendum, quaenam mali remedia exputari aut vnde peti poſſint. Ita forte ipſa ſpe alicunde elucente animus recreatur: quod et ipſum pro conſolatione facile habeas. Qua in re iam illud magnam vim habet, quod eſt efficaciſſimum in omni conſolatione, vt cogitatio auocetur a reputatione mali praeſentis ac doloris, in quo mens eſſe ſolet vnice occupata, vtque transferatur ea ad aliud quid, in quod ſit defixa; ita enim aeſtus animi componi ſolet; quod ita fit cum maxime, quoties in contemplatione cauſſarum et rationum, et conſideratione argumentorum, occupata mens vires colligit et intendit; ita vt *non tam ipſarum rationum vis*, (nam non vbique haec, ſi rem ſubtiliter excuſſeris, tanta eſt, quanta eſſe creditur,) *quam mentis intentio, qua a* cauſſis doloris et a ſenſu aegritudinis *auocatur ac diſtinetur*, ad minuendum moleſtiarum ſenſum valeat. Ita quoque Boethii diſputationis ſubtilitatem, ſi vere ea ſolatium bono

 viro

viro attulit, non per ſe, ſed per adiuncta profuiſſe putabimus; mens ſcilicet a miſeriae reputatione ad ſcriptionis curam, carminum fingendorum iucunditatem, ad tot alia, inter haec animo obuerſantia, deducta impetum doloris fregit, inſidentem animo mali ſpeciem tanquam lumine ſubducto obumbravit, eorumque, quae vere aliquam vim ad roborandum animum habere poterant, vim liberiorem et efficaciorem reddidit, quam argutiae metaphyſicae, per ſe ſpectatae, debilitabant potius, quam firmabant. Hactenus probare non potui eorum operam, quos inter *ſolatiorum* cenſum referre vidi ſpem melioris aeui, et poſteritatis fortunae bonis affluentis, aut commodorum ex praeſentis temporis calamitate, qua tu ipſe premaris, ad alios populos ac terras promantium; bene eſſe aliis, proſperis rebus aliquando vſuros eſſe poſteros, lubenter audias; at tu vrgeris malis praeſentibus. Non haec ad conſolationem ſpectant, ſed ad iudicium de vita humana et conditione, qua nati ſumus *f*), rectum, ad firmitatem animi et conſtantiam, ad moderationem et fiduciam in ſummi arbitri noſtrarum reum ſapientia et bonitate poſitam, vim habere poſſunt; atque hoc ipſo praeparare pectus humanum ad ſolatia vera admittenda. Simili modo notiones diuerſas confundere exiſtimamus eos, qui in progreſſu generis humani ad perfectionem et felicitatem fontem ſolatiorum aperuiſſe putarunt iis qui aut deterioribus aetatibus vixerunt aut etiamnum omnibus humanitatis iuri-

bus

*f*) Γνόντα τὸ πὰρ ποδός· οἵας εἰμὲν αἴσας. Pindar, P. III, 148.

bus bonisque orbati ſub immanium dominorum imperio et nutu pecudum more degunt. Quantopere praeſtat mentis humanae imbecillitatem in his recte conſtituendis peruidere et mentis aeternae melioribus rationibus permittere! Longe alia et meliora ſolatia poſita ſunt in ſpe meliorum rerum certa, eaque poſt hanc vitam: quandoquidem incerta quoque ſpes illa, qua in hac vita duci ſolemus, tantam vim ad animos noſtros habet. *Credula enim vitam ſpes ſouet, et melius cras fore, ſemper ait!* Omnino maiorem ad animum erigendum et recreandum vim habent *petitae a ſenſu communi rerumque vſu et experientia rationes*, obuiae quidem ac vulgo notae, ab animo facile arreptae, ſenſu interiore probatae, et ad res, in quibus verſamur, applicatae; multoque magis, ſi iam antea notae ac familiares fuerint; maxime ſi ſuperioribus vitae temporibus meditatione et conſideratione expenſae, ita vt etiam nunc veſtigia priſtina in animo ſuperſint. *Omnis* ſcilicet *conſolatio proficiſcatur neceſſe eſt ab impulſu ſenſus, ſpecie alicunde menti obiecta, qua aeſtuantis animi impetu fracto, ſubſidente tumore, mollito et lenito mentis affectu, perſuaſioni meliori via et ingreſſus paretur:* quibus omnibus efficitur, vt ſenſus mali minuatur, ſpeciesque animo inſidens ſaltem obſcuretur, ſi, non ſublato ſed durante malo, omnino extingui non poteſt. Atque haec ita ſe habere, ex iis facile colligitur quae in conſolandi via et ratione intentiori contemplationi ſe offerunt.

Et primo quidem *omnium vſitatiſſimum et ad pleroſque efficaciſſimum conſolandi genus* eſſe videmus, aſſidere dolenti, condolere, confabulari; confeſ-

ſionem

ſionem mali elicere et diſertae morbi, quo animus laborat, enarrationis tanquam ſcatebras et alueum aperire; quae vtique non niſi ſenſus et affectus mouent, quibus impulſa mens a torpore ſuo recreatur; excitatur alloquio affectio erga compellantem, propenſio voluntatis, iucunditas ex amici beneuolentia; diluitur dolor, antequam alia ſolatia adhibita fuerint, quorum ſaepe multo minor grauitas et pondus eſſe ſolet, quam ipſius affectus et beneuolentiae, a qua illa ſolatia fuerant admota. Quae vtique omnia ad impulſum ſenſus et phantaſiae referenda eſſe nemo dubitet. Itaque muſicae tanta vis eſt ad dolorem ſopiendum; ita quoque poeſeos, cuius ſuauitas ipſis rationibus conſolatoriis viam expeditiorem facit; id quod in ipſius Boethii carminibus ſermoni interiectis ſentire licet; ſunt enim pleraque dulciſſima; ita vt miremur Boethium in hoc ſibi aduerſantem, quod in ipſo exordio Muſas abigit Philoſophia, mox tamen diuino earum munere ipſe, praeclaro aliquo cum fructu, vtitur: Eſt hoc idem agere, quod doctos viros ſaepe egiſſe vidimus, vt dicta aliorum exploderent, vt ipſi, tanquam a ſe inuenta, eadem mox faſtidioſe reponerent; niſi ille forte Platonica in his aemulatur, quibus poetae e ciuitate educuntur, quia fictis rebus, commentisque blandis ſenſus mulcentibus, in errores inducunt; (vt quoque Cicero Tuſc. Qu. III, 1.). Ipſorum argumentorum conſolandi, ſi rhetorice illa tractentur, cur tanta vis eſt ad animos? vix enim ea addunt aliquid ponderis per ſe, interdum etiam debilitant; verum tenet oratio ſtudioſe compoſita ornando,

variando,

variando, amplificando, animos, et delinitos ab aegritudine abducit; multoque magis poetarum, inprimis tragicorum, exempla et ſententiae id efficiunt. Ita ipſa miſeriarum humanarum apud poetas enumeratio, et rhetorum declamatio *g*), dum delectat ornamentis ſuis, audientium animos tanquam magico carmine defixos ſopore opprimit, curas ſoluit; vnde fit, vt vulgo quoque in conſolationis numerum et locum ea res referatur. Hac etiam ratione, grauiore ſenſuum appulſu accedente, tragicorum dramatum ad ſpectatores fortitudine et virtute imbuendos mirifica eſt vis, per exempla et per ſententias *h*). Quae cum ita ſint, difficile interdum dictu eſt, quidnam inter cetera ſolatia illud fuerit, quod maxime animum aut mouerit aut delinierit. Cum ipſis ſolatiis influit ſaepe in animum aliud quid, quod eum afficit iucunde; ita vt haud raro naturae imbecillitatem ſeu miſerari ſeu mirari liceat, quod leuiſſimas res pro ſolatio admittit. Quid quod et ipſi ſenſus recreati et ſuaviter affecti curas leuant, aegritudinem depellunt, ita vt et potu ac venere, poetarum monitu, ſaltem ad

*g*) Vt vitae miseriae, per omnes aetatis gradus, luxuriante fere ingenio, ante oculos positae in Axiocho, in Teletis fragmento praeclaro ap. Stobaeum XCVI. p. 533. et in nostro lib. II. prosa IV. p. 72. Sic loci de vitae fuga ac breuitate, de rerum humanarum mortisque contemtu: contra, quae sint bona senectutis, paupertatis, et alia. (Conferri ad haec possunt ea, quae a Collega nostro *Meiners* sunt disputata in *kleinen Schriften* Vol. II. p. 166 sq. 265.)

*h*) Praeclari versus Timoclis comici ap. Stobaeum, Grotium, Brunckium quoque: τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς etc.

ad tempus id effectum eſſe videamus, quod philoſophia perficere haud valuerat. Sunt alia quae ex ſimili fonte fluunt; ita ſi ei, quod aegre nos habet, alia ſuccedit aegritudo maior ac praeſentior; ſi luctum noſtrum deponimus ſolando alios *i*), ſi vlciſcendi cupiditate extenuatur iniuriae ſenſus et aegrimonia. Sed ſunt duae res quae ad conſolationem omnium ſunt efficaciſſimae, *ſpes* et *tempus*: hoc quidem, quandoquidem, natura ita ferente, vſu et duratione aſſueſcimus. ipſoque vſu aſperitas et vis mali minuitur, multaque ſuccedunt aut interueniunt, quae ſenſus et animos ad diuerſa auocent, nec cogitationem in malis fouendis ſubſiſtere patiantur. *Spes* autem in eo quoque ſalutaris, quod animum erigit ad remedia fortunae exquirenda et admouenda; ſpecie quoque fortunae melioris obuerſante firmatur animus ad tolerandum ac perdurandum; ita vtrumque obtingit, vt, quod vetere dicto habetur, aut facias fortunam aut feras. Conſuluit natura humanae fragilitati etiam in hoc, quod *ſpes* temere concepta ſimilem ſaepe vim ad animos leues habet, quamuis grauior interdum dolor eluſa ſpe ſuccedat. *Tempus* autem quis non expertus eſt potentiſſimum eſſe malorum lenimen, medicumque feliciſſimum: de quo notiſſimi ſunt verſus *k*); remiſſione ſcilicet doloris animi et corporis, et ipſa aſſuetudine laboris et aerumnae.

*i*) Timocles ap. Stobaeum Serm. 123. ὁ γὰρ νοῦς τῶν ἰδίων λήθην λαβὼν πρὸς ἀλλοτρίῳ τε ψυχαγωγηθεὶς πάθει, μεθ' ἡδονῆς ἀπῆλθε παιδευθεὶς ἅμα.

*k*) Λύπης δὲ πάσης γίνετ' ἰατρὸς σοφός, et similia alia plura.

aerumnae. Videtis, quam multa, diuerſi generis et naturae, complectatur vulgaris vſus et notatio *ſolatii;* nec tam ad malum ipſum, quam ad ſenſum mali et opinionem imminuendam, vim vocis cum ipſa re eſſe referendam. Opinione autem vel maxime *conſolationem* contineri, dummodo ea ad ſenſum aliquem et affectum animi commouendum vim habeat, quo auocetur mens ab intentiore mali ſenſu et conſideratione, vel ex hoc patet, quod etiam vana et falſa perſuaſiio inter ſolatia locum habere poteſt et ſolet. Cui enim fundo idoneo ſuperſtructum eſſe putabimus vulgare dictum: *Solamen miſeris, ſocios habuiſſe malorum?* quod ab haud vna ratione ductum eſſe poteſt: veluti ab vniuerſa conditionis mortalium lege: qua ad ferenda, quae obtingunt, fatali neceſſitate adſtricti ſumus: id quod aliorum exemplis quoque conſtare videmus; fortiter itaque et animoſe eſſe ſubeunda quae mutari nequeunt: quod quidem conſolandi notione admodum improprie comprehenditur; poteſt etiam ad veritatem ſenſus ineſſe aliquid in ipſa humana natura ex ſenſu vitae ſocialis, affectuque, quo ferimur in alios, neceſſitudine, officio, vitae genere, vſu et conſuetudine nobiscum coniunctos. Nec minus tamen prauitas ingenii et affectus ad ſolaminis genus ducere poteſt, inuidentia melioris aliorum ſortis et vacuitatis malorum, quibus ipſi premimur; vt contra generoſae mentis eſt, gaudere alienis bonis, quibus ipſe careas, multo magis, ſi merentibus ea obtigerunt.

Eſt quoque diuerſa conſolandi ratio et ſolatii adhibiti vis pro *diuerſitate hominum*, alia pro *diuerſitate*

*ſitate malorum*, quibus quis mederi vult. Hominum enim ingenia, mores, vitae vſus, corpora et animi, tempora quoque et anni, modo ſolatio vim addunt, modo adimunt aliudque requirunt: quod idem in morborum medicina occurrere ſolet. Alius naturae beneficio fortior ad labores ferendos et ad moleſtias tolerandas facilius conſolationem admittit, alius molliore corpore et animo facilius mouetur ſolatiis mitioribus, ſi amanter compelletur, cum miſeratione fortunae et cum beneuolentia amici, promtaque ad ſuccurrendum voluntate: Pro habitu et conſuetudine leuant alterius curas ea, quae alterius aegritudinem augent, dum auditis ſimilium fortunae caſuum iniuriarum exemplis multo magis exaſperatur. Ipſi ſenſus affectusque, mobilitate ac duratione quam varii! alius flet, alius ridet, alius iraſcitur, ſaeuit, furit, ſimili in cauſſa. Adeo in ipſo homine ſunt multa, quae conſolationis vim et effectum variare poſſunt. *Malorum* autem ipſorum, quibus conſolationis medela adhibenda eſt, quanta eſt diuerſitas! vt ſatis appareat, fruſtra hoc conſolationis officium, ſiue artem et ſollertiam, ad vnam aliquam certamue formulam reuocari. Sunt alia corporis mala, alia animi. Reſtituere valetudinem, aut dolorem tollere, eſſet vtique optatiſſimum; ſatis tamen felix medici opera habetur, dummodo dolorem mitiget, corpus leuet. Ad dolorem ſi non fortiter, tamen patienter tolerandum omne plerumque conſolandi officium reuocatur: quod quam variis modis ac rationibus praeſtari poſſit, iam ſupra expoſuimus. In malis animi ſunt plurima quae ab ipſo corpore male

male affecto orta aut cum eo ſunt coniuncta, veluti ipſa animi aegritudo: ita vt animi medela ab ipſa corporis ſanitate ſit expectanda, conſolatio autem animi ſine hac vix magnam vim habere poſſit. Alia mala aut affectus animi excitant aut ab affectibus et perturbationibus animi proficiſcuntur; quis non videat, omnem medelam malorum cum remediis affectuum eſſe coniunctam! Quandoquidem autem alii affectus animi in intentione facultatum nimia, alii in remiſſione ſpectantur, alii in appetendo vel auerſando, quidam in rerum praeteritarum memoria vel praeſentium ſenſu vſuque immoderato, vel futurarum praeſumtione, alii ſpe alii metu, alii deſiderio amiſſorum, quae recuperari nequeunt, et deſperatione: ipſa conſolandi genera, rationes ac modi, quantopere varient, quid opus eſt commemorare aut repetere ex Cicerone (Tuſc. Diſp. IV, 27 ſq. et III, 31 ſq.). Quo ipſo intelligitur, multa prudentia, circumſpectione ac cura, officium hoc conſolandi indigere, vt ſolatia recte et iuſto tempore ac modo, et pro cuiusque ingenio ac ſenſu adhibeantur. Qua in re vulgaris quoque prudentia perhibetur, quae monet, primos doloris impetus nolle increpare, amica compellatione ei indulgere, dolorem communicare; adde nunc etiam illa, vt ſenſus et phantaſiam affectumque animi primo loco ad alia conuertas, aliis rerum viſis phantasmatibusque occupatum teneas; a mali ſenſu abſtractum iam ad rationes cogitatione expendendas adducas, perſuaſionem arte circumſpecta elicias, expugnes, temporisque, optimi medici, medelam ſic anteuertas; qua in re interdum ipſi affectus vtilitatem habent; iracundia,

animi excelſitas, vel elatio, audacia, contumacia, ſi prudenter in auxilium vocatae fuerint, ad vires animi colligendas vim habere poſſunt.

His expoſitis, vel ipſa conſolationis notione accuratius enucleata, eluceſcit, valde anguſtam eſſe Boethii noſtri operam conſolationis, quippe incluſam vno tantum malorum genere, eiusque medela ex concluſiunculis philoſophicis petita: quae et ipſae habere vtique poſſunt vim ſuam in animis ad ſubtilitatem cogitandi adſuefactis, tanto tamen minorem vim habent, quo magis eae vacant ab iis, quae animum humanum impellere, afficere, mouere, poſſunt. Exoſculemur propitiam prouidentiam in hoc quoque, quod ea, cum nullus hominum ordo, inde ab indocta rudique plebe ad meliores, a miſeriis vacet, validiſſima vitae humanae ſolatia tam expedita, facilia et perſpicua, eſſe iuſſit, vt indoctiſſimus quisque ea facile arripiat, perſpecta et probata habeat; multoque magis hoc in Chriſtianae doctrinae laudibus eſt praedicandum, quod miſeris inprimis et egenis paratiſſima ſolatia et ſpes ac praemia ante oculos poſuit *l*). In Graecia ſimilis ſpes melior non niſi initiis Eleuſiniis propoſita memoratur. Praeferamus ſaltem ea philoſophiae

*l*) Sunt tamen in iis quoque multa rationibus philosophicis superstructa: vt clare patebit imprimis ex scriptore recentissimo de aerumnis vitae humanae *Io. Sam. Fest*, cuius libelli commendationem habemus in Recensibus nostris litterariis Gottingens. a. 1784. p. 1091. admodum memorabilem, quippe a Collega olim nostro Hissmanno scriptam iam tum in stadio luis phthisicae ad extrema properante, quamque sine viri optimi desiderio et miseratione sortis humanae vix legeris.

ſophiae placita, quae in animis ad virtutem fortitudinemque in agendo ac tolerando erigendis verſantur. Habent itaque Stoicorum praecepta hanc maxime laudem, quod hominem ad dignitatem ac praeſtantiam naturae ſuae tuendam, ad fortitudinem, conſtantiam, magnanimitatem, erigunt et excitant. Contra ſpinoſae iſtae quaeſtiones de bono et malo, eorumque fine, vix vllum aliquem hominem reddiderunt fortiorem, aut ad virtutem melius exſerendam incitarunt: Stoicorum autem placita animi neruos roborant, fortunae impetus retundunt. Haec eadem philoſophandi ratio pulcherrimas ſententias peperit, quarum lectio et meditatio animum vltra ſortis humanae modulum eleuare videtur. Vnus Epicteti libellus, ſi ita pronuntiare licet, ad veram humanitatem, quae in malis recte aeſtimandis et fortiter tolerandis cernitur, fructus maiores afferre poteſt, quam omnis argutantium et opinantium philoſophorum ſubtilitas. Verum haec ipſa, quae efficaciſſima ad conſolandum ſunt, iam ante Stoicos, in ipſa natura humana, vi ſenſus hominum communis, fuerant obſeruata. Vbi enim omnia, quae a ſummis philoſophis diſputata, quae a Cicerone et Seneca tam diſerte ſunt expoſita, edidiceris: iuuabit comparare ea ſolatia, quae ab Homero, a ſapientiſſimis viris, Pindaro et Tragicis, tum ab iis quos gnomicos appellamus, aliisque fuere propoſita, et intelligere, ea, quae ad animorum motus componendos ſunt efficaciſſima, eſſe a ſenſu communi inventa, eaque numero pauciſſima; redeunt enim omnia fere ad haec: eſſe nos homines, et eſſe

 adeo

adeo aequo animo ferenda, quae in naturam humanam cadant nec euitari poſſint; habere nos, ſi viri eſſe volumus, robur aliquod animi et corporis, quod ſi exſerimus, mala fortiter tolerando minuimus, et remedia circumſpiciendo, aut reperimus conſilium ſalubre, aut ſenſum moleſtum obtundimus, tandem ſuperamus; — eſſe bona malis mixta; (meminiſtis duo dolia Iouis;) eſſe naturae imperio parendum, ita vt lugeas et doleas: modum tamen et ſatietatem lugendi eſſe adhibendam, lamenta eſſe muliebria et indecora; grauiora quoque mala acciri; moerore animum incaſſum angi, corpus confici; reluctando et recalcitrando ſtimulos altius infigi; bene ferendo onus leuari; neceſſitatis legi eſſe parendum, ſiue fati aut fortunae ſiue alio nomine eam deſignaueris; virtute animi et fortitudine omnia mala ſuperari, eam igitur eſſe firmandam omni virili robore ac vi excitata; meditatione quoque et conſideratione, in meliore rerum conditione in anteceſſum facta, malis ingruentibus *m*). Contra autem in ipſo malo, quod ſuperuenerit, aut in bono erepto, auocandum eſſe animum ab omni eius cogitatione, et eiiciendum deſiderium, conuerſo ad grauiora et meliora ſtudio *n*); nunquam animo eſſe dimittendam ſpem melio-

*m*) Quid aliud est: diuturna praemeditatione frangi aduenientes malorum impetus: de quo Tusc. III, 14 sqq. quam, animum, mali, quod serius euenturum sit, reputandi consuetudine, esse praeparatum ad accipienda quaeuis alia solatia; hactenus opinionis quoque ac spei bonae aliqua vis est.

*n*) Auocanda est mens a recoquenda molestia: hoc est summum in consolatione: si cum reuocatione animi

meliorem, ea vero vt ad euentum bonum nos deducat, annitendum eſſe rebus agendis, conſilio, prudentia, audacia. Haec vulgaria quae videntur eſſe, ornarunt multis modis et orationis copia amplificarunt cum antiquiores poetae et ſcriptores, tum ſequiores; iſti quidem, dum ipſam deorum naturam fato eſſe obnoxiam narrant, dum heroum labores, potentium caſus, enumerant, alios grauiora paſſos *o)* aut ſimilia fortiter ferentes ante oculos ponunt: ſequiores, dum philoſophica modo rhetorice tractant, modo rhetorica philoſophicis admiſcent: quo in genere cum in Conſolationum libellis tum in Epiſtolis (v. c. Ep. XCIX.) Seneca mirabilis eſt artifex. Sunt alia, quae temporum, vitae, morumque nouae rationes extorſerunt; vt ſolatia, quae maleuolorum obtrectationibus, calumniantium malitiae, immodico ſui amori et natae hinc cupiditati omnia communia aliis, publica et priuata, ad ſe rapiendi, et aerumnis inde capiendis, medentur. Nullum itaque eſt ſolatii genus, quod non in antiquioribus memoratum videas. Sane id, quod ad noſtros animos

 ſalu-

animi ad contemplandas iucunditates vitae peractae, aut ad spem meliorem, aut quiduis aliud, nihil attinet, dummodo aliquatenus cum eius, quem solamur, habitu animi et more conuenit. Quicquid enim egeris, non malum tollitur, sed sensus mali minuitur. Haec eadem moneri forte possunt in iis quae a Cicerone loco laud. Tusc. Qu. disputantur.

o) Quis non Virgilianum illud meminerit: *O passi grauiora*, — aut Homericum Vlyssis: *τολμήεις μοι θυμὸς, ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.*

ſaluberrimum eſt, et eſſe debet, eſſe numen quod noſtris rebus prouideat, bona ac mala moderetur, et praemia virtutis in alio rerum ordine iam nunc praeſtituta habeat, in iſtis facile deſideres; nec tamen omnino ea ab iſtis abeſſe dixeris. Refert enim ad deum auctorem bona ac mala iam Homerus, vt in notiſſimis Achillis verbis ad Priamum orantem Hectoris corpus ſibi reddendum; quoties alii euentum rerum a diis et deorum voluntate vel interuentu repetunt! enim vero diuina natura, ad humanam rudiore iudicio adumbrata, nondum aditum parauerat ad philoſophiae placita, quibus meliora iudicia ſubnata ſunt, cum quibus conſtitit, mentem diuinam omnia complecti, hominibus prouidere, eorum vtilitatibus conſulere. Nunc tandem emendatior ſapientia viam ad meliora placita ſtruxit. Adeo ipſa natura prouidiſſe videtur, vt, quo maior malorum copia cum vitae cultu maiore ingruiſſet, eo maior ſolatiorum copia miſeris mortalibus ſuppeteret. Inde quoque ſolatia ethica meliore modo elaborata ſunt, et conſtare coepit omnis fortitudinis ac virtutis fundum eſſe, ſi a teneris animum bonis praeceptis munitum habeas, et frenandis cupiditatibus et affectibus mature curam vſumque adhibueris.

Et in his acquieſcendum eſt et vobis, Commilitones. Omnis enim vitae ſapientia non tam ex doctrina varia, quam quis memoriae tradiderit, quam ex matura veri rectique perſpicientia, virtutis praeceptis menti infixis et habitu animi inde formato, affectibusque et motibus animi ad ea compoſitis, procedit. Quae ipſa cum ab antiquioribus

ribus tam praeclare, et verbis et ſententiis *p*), et intelligenter prudenterque ad ipſum vitae vſum, ſint expoſita, eo ipſo ſtudium antiquarum litterarum quam maxime commendant.

Inter haec, conſolationis naturis modis et effectibus expendendis, ipſa rei dulcedine, grauitate et vtilitate, (qua enim re his temporibus magis indigemus quam conſolatione?) abducti ſumus ab eo, cuius cauſſa hanc ſcriptionem ſuſceperamus. Indicendae ſunt, Commilitones, nouae inde a Kalendis Septembribus magiſtratus academici vices translatae, ex academiae lege ac more, ad ordinem iura docentium, et in his ad Virum iuris aequitatisque doctiſſimum, Veſtri, Commilitones amantiſſimum, publicae diſciplinae ſtudioſiſſimum,

IOANNEM PETRVM WALDECK D.

quem vt obſequio, voluntate et ſtudio veſtro, demereamini, eiusque prouida cura, beneuolentia et caritate, dignos vos monſtretis, et rogamus enixe et amanter hortamur. Nolite ex animo dimittere, ipſam temporum rationem ſatis ſuadere, vt omni morum licentia depoſita legibus et inſtitutis obſequium praeſtetur, cauendumque eſſe, ne commodis veſtris deeſſe, temere in pericula ruere, fortunas ac vitae ſpes euertere, in ſegetem veſtram falcem malam ipſi immittere videamini; contra vero operam eſſe dandam, vt,

 in

*p*) Magna earum eſt copia à Stobaeo enotata in Sermonibus CXIV. et ſqq. adde Grotii Excerpta Tragicorum.

in tanta rerum viciſſitudine, malorum impendentium metu, euentu rerum incerto, dum fortunae veſtrae tanquam fundamenta nunc cum maxime ponitis, animos et mores et ingenia habeatis ad omnes caſus inſtructa, expolita, rebus agendis apta et habilia. Cetera *fluminis ritu ferri putate:* nihil eſſe tutum, nihil certum, ac vere proprium, nihil in veſtro peculio haberi, niſi quod ex doctrina bonaque diſciplina mentibus reconditum hinc in diſceſſu abſtuleritis.

P. P. in Georgia Auguſta pridie Kalendas Septembres cIↄIↄcccvi.

---

IX.

# IX.

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. GODOF. EICHHORN
CVM SENATV
SVCCESSOREM
IN
MAGISTRATV ACADEMICO
CAROL. FRIDER. STAEVDLIN D.
CIVIBVS SVIS
HONORIS ET OFFICII CAVSSA
COMMENDAT
INDICTIS AVSPICIIS
IN KALENDAS MARTIAS ↀↄↄↄCCCIX.

*Alexandri Seueri Imp., religiones miſcellas probantis, iudicium illuſtratum et ad cauſſas ſuas reuocatum.*

Pars prior.

Alexander Seuerus Imp. ingenio, virtute, litterarum, hominumque litteratorum amore, vitaque actuoſa mirabilis, contaminatiſſimi ſaeculi moribus intactus *a*), propter Chriſtianorum amorem

a) Anno aetatis XIV. ad imperium euectus (V. C. 975. a C. 222.), et annos fere XXX. natus, concitatis a Maximino seditiosis militibus occisus (V. C. 988. a. C. 235.). Virtutes eius fuere tanto magis insignes, quod principem in prima adolescentia constitutum serui-

rem et ſtudium paſſim a noſtris hominibus celebratur; quod, ſi iure meritoque fieri dixeris, facit

seruilia deprauatissimi aeui ingenia, aulicorum non modo, sed et senatorum et principum virorum, assentando et adulando haud corruperunt. Quid enim magnificentius esse potest, quam quod de eo praedicatum legimus (c. 41. Lamprid.) "*prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit; imitati sunt eum magni viri; et vxorem eius matronae pernobiles. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet.* Cum autem flagitiosissimum regnum Elagabali praecessisset, docuit suo exemplo, perditissimas quoque res iis artibus, quibus vsus est princeps praestantissimus, intra paucos annos restitui posse. Cum tamen longioris temporis vsu et seueritatis constantia opus sit, ad mores hominum non modo reprimendos, verum etiam in melius refingendos: elusit consilii successum fatum, morte Alexandri, per scelestos homines maturata. Non est res consilii nostri, optanda tamen, vt ex ea vita enotet aliquis tanquam *chrestomathiam*, vero nomine dicendam, praeclare institutorum ab hoc principe. Litteras et viros litteratos incredibili studio et amore prosequutus est; verum iam tum *litterati quidem erant, nullae tamen litterae*, hoc est litterae bonae, ad ingenia fingenda, et ad vitam publicam priuatamque fructuosae. Legebat Platonem, Ciceronem de officiis, Virgilium (ibid. c. 30. 31. 34. 35.) *adhibebat maxime eos, qui historiam norant, requirens, quid in talibus caussis, quales in disputatione versabantur* (h. e. de quibus agebatur), *veteres imperatores, vel Romani vel exterarum gentium, fecissent.* Est autem omnino principum virorum vnica haec institutio conueniens et fructuosa, vt *ex auditione* doctorum virorum et ex historiarum cognitione proficiant; ad legenda volumina male reuocantur principum ingenia. Mater Mamaea a pueritia bonis artibus eum imbuerat, et adolescentem iam Principem monitis consiliisque regebat; vtinam

cit tamen mirationem, imperatorem Romanum patriarum, quibus imperii lege obſtrictus erat, religionum tam parum obſeruantem fuiſſe, vt religioſum peregre allatum cultum publice probaret, neque tamen ea re Senatus populique Romani offenſiones concitaſſe. Haec miratio cum, vt fieri ſolet, partim a cauſſarum ignoratione, partim a rei ipſius factiue non ſatis accurate exacta ratione proficiſcatur: agite, Commilitones, exigite noſtro ductu et explorate tum rem ipſam tum cauſſas, et primo loco narrationem ipſam, auctoritatem et verba. Ante omnia enim de ipſis verbis ſententiisque ſcriptorum videndum eſt, a quibus aliqua res ſeu traditur ſeu tradita eſſe putatur.

Vtinam ſcriptor melior obtigiſſet optimo principi quam Lampridius iique ex quibus ille, aliquot aetates poſt Alexandrum, centonem ſuum vitae, non vitam, conſarcinauit, et Conſtantino Imp. obtulit; nimium fortaſſe procliuis ad laudes Alexan-

vtinam muliebre ingenium, imperiosum et dominandi cupiditate flagrans, comprimere? aut ipsa, aut filius, potuisset! Cum semel in huius principis laude et vituperio versemur, liceat apponere singularia haec: quod *agros in limitibus donauit ducibus* c. 58. adeoque *domania* quae nos dicimus constituisse videtur; vnde paullo post prosiluere XXX illi imperatores, quos tyrannos appellarunt historici, de imperii summa contendentes et bella ciuilia stragesque mutuas miscentes. Notabile est hoc quoque, quod *omnibus officiis et omnibus dignitatibus genus vestium proprium dare voluit, vt a vestitu dignoscerentur. — Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad iniurias.* Haec tamen in vitam et vsum inducta esse vidimus aetate nostra.

Alexandri. Contra alter ſcriptor grauior, Herodianus, paullo iniquior in eum fuiſſe videtur. Nactus tamen eſt noſtra aetate Alexander ſcriptorem ſagacitate et grauitate clariſſimum *Edmundum Gibbon*, qui aequiore lance et laudes et reprehenſiones expendiſſe cenſendus eſt. Loca quae ad rem noſtram ſpectant, ſunt apud Aelium Lampridium; qui dum Alexandri vſum viuendi exponit, (c. 29.) matutinis horis narrat Imperatorem in larario ſuo rem diuinam feciſſe; *in eo* autem *larario et diuos principes, ſed optimos electos, et animas ſanctiores, in queis et Apollonium, et, quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham et Orpheum, et huiusmodi ceteros, habebat, ac maiorum effigies b).*

Nimis

*b*) In extremis verbis: *et huiusmodi ceteros habebat,* laborat lectio: vulgata erat, *et huiuscemodi deos habebat.* Cod. Reg. apud Casaub. *et huiusmodi ceteros habebat.* Palat. primus, *et huius ceteros habebat.* Sicque alter a m. sec. Potest res non vno modo constitui; nec tamen vt controuersia nulla relicta sit. Potest videri scriptum esse *et huiuscemodi*, nec amplius, vt suppleatur *alias animas sanctiores*, pro quo male suppletum fuit, modo *deos*, modo *ceteros*, h. e. alios. Quicquid malis, hoc solum tenendum est, interpungendum esse ante *habebat:* quoniam iungendum est cum superioribus: *in eo larario et diuos principes — et animas sanctiores — habebat.* Nec necesse est de larariis in atriis principum ac priuatorum ad privata sacra peragenda monere: nota res est ex antiquitate Romana. Memoratur Alexandri nostri lararium secundum c. 31. "*Virgilium autem Platonem poetarum vocabat, eiusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, vbi et Achillis et magnorum virorum:* scilicet, quorum adspectu,

Nimis magnifice de Alexandri pietate ſenſiſſe cenſendi ſunt, qui ex his verbis pronuntiarunt, "procliuem fuiſſe imperatorem in ſacra Chriſtianorum, parumque abfuiſſe, quin nomen ſuum inter eos profiteretur." Studium aliquod procliuius in viros fama inſigniore claros Alexandri animo inſediſſe, ex narratis facile credideris. Sunt quoque alia, e quibus videri poteſt proniore animo et voluntate in Chriſtianos fuiſſe: quae tamen ſi diligentius perpendantur, ſpecioſa quidem, nec tamen firma ſatis eſſe perſpicias, vt nobis perſuadeamus, amplexum quoque eum eſſe ſacra Chriſtianorum adeo, vt iis tradere ſe mallet initiandum. Narratur enim (c. 43.) "*Capitolium ſeptimo die, quum in vrbe eſſet, aſcendiſſe, templa frequentaſſe;* (Puta eum Iudaeorum ſabbatha aemulantem *ſeptimo quoque die* ſacra feciſſe;) *Chriſto templum facere voluiſſe eumque inter deos recipere: quod et Adrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri, quae hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quae ille ad hoc paraſſe dicebatur; ſed prohibitus eſt ab iis, qui, conſulentes ſacra c), repererant,*

adspectu, et dictorum factorumque memoria, generosa mens et recreari et in praeclaris curis actibusque prosequendis haud parum obfirmari debuit. Quid enim est, quod animum seu labantem seu curis fessum magis sustentet quam posita ante oculos imago viri magni, aut sententia a sapiente graviter seu feliciter enuntiata!

c) Parum commode dictum! *sacra consulere*, est, seu oracula deorum adire, seu extispicio alioue diuinandi genere futura praenoscere, tum *repererant* esset dictum pro *compererant.* Videtur ideo accipiendum

*rant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, et templa reliqua deſerenda.*" Vtinam narratorum horum grauiorem haberemus auctorem! ſaltem diſertiorem et ſagaciorem! Eum vtique, qui haec tradiderat, Chriſtianum fuiſſe, facile ſuſpiceris. Varium omnino hominum iſtarum aetatum fuiſſe intelligitur ſtudium, aliorum, ſaeua et atrocia Imperatorum Romanorum imperia et edicta in Chriſtianos omni acerbitate infamantium, aliorum qui imperatorum conſilia non modo mitiora, verum etiam voluntates in Chriſtianos admodum propitias ac procliues iactarent: vtrumque in maius auctum forte, quam pro modo ac veritate; quod facile aſſequaris, ſi in ipſam rerum conditionem, hominumque tum viuentium ſenſum, te mente et cogitatione inſinuare, ſtatumque et habitum publicarum priuatarumque rerum, qui tum fuit, animo intueri volueris. Studia hominum omnino multis de cauſſis erant varia ac diuerſa, odia mutua, religiones patriae partim neglectae ac contemtae, partim nouis ſuperſtitionibus peregre invectis poſthabitae; et in hoc opinionum et ſectarum diuortio nouae odiorum cauſſae; aliis philoſophorum, aliis indoctorum placita et ritus ſectantibus; Imperatores vix in alterutras partes procliuiores, niſi conſilia et vtilitates imperii, aut adulan-

piendum esse de iis, qui ad inspicienda sacra missi fuerant; qui inuisentes ea et infrequentiam templorum animaduertentes, monuerunt, verendum esse, ne sacra omnino desercantur: erat nimirum religiosorum coetuum christianorum iam tum magna frequentia. Ad h. l. conf. supra Comment. IV. p. 36. 37. adscripta.

adulantium et amicorum artes ſubdolae, alia ſuaderent. Alexander ſuperſtitiones omnis generis auidius videri poteſt amplexus eſſe. Ita non minus deſideramus fidem certam eorum quae de Adriano commentitiis ſimilióra ſupra allata ſunt, ex iis probabiliter conficta, quae paſſim de eius ſuperſtitionibus narrantur, cum imbutus eſſet Aegyptiis Syriisque religionibus, dum eas regiones peragrabat. Verum, cum ea a nemine alio ſcriptore, ne a patribus quidem Chriſtianis, qui ſimilia commenta de Tiberio referunt, de Adriano ſint narrata, probare praeſtat Caſauboni acumen, qui templa paſſim in vrbibus Aſiae in Adriani honorem exſtructa, Adrianea vulgo dicta, ſed eius morte interueniente haud abſoluta, cenſet locum famae dediſſe, quam Lampridius temere ſequutus eſt, cum ſimulacrum in iis conſecrandum nondum repoſitum eſſet: id quod de conſilio eius, templa, Chriſtianorum et Iudaeorum more, absque deorum ſignis poſitis condendi, interpretati ſunt. Iudaeorum tamen ſeditio templum Hieroſolymis inſtaurare volentium Adrianum mouere vix potuit, vt eorum ſacra, templis ſine ſimulacro exſtructis, probaret. Verum, vt ad Alexandrum redeat commentatio, ſunt alia praeterea loca, quibus ſaltem apparet, eum omnino aequa et iuſta de Chriſtianis ac Iudaeis ſtatuiſſe *d)*; ſcilicet inualuerat iam tum

*d)* Inprimis quod c. 51. traditur: *clamabatque saepius, quod a quibusdam siue Iudaeis siue Christianis audierat et tenebat, idque per praeconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat:* quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; *quam sententiam vsque adeo dilige-*

tum inter homines liberaliter inſtitutos doctrina e philoſophorum ſcholis in vulgus progreſſa, numen eſſe *mentem inuiſibilem*, non corpus, multo minus ſaxum arte effictum; a plurimis itaque probabatur Iudaeorum et Chriſtianorum religio: aſſumtis tamen aut daemonibus aut heroibus magnisque animabus in cultum religioſum. De religionibus itaque ipſis earumque auctoribus quid Alexander iudicauerit, ex ſuperioribus commemoratis colligendum eſt, ſcilicet *inter animas ſanctiores* retuliſſe *Chriſtum*, *Abrahamum et Orpheum*, et cum his *Apollonium*, hominem illa aetate inter philoſophos theurgicos valde celebrem; vnde colligas Alexandrum iisdem in Syria diſciplinis inſti-

*diligebat, vt et in palatio et in publicis operibus praescribi iuberet* (puta tanquam titulum et inscriptionem, ea que vtinam ipsis hominum, inprimis potentum, animis inuri poſſit! Inter Iudaeos talionis tantum praeceptum viguit in puniendo: at Christi disciplinae hoc est praecipuum, summum, et vnicum iustitiae fundamentum.) Porro c. 49. *Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi*, rescripsit, *melius esse, vt quomodocunque illic deus colatur, quam popinariis dedatur.* Idem c. 45. vbi aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel praepositos facere, vel procuratores, narratur nomina eorum praeposuisse, hortatus populum, vt, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret poenam capitis; dicebatque *graue esse, quum et Christiani et Iudaei in praedicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus et fortunae hominum committerentur et capita.* Et c. 22. *Iudaeis priuilegia reseruauit, Christianos esse passus est.* Vnde et ab Antiochensibus conuicium in eum iactum est appellando eum *archisynagogum* c. 28.

inſtitutum, et litterarum ſtudiis, ſui maxime aeui, bene imbutum, miſcuiſſe et in vnum ordinem, ſeu cinnum potius, retuliſſe religionum et diſciplinarum arcanarum auctores, et in iis celebratos, Iudaeorum quidem ſtirpis Abrahamum, Chriſtianorum Chriſtum, Graecarum teletarum Orpheum, recentiumque theurgorum auctorem celebratiſſimum, Apollonium Tyanenſem. Quid? quod idem (c. 26.) *Iſium et Serapium decenter ornaſſe memoratur additis ſignis et deliacis et omnibus myſticis:* h. e. vaſis, menſis, ex aere Deliaco, omninoque apparatu ad myſtica celebranda facto. Videmus libertatem et liberalitatem iudicandi et ſentiendi ſaeculo iſti ſatis accommodatam, nondum notionibus et doctrinis inſtructo Chriſtianorum erga diuerſa ſentientes ſeuerioribus. Neque mirabimur ſuperſtitionibus deditum Alexandrum fuiſſe, ſi meminerimus eum inter Syros, ſuperſtitioſiſſimum hominum genus, fuiſſe educatum, Emeſae, in qua vrbe Solis erat ſacrum ſub nomine Elagabali, cuius nomen etiam adſciuerat Baſſianus, conſobrinus, dei ſacerdos, poſt Imperator, cui Alexander ſucceſſit. Viſebatur autem deus in templo ſub ſpecie columellae aut metae; antiquo more Syrorum aliorumque Aſiae populorum, Cypriorum quoque, et Solem et Naturam ea ſymbolica effigie exhibentium.

In iis, quae de Alexandri inſtitutione ductu Mammaeae narrantur (Lamprid. c. 27), ſunt, poſt alia facile probanda, tandem notata et haec: *Aruſpicinae eum fuiſſe peritiſſimum,* auſpicem *magnum*

*vt et Vaſcones et Hiſpanorum et Pannoniorum augures vicerit* (quos iſta aetate ea arte celebratos fuiſſe hinc intelligas); nec diligenti dilectu eum ſcientias probaſſe, apparet inde, quod *eius iuſſu mathematici publice propoſuerint Romae, ac ſint profeſſi, vt docerent;* tum ex eo, quod promiſcue *rhetoribus grammaticis, medicis, aruſpicibus, mathematicis, mechanicis, architectis ſalaria inſtituit, et auditoria decreuit, et diſcipulos cum annonis, pauperum filios, modo ingenuos, dari iuſſit* (hoc eſt, quod nos dicere ſolemus, *ſtipendia* ſtudioſis litterarum conſtituit.) Quae quidem ſatis declarant, primo, ingenium Principis ſtudiis, ſui maxime ſaeculi, quum bene excultum, tum vero, quod multo magis obſeruatu dignum, quae, eius exemplo propoſito, fuerit hominum illis temporibus ſentiendi, cogitandi, ac philoſophandi ratio; vulgus, cuius erudiendi nulla cura erat, nunc primum coepit inſtitutione aliqua morum ac vitae imbui, qua antea deſtitutum erat; honeſtiore loco nati et liberaliore diſciplina vtentes Chriſtianam "doctrinam tamquam philoſophiae genus et ſectam" amplectebantur, aſſueſcebantque formulae alicuius doctrinae; nec abſimile iudicium fuit eorum, qui "pro initiorum genere" Chriſtianam diſciplinam habuere: et id ipſum aliquando ad varias miſtasque religiones, religioſasque diſciplinas diuerſas, fouendas, deduxit. Ceterum haec omnia ad diſciplinae Chriſtianorum ſanctioris incrementa profuerunt, vt ea tam matura et laeta incrementa caperet, quae difficiliora et tardiora fuiſſent, niſi philoſophia religiones priſtinas patriasque in contemtum adduxiſſet, et procli-

procliuitatem animis ad amplectenda noua quaeque inſtillaſſet; etſi eadem nec minus obfuit, quo minus noua religio intemerata prodiret, ſed ſuperſtitioſis paſſim opinionibus et ritibus mature contaminaretur, ab eo inde tempore, quo philoſophia fuit partim ſubtilitatibus vanis, partim theurgicis aliisque commentis ſuperſtitioſis inquinata; ſubueniente quoque nouis commentis et fauente ſymbolica ratione interpretandi antiqua philoſophemata, qua ſuis ea placitis accommodare poſſent: vt ex his quoque ſatis appareat, non minus prouidendum eſſe, ne ſanior philoſophia inanibus ſubtilitatibus corrumpatur, quam, ne diſciplina et praecepta religionum iis onerentur et interpolentur. Tanti eſt, ſubtilitates et argutias humanae rationis ſubinde *ad ſenſum communem* reuocare et tanquam ad lapidem Lydium exigere.

His ipſis tamen inſanientis philoſophiae quam diximus progreſſibus praeluſerant multae res caſusque, viamque patefecerant, vt longe antea iacta ſemina eſſe intelligas quibus illae herbae ſteriles ſpinoſique frutices ſunt enati, inter quos melior ſanctiorque diſciplina prouenit et inualuit; etſi vel ſic continuo infelix lolium ſuccreuit; manifeſto documento, eam eſſe mortalium conditionem et proprium eſſe hoc naturae humanae, vt per errores, qui ad longe diuerſa tendebant et abripere homines viſi erant, ad veriora deferamur; vna cum ſolatio, premi quidem ac retardari meliora et veriora, extingui tamen et ſubmergi non poſſe, ſed improuiſo iterum erumpere, emanare,

nare, increbeſcere *e*); ita tamen, vt paullo poſt ea, quae in luce aliqua conſtituta erant, nouis opinionum, errorum et ſuperſtitionum, nubeculis, mox tenebris, obducta iterum obſcurentur; ipſa natura humana ita ferente, et vniuerſi humani generis conditione ita ab initio informata, vt nec ad veram claramque veritatis rerum lucem perveniamus, et, vbi ſinguli forte ad eam propius acceſſerimus, mox ipſius lucis aura perſtrictis oculis ſeu lippientes ſeu caecutientes ad noua viſa ſeu ſpectra deferamur: quandoquidem ita comparata eſt mens humana, vt in exploratis gradum ſiſtere nequeat.

Iam primum antiquiora, quae Alexandri Seueri temporum indolem et colorem informauerant, paucis attingemus. Res publica Romana eiusque diſciplina publica ac priuata patriis religionibus ſuperſtructa erat: quibus aut ſublatis aut labefactatis ipſas quoque res Romanas ſerius ocyus corruere neceſſe fuit. Necdum vidimus vllum regnum,

*e*) Hae rerum humanarum vices, contentiones, casus, in animum reuocant illa Horatii Serm. II, 3, 268. — *haec si quis, tempestatis prope ritu mobilia, et caeca fluitantia Forte, laboret reddere certa sibi: nihilo plus explicet, ac si insanire paret certa ratione modoque.* Caussas suas habere res mortalium quis neget? qua vero sapientia prouisae eae regantur, quis ex ipso actu ante oculos habito assequatur! At hoc docent rerum euenta, ab aeterna sapientia res constitutas esse sic, vt meliora tandem obtineant, et turbatissima ordinem suum naturalem, etiam sine ope hominum, recuperent, sensu hominum communi vera ac recta, speciosis falsis cedere iussa aut etiam proscripta, probante et in locum suum restituente.

regnum, quod vitiis, quae temporum longinquitate ſubnaſci ſolent, mature ſatis ac prouide, ante extrema, ſubuenerit, aut, id quod etiam mirabilius eſt, in ipſis ſaltem primordiis, mala praeviſa praeuenerit. Graeca diſciplina cum Graecis litteris Romae increbeſcente, religiones antiquas ſuperſtitionibus ſubſtructas, cum moribus antiquis, deriſum iri, facile expectari poterat: vtrique labi et ruinae conſiliis idoneis debuerat ſuccurri. Quid Romani? alii antiqua rigide et pertinaciter tueri, alii Graecas diſciplinas litterasque cupide arripere; nemo id operae dare, vt caute ac prouide antiqua emendarentur, noua peregre illata ita adhiberentur, vt ne antiquorum omnium poenitendum eſſe crederetur. Enim vero talis prudentia, moderatione et diuturnitate conſiliorumque aequabili conſtantia per longum tempus, opus habet. Malunt homines impetu ferri et vno ictu omnia exſcindere, quae improbantur, ſine delectu noua inferre; quo ſit, vt quidem alia ac noua, non vero meliora ſubſtituantur, vtque bona ipſa ſaepe in mala vertantur ipſa feſtinatione et imprudentia. Omni opera et ſtudio annixi ſunt doctiores, vt philoſophorum Graecorum ſubtilitates et tricas diſputationum de rebus phyſicis ſeu diuinis in vulgus imperitum euulgarent; diſciplina publica iam tum labefactata, legibus, iuribus, inſtitutis, per luxum exbellandi et praedandi ſtudio dilabentibus; contemtu patriarum religionum diſſeminato, cumque eo ipſa diſciplina Romana infracta, inſtitutione corrupta, vita publica ac priuata licenter effrenata. Poterant tamen vel ſic malis ſupereſſe per longum

tempus Romani, ſi intra fines Italiae ſuas opes continuiſſent. Enim vero ſucceſſere duae res, quae populum etiam optimis artibus imbutum et legibus aſſuefactum corrumpere poſſunt: bella ciuilia et imperium multis populis prouinciisque conflatum: quae, vt legionum numeris auctis coercerentur, tributis vectigalibusque oppreſſae viris opibusque exhauriebantur. Confluentibus in vrbem tot populis exteris, et militibus iam armorum licentia efferatis ex diuerſis terris immigrantibus, et numero viribusque praeualentibus, plebe per inopiam ad ſuperſtitiones procliui: dum, deſperata ſalute, et ope humana ad leuandam miſeriam haud ſuppetente, diuinam opem homines reſpicerent: nouae religiones, ſacra fanatica, myſtica, fuere illata, vt pacem deorum nouis ritibus expoſcerent, cum priſtinis ſacris et ſupplicationibus calamitatem nec ſublatam nec imminutam viderent. Hos enim eſſe ſuperſtitionum peregre aſſumtarum ortus et progreſſus, veterum populorum hiſtoriae paſſim docent; Iſraelitarum exemplum meminiſſe ſatis eſt. Concretis ita in vnum patriis, quae iam pene exoleuerant, tum nouis, diuerſis inter ſe, ab ipſo Romanorum ſenſu habituque diſcordibus, extitere philoſophi, non de rebus ciuilibus, de iuſtitia, virtute ac prudentia, omninoque de iis, quae ad vitam recte inſtituendam ducunt, monentes, ſed in vanis diſputationibus de cauſſis rerum abditis occupati. Interea litterae meliores euileſcere, languere, mox interire; ſtudiis ciuilibus, hiſtoricis, liberalibus, cum virtutibus ciuilibus, ſublatis; nec niſi rhetoricis panegyri-

negyricis probatis, qui verborum pigmentis, tanquam in floridis areolis enitentibus, plauſus movebant; quid mirum ſi opinionum commenta et ſuperſtitiones nouae ex ipſis ſubtilitatibus enatae indies propullularunt! aut quis miretur, eam tandem rerum hominumque conditionem extitiſſe, vt ſacra ac profana miſcerentur, et ex tam diuerſorum populorum religioſis opinionibus, doctrinis, inſtitutis, diſciplina aliqua miſcella prodiret; variis modis vicibusque renouata, iterumque mutata et retractata per plures ſacrorum arcanorum et *diſciplinae myſticae* auctores. Euenit tandem per haec, vt aditus aliquando pararetur doctrinae ſaniori, puriori, et naturae humanae magis conſentaneae; quod ipſum ne putemus vno momento et actu eſſe factum; nimium faciles ſumus, ſi id a Conſtantino et coeptum et profligatum eſſe cenſemus; quid quod illum ne quidem ſatis apparet meliore conſilio id aut ſuſcepiſſe aut perfeciſſe; nam, ſuis rebus ille aduerſus imperii aemulos ſtabiliendis firmamentum circumſpiciens, cum Chriſtianos iam ad ingentes coetus excreuiſſe animaduertiſſet, adiungere eos ſuae cauſſae ſuisque partibus maluit. Quod ſi ille veram rerum rationem aut tenuiſſet aut cordi habuiſſet, melioris doctrinae aſſeclas non ad inanes diſputationes et contentiones tricis aeui philoſophicis ſubnixas incitaſſet, ſed, iis aut oppreſſis aut coercitis, in vita moribusque ad religionis praecepta componendis, in ſenſu et habitu religioſo, et in ſtudiis mutuae beneuolentiae, communem vtilitatem et proſperitatem procurantis, nouae religionis aſſeclas continuiſſet: qua de re, qua nouae religionis ſa-

 luber-

luberrima indoles continetur, eum nequaquam cogitáſſe apparet. Ea demum veritas publicam curam ſibi poſcit, quae non tam formulis opinionum, quam potius vitae, rerum actui, moribus animi, et indoli ſeu emendandae ſeu perficiendae prodeſſe videri poteſt.

Verum haec, quae ſummatim attingere exorſus ſum, vt ex hiſtoriarum fide, comparatisque inter ſe rerum temporum viciſſitudinibus declarentur, maiorem apparatum longioremque diſputationem poſtulant. Delibabimus ea quae breuiter exponi poſſunt, ſaltem potiora, in alia commentatione; licebit forte alia ex ipſis Romanarum religionum originibus ſubiungere. Vrget nunc officium, cuius cauſſa ſcriptio haec noſtra ſuſcepta erat, vt pronuntiemus, tanquam praeconio ex auctoritate publica, munus Prorectoris vniuerſitatis academicae, vice ſemeſtri, Kalendis his Martiis transferri ad Ordinem Theologorum venerabilem, inque eo ad virum grauiſſimum,

CAR. FRIDERICVM STAEVDLIN D.

cuius de rei academicae noſtrae incolumitate conſilia ſalubria, ſtudium recti iuſtique ab omni ambitione alienum, veſtrique, Commilitones, amorem paternum cum ſatis perſpectum habeamus: veſtrum obſequium, legum obſeruantiam, morum verecundiam, fidem ac religionem officiorum veſtrorum haud defuturam, vota autem noſtra de ſalute et felicitate Regis noſtri Indulgentiſſimi, et de proſperitate rerum publica et priuata, euentum optatum habitura eſſe auguramur. Faxit Numen O. M.

P. P. in Georgia Auguſta pr. Kal. Mart. cIↄIↄcccIx.

---

ALEXAN-

# ALEXANDRI SEVERI, IMP.
## RELIGIONES MISCELLAS PROBANTIS
# IVDICIVM ILLVSTRATVM
## ET AD CAVSSAS SVAS REVOCATVM.

### PARS ALTERA *a*).

Alexandrum Seuerum Imp. Chriſtianas religiones et ſacra, ſi non adoptaſſe, tamen probaſſe, etiam forte de conciliandis et conſociandis religionibus peregrinis cum patriis cogitaſſe, vt non modo libere colerentur iſtae, ſed eodem quoque loco cum his haberentur *b*): non tantam mirationem facere,

*a*) Primae huius partis *secundae* Commentationis *de Alexandro Seuero* lineae iam ductae a me et exhibitae sunt in expositione *prioris* partis in *Recensibus litterariis Gottingensibus* 1809. p. 377. 379 sqq. nec tamen prelo euulgata est ipsa commentatio. Ne telam pertexerem, intercesserunt caussae, quas hic commemorare nihil attinet; quo factum est, vt omni hoc scriptionum academicarum officio abdicarem.

*b*) Scilicet *Syncretismum*, quem recentiores vulgo appellarunt, aut ἑνωτικὸν religionum omnium populorum, saltem plurium, constituere voluisse imperatorem dixeris; vt idem assequerentur, alio modo allaborarunt philosophi, plerumque placita interpretatione in consensum redigendo; dum derivationibus et propagationibus religionum aliarum ab aliis, aut etiam ab vna, incubuere; modo ritus et cerimonias sacrorum, modo doctrinas prose-

 quendo

facere, quam forte prima auditione ſuſceperis, in ſuperiore commentatione declaratum eſſe arbitror: ab vna ſaltem parte, quatenus ex Alexandri ingenio, inſtitutione et ſcriptorum auctoritate et fide, quaeſtio erat conſtituenda; altera erat ex ipſa temporum ratione hominumque ſeu ſtudiis ſeu iudiciis ducta: quae cum per libelli anguſtias nondum ſatis diſerte ſit expoſita, ſubiicienda nunc ſunt ea, quae rem idonea luce illuſtrent. Fac enim ſatis declaratum eſſe, quomodo Alexandri ingenio procliuior illa in chriſtianos voluntas convenerit: aliam tum mirationem facit alterum hoc, "quod Romanorum ingenia et ſenſus ſtudium hoc alienarum religionum, poſthabitis ſacris patriis, patienter perferre maluerunt," quod ſi per rerum viciſſitudines rem eo deductam eſſe dixeris: reſtat hoc ipſum, vt exquiramus, "quibus modis et cauſſis ea paullatim rerum mutatio facta ſit, vt imperator legibus et religionibus patriis adiungere et admiſcere peregrinas, atque etiam, ſe eas probare, palam profiteri, impune auderet." Nam alia rerum erat conditio, cum poſthaec Conſtantinus in bellis ciuilibus partes ſuas chriſtianorum ſtudiis firmauerat. Cum enim eorum cauſſa facta ita eſſet ſuperior, facile armorum minis ac terroribus noua, bona an mala, inſtituta in imperii legem verti potuere.

In promtu vtique eſt perſpicere, omnino ea tempora, in quibus Alexander Seuerus vixit, cum religio-

quendo et comparando; nec negandum est, cunctis religionibus subesse notionem aliquam sensumque communem.

religiones peregrinae omnibus ex terris Romam tanquam in ſentinam confluxiſſent, omni iam ſuperſtitionum, inprimis myſticarum, aſtrologicarum, et magicarum, labe contaminata: ea, inquam, facilius quam antiquiora, patriorum inſtitutorum ac religionum tenacia, tuliſſe et admiſiſſe hanc innouationem patrii moris, quandoquidem Romani, fractis ſemel ſeruitutis iugo ceruicibus, nulli iniuriae et libidini dominantium vllam moram aut frenum iniicerent. Ita enim res ſe tum habuiſſe videri poteſt, vt, non dicam libertatis, ſed omni humanitatis ſenſu extincto, dominationi quicquid luberet, liceret; eo enim, ſeruitutis iugo ſemel recepto, res deduci ſolent; quaeri tamen vel ſic poteſt, quomodo iam ante Alexandrum, quibus modis et progreſſibus, religionum patriarum ille neglectus, illa leuitas, mox contemtus, Romanorum animis ſe inſinuauerit. Redeundum itaque eſt altius ad ſuperiora tempora, primaque mali ſemina et incrementa per gradus et ſucceſſiones ſunt exquirenda; donec ad ea ipſa tempora, quae Alexandri Seueri fuere, temporumque rationes, peruentum erit; quas et ipſas paullo diligentius perueſtigabimus.

Religiones Romanorum antiquiſſimae nullae aliae fuere quam Latinorum, quandoquidem Roma, ſi recte cenſeas, colonia fuit ab Alba Longa ducta; Alba Longa autem metropolis Latii; et Latini Aboriginum ſeu Auſonum nomini accenſebantur: quorum numina memorantur fuiſſe agreſtia, agrorum gregumque cuſtodes, informes ſtipites, vt in aliis populis melioris cultus vitae

experti-

expertibus, nomine inter nos peregrino *Fetiſſorum* vulgato. Ipſi Auſones, ſuſpicor, *Lares* eos appellarunt: quod nomen de domeſticis numinibus permanſit; idem Etruſcis vſu habitum, magiſtratus ſuos appellantibus *Lartes*, *dominos*. Per Pelasgos, ſeu antiquiores Graecos dixeris, qui mediam Italiam migratione facta inſederant, nonnullae notiones antiquarum Graeciae religionum, ſeu ſacrorum, (nam ſi religiones antiquas nominas, non niſi de ritibus et caerimoniis eſt cogitandum) ſunt illatae. Itaque dii partim domeſtici aut patrii memorantur antiquiſſimam ſimplicitatem vitae arguentes: Saturnus, Faunus, Picus, Pilumnus, Ops ſeu Maia et Maius, Ianus, cum aliis. Poſtea Romani partim eosdem deos a Pelasgis acceptos ad Hellenicas religiones informarunt, partim alia ab his acceperunt numina, Iovem, Iunonem, Mineruam et ſic porro *c*). Cum rudium aetatum religiones non niſi ritibus et caerimoniis, vt paullo ante dixi, contineantur, narrationibus, ſeu hiſtoricis mythis cum iisdem a maioribus propagatis, ſeriore tamen interpretatione ſaepe interpolatis, opinionum quoque diuerſitate obſcuratis: Italici mythi partim ad terram, agrorum cultum, frugum prouentum, ipſis nominibus teſtan-

*c*) Nolo his declarandis vacare, cum exposita ea a me sint in Excursibus IV. V. ad Virgilii Aen. VII. Facta est in plerisque mutatio antiqui Latii et Aboriginum religionum, partim confusio, permixtis patriis et Hellenicis, inprimis comparatione facta Opis et Vestae cum Matre deum, Saturni cum Crono, Apollinis et Dianae, Veneris, Dionysi et sic al.

teſtantibus, ſpectarunt, partim ad priſcos reges et heroes. Cultus erat pari vitae antiquae ſimplicitate conſtitutus, per dies feſtos, tripudia, cantus, ſacrificia frugum, vini, hoſtiarum; ſimili quidem, ex ipſa humani ingenii natura ducto more, qualis Graeciae erat, nec tamen origine vna eademque. Atque intra haec ſubſtitere fere veterum hominum religiones. Ceterum vita regebatur nulla religioſa praeceptione, multo minus doctrinae aliqua ſubtilitate; verum, quando melior vitae cultus ſe inſinuauerat, moribus ac legibus; quarum ſanctitatem domeſtica inſtitutione, exemplo et diſciplina, reuereri et colere aſſueuerant. Quae tamen locum habere non potuerunt, niſi vitae tranquillitate ac quiete parta; nam per vim et arma *leges* quidem poſſunt ſcribi, non autem *mores*, ſaltem non boni; vitae felicitatem autem hominum conſtituit *morum ſimplicitas et ſanctitas*, quae leges et religiones ipſas, qualescunque ſint, emendat et perficit.

Ad certum morem religiones Romanorum adegiſſe narratur Numa rex; ab Etruſcis alia fuere Romam translata, poſtea etiam ex Graecia Magna. Cum deorum prouidentiam non ex notionibus et argumentationibus certis, ſed ex bonorum ſpe, malorum metu conſtitutum ad incorruptae humanae mentis modulum metirentur: quandoquidem deorum nutu, voluntate, arbitrio, omnia geri ſtatuebant; non modo conſilia, ſucceſſum, bona quaeuis, a diis expectabant et petebant: verum etiam, dum ad eorum iram mala et calamitates publicas referebant, iram eorum placare, ipſos

placandi

placandi modos ab iis expetere, voluntates eorum explorare, miros modos excogitare per auguria, auſpicia aliasque diuinationes ac praenotiones, ex parte aliis populis minus frequentatas, aſſueuerant. Cumque publica negotia eodem more ac lege tractari et peragi ſolerent: euenit, vt totius reipublicae gerendae ratio ac fundus niteretur aruſpicina, auguriis, auſpiciis, eorumque certis generibus, tempore et vſu probatis, reiectis aliis. Atque haec quidem potiſſimum animo tenenda ſunt, quando *religio metusque deorum* in Romanis ſcriptoribus memorantur; per haec ſeueritas morum aliqua ingeniis Romanorum inſita videri poterat, ab Etruſcorum triſtitia quidem ferali et a Graecorum leuitate pariter diuerſa, etſi per prodigiorum et oſtentorum terrores Etruſcis propiore. Igitur, quandoquidem Romani ſucceſſus et euenta ex earum religionum obſeruatione diligenti, tanquam a cauſſis ſuis, repeterent et diiudicatione aeſtimarent, non miraberis, tandem eo peruentum eſſe, vt hae religiones, etſi temere ſuſceptae, opinione tamen, vſu diuturno, maiorum auctoritate firmatae tantam vim ad hominum animos haberent, vt eos metu, ſpe, fiducia, virtute, audacia quoque, implerent, iisque moribus legum indolem et nomen induendo, magiſtratus et populum obſequio ac fide continerent. Quo animaduerſo, non magna ſagacitate res indiguit, vt intelligerent callidiores, haec auſpicia, libros Sibyllinos et tripudia ſoliſtima inter artes habenda eſſe, quibus plebs coerceri, populus regi poſſit. Ciuitate ſemel ad hunc modum conſtituta, iisdem religionibus

gionibus ſeruanda erat mutua fides conſenſio et obſequium. Auctae reipublicae opes, et proſperi ſucceſſus, pro certis argumentis pacis deorum per religiones et ritus patrios expetitae habiti, religionum ſanctitatem aliis vinculis firmabant. Cum itaque, patriarum religionum cur poenitendum eſſet, Romani haud haberent: *nulli*, vt Propertii verbis vtamur (lib. IV, 1, 17.) *cura fuit externos quaerere diuos, quum tremeret patrio pendula turba ſacro;* etſi vel ſic ex victis Italiae vrbibus, cum incolis, Romam traductis deos et ſacra admitterent. Omnino enim in rudi et cultu ingeniorum deſtituto populo vix publica aliqua cura religionum habetur. Italia, Etruria, Carthago, victa adſtruebant antiquas ſuperſtitiones, moris et inſtituti ſimilibus exemplis. Cum autem Graecia victa feros victores ſubegiſſet: illatis in Italiam litteris, iam tum philoſophiae per Graeciam luce diffuſa, tenebrae ſuperſtitionum Romanarum diſpelli et, perſpecta diuinationum futilitate, metus deorum tolli, patriorum rituum religio labefactari, auſpicia et auguria rideri coeperunt, cum his ipſis autem reipublicae fundamenta ſubuerti; magiſtratus, antiquo more contemto, auſpicia negligere aut ea ad conſilia pernicioſa corrumpere; nobiles et potentes ambitione et cupiditate effrenati nouas res moliri, bella ciuilia ſerere, rempublicam in eum locum adducere, vt de principatu plures inter ſe digladiarentur; donec per fortunae ludibrium vnus, qui nec virtute nec prudentia cum ceteris comparari poſſet, regnum caſu, tanquam hereditatem oblatam, occuparet, et, quod non minus fato

euenit,

euenit, vt eam diuturna poſſeſſione retineret, et ad alios, ſe multo deteriores, transmitteret. Moribus autem ſemel per auaritiam, luxum et cupiditates nobilium et potentum corruptis, nulla ſeu philoſophiae ſeu alius cuiuscunque doctrinae ſubtilitas mores populi reſtituere valet, niſi moribus optimatum emendatis, et virtute reſtituta et hoc exemplo inter populum reuocata et reſtituta.

Graecorum artibus vrbem inuadentibus, euenit id, quod aliis temporibus in ſimili rerum ſtatu factum legimus et ipſi vidimus. Cum prudentiores prouidere debuiſſent, vt mature ac conſulto nouitatis ſtudium regeretur, vt nec nimium illud exardeſceret, nec antiquiora vno impetu abolerentur, noua vnice placerent; vt tamen nec altera ex parte antiqua, rerum hominum et temporum, quae ſucceſſerant, viciſſitudinibus incongrua, peruicaciter retinerentur: Romae, quod ſuperiore commentatione iam attigi, fuere quidem prudentiores, qui futuros euentus praeuiderent, nec tamen aut prudenter ſatis aut conſtanter eos praeuerterent aut praeſtruerent; Cato autem non conſilio, ſed ſolita acerbitate et peruicacia animos exaſperare; non a ſtudio nouarum rerum leni hortatu auocare, ſed ſtudium, quo ceteri ferebantur, iracunde obiurgando, intendere. Ita iuuentus Romana repente ad noua probanda et amplectenda proſiluit, ab omnis doctrinae ſubtilioris ignorantia ad ſubtiliores philoſophorum Graecorum diſputationes delata, quarum nec cauſſas et rationes perſpicerent, nec modum ac finem noſcerent, nec viam, qua aliena et noua ad mores

et

et inſtituta Romana accommodarent, tenerent. Itaque maiorum inſtituta ridere et explodere, auguria et auſpicia comtemnere, et intellecta eorum vanitate ſibi plaudere; quibus de rebus ſatis vel ex Cicerone conſtat. Interea Italia bello ſociali vaſtata, bellis ciuilibus viris opibusque exhauſta, paucorum opibus immodice ex praeda locupletatis; bellis externis, inprimis Mithridatico, cum luxurie et praeda inferri coepere noua opinionum et religionum monſtra, inque his ſacra Iſiaca, Phrygia et Mithriaca, paullo poſt Iudaica. Cum enim Romani victoriis rapinisque omnem terrarum orbem peragraſſent, gentes vniuerſae vna cum ipſa vrbe Roma calamitatibus omnis generis oppreſſae, ope diuina humanaque fruſtra implorata, nouas malorum medelas vndique circumſpicientes ex ipſa Syria et Aegypto, ad foediſſimas ſuperſtitiones ſunt prolapſae, easque ipſam in vrbem intulere: nouo vlciſcendae iniuriae modo a Nemeſi inuento, vt in auctores miſerandae fortunae ſuae verteretur eadem malorum peſtis quae ex iniuriis iſtis erant ſubnata. Ita enim aeternum ius et fas ſancitum eſt, vt mala victis immerentibus illata in victorum capita ſerius ocyus redundent, vtque aut ipſi aut poſteri patratis paria experiantur. Si Romani ſaltem intra Italiae fines ſe continuiſſent et patrias religiones, ſeueras quidem et auſteras, retinuiſſent: imperium illi condere potuiſſent firmum et validum, viris fortibus, libertatem et vitae ſimplicitatem tuentibus, agrorum prouentu abundantibus. Finibus autem vltra omnem modum productis, terris populisque diuer-

ſiſſimis in indigeſtam molem coactis, ipſi in partem ſeruientium infimam et contemtiſſimam ceſſerunt.

Prima mali labes fluxiſſe videtur a Bacchicis ſacris per Italiam diſſeminatis, de quibus quaeſtio habita Sp. Poſtumio Albino, Q. Marcio Philippo Coſſ. V. C. 568. v. Liv. XXXIX, 8 ſqq. qui, ex Etruria morbum tanquam contagio propagatum eſſe, ait. Notum eſt SCtum de Bacchanalibus, apud Liuium, illuſtratum a viris doctis; e quibus vnum nominaſſe ſatis eſt Bynkershoek, in Opuſculis Num. IV. de religione peregrina, quae ad principum Rom. tempora maxime ſpectat. Nec tamen Bacchi religio tum primum potuit eſſe inuecta, quippe quam multo antiquioris moris et vſus fuiſſe teſtantur tot monimenta, inprimisque vaſorum picturae. Sed initia ſacrorum, antea iam conſtituta, tum fuere corrupta, aut noua illata. Graeculum aduenam auctorem fuiſſe Liuius monet, ignobilem, ſacrificum et vatem; neque ex Graecia trans Ionium mare adueniſſe dixerim, forte ne ex Graecia quidem Magna aut Sicilia, ſed ex Alexandria, Ptolemaei Epiphanis aut Philopatoris temporibus, nouarum ſuperſtitionum iam tum fecunda parente *d*). Ita etiam aſſequi licet, vnde in Etruſcis et Campanis, multo magis in Graecis vaſis pictis, Aegyptiaci moris veſtigia appareant. Foribus ita ſemel apertis aliarum ſuperſtitionum peſtis agmine facto irrupiſſe videtur: Iſiaca,

*d*) Mirari licet, etiam in Graeciam religiones Serapidis et Isidis et Harpocratis illatas memorari, nec tamen id euenisse arbitror ante Ptolemaeorum tempora, quibus et arma et auxilia ex Aegypto Atheniensibus missa et commercia Alexandriae religionibus Aegyptiis locum fecere.

Iſiaca, Phrygia, Sabazia. Notabile eſt cum his ſacris commemorari fere ſortilegos, aſtrologos, fanaticos et agyrtas: qui inter iſtarum caerimoniarum nouitatem praeſtigiis ſuis vulgus tanquam faſcino defixerant. Liuius quidem XXXIX, 16. iam ante Bacchanalia prolata *innumerabilia* ait extitiſſe *decreta pontificum, ſenatus conſulta, aruſpicum denique reſponſa,* et ſaepius magiſtratibus negotium eſſe datum, vt ſacra externa fieri vetarent, ſacrificulos vateſque foro, circo, vrbe prohiberent, vaticinosque libros conquirerent comburerentque, omnem *diſciplinam ſacrificandi*, praeterquam more *Romano, abolerent.* Dicta ab eo ſunt iſta e perſona Poſtumii Coſ. in oratione habita de Bacchanalibus: neſcio an a Liuio magis oratorie dicta, quam a Coſ. Saltem ab ipſo Liuio antiquiora in prioribus libris memorata haud memini, praeterquam vnum L. Papirio Craſſo, L. Iulio Coſſ. lib. IV, 30. De peregrinis ſuperſtitionibus ex vrbe eiiciendis poſt haec paſſim decreta et acta legimus. Nam M. Popillio Laenate C. Calpurnio Coſſ V. C. 615. *Chaldaeos* C. Cornelius Hiſpallus, praetor inter peregrinos, *edicto intra decimum diem abire Vrbe et Italia iuſſit e)*, narrante Valerio Maximo. Adeo mature *aſtrologorum* fraudes vrbi ingruerant: vnde Tacitus (Hiſt. I, 22.) vbi de *mathematicis nouos motus et clarum Othoni annum obſeruatione ſi-*



e) Valer. Max. I, 3. 2. *leuibus*, adiicit, *et ineptis ingeniis ſallaci siderum interpretatione*, quaestuosam suis mendaciis *caliginem iniicientes.* — Paullo post: *Idem* (C. Cornelius Hispallus) *eos, qui Sabazii Iovis cultu simulato mores Romanos inſicere conati sunt, domos suas repetere coegit.*

*derum affirmantibus: genus*, inquit, *hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra et vetabitur ſemper et retinebitur.* Praeclare auguratus eſt Tacitus ea, quae euenire debuere, litteris bonis ſemel corruptis, libertate oppreſſa, ſeruilibusque hominum ingeniis ad religiones et ſuperſtitiones, firma dominationis praeſidia, prolapſis. Eodem anno V. C. 615. *Sabazia*, (e ſacris Thracicis et Orphicis ducta eſſe ſuſpicor) ex vrbe fuere eiecta, eodem Valerio teſte. Ad hunc annum refero quoque verba Tertulliani (Apologet. c. 6.) *Liberum patrem cum myſteriis ſuis Conſules Senatus auctoritate non modo vrbe, ſed vniuerſa Italia eliminauerunt.* Idem poſt iſta addit: *Serapidem et Iſidem et Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, id eſt, curia deorum pulſos, Piſo et Gabinius Coſſ.* (a. V. C. 696.) *euerſis etiam aris eorum, abdicauerunt.* Apparet, noluiſſe Conſules deos Aegyptios inter publicas religiones haberi, ſed eas priuatas coli haud vetuerunt. Contrarias his leges ſcribit Cicero de LL. II, 8. pr. ſed a ſe rogatas cf. c. 10. extr. Nec enim abolita omnino ea ſacra eſſe, docent ea, quae Valerius Maximus paullo poſt memorat. de Iſidis et Serapidis fanis e SCto dirutis *f*). V. C. 704. At Cicero volebat omnia ſacra contineri intra priſcas patrias religiones, nec nouas addi; quemadmodum etiam Maecenas in ſuaſione ſiue vere habita

*f*) Valer. Max. I, 3, 3. *L. Aemilius Paullus Conſul* (V. C. 704.) *cum Senatus Iſidis et Serapis fana diruenda cenſuiſſet, eaque nemo opificum attingere auderet, poſita praetexta, ſecurim arripuit, templique eius foribus inflixit.*

habita ſiue ex antiquiore adumbrata auctore a Dione Lib. LII, 36. ſub a. 726. cum vterque iam ipſis euentis didiciſſent, quot et quanta mala per peregrinas religiones et ſuperſtitiones remp. inuaſerant. In *aſtrologos* autem animaduerſum eſt a M. Agrippa Aedile V. C. 721. (apud Dionem XLIX, 43.) et interdictum ab omni vaticinio et praedictione ab Auguſto V. C. 764. (ibid. LVI, 25.) cum antea iam fatidicorum librorum quicquid erat, combuſſiſſet: id quod paullo poſt Pontificis Maximi nomen adſumtum (V. C. 711.) factum eſſe ſuſpicor e Sueton. c. 31. pr. Quae quidem ille non tam veri et recti ſtudio, quam periculorum inde ſibi a callidioribus imminentium reputatione, facta eſſe facile eſt ad intelligendum. Auguria enim et auſpicia in manu ſenatus, magiſtratuum et Pontificum erant; (quemadmodum ſerioribus aetatibus religiones et ſacra a Pontifice Romano eiusque Senatu Purpuratorum tenebantur;) enimuero nunc Senatus auctoritate in ludibrium verſa, ſuperſtitionum coetus tanquam factionum fomites, cumque iis aſtrologicae caeteraeque diuinandi et vaticinandi rationes, ſollicitudinem iniicere potuere, quandoquidem promiſcuo hominum vſu habebantur.

Ingraueſcentium malorum remedia eſſe quaeſita, ex his patet; verum ea malis medendis haud ſuppetiiſſe, morbumque tanto magis increbuiſſe, docent ea, quae de ſuperſtitionibus inter haec tempora latius ſparſis, profeſſione ipſorum ſcriptorum, et monumentorum fide, ſatis conſtant: frequentata enim ſacra arcana, initia Iſiaca, Mithriaca,

Phrygia, fanaticorum furores, haud raro legimus. Per haec religionum ludibria, inter Iſiacos coetus, eiulatus et cantus, antiquae virtutis Romanae quicquid ſupererat extinctum eſſe facile credas. Ne Bonae deae ſacra commemorem, expendere licet, quae quantaeque morum corruptelae per ſacra Iſiaca propullulare debuere, inter matronas praecipue Romanas, et ad diſciplinam domeſticam liberorumque educationem vitiandam *g*). Res igitur ipſa docuit, fruſtra leges ſcribi, poenas, ſupplicia quoque, ſanciri, dum interea morum ratio nulla habetur. Quantopere praeſtat, ſapientum monita tenere: leges ſine moribus parum proficere, corruptelisque ciuitatis non ſatis occurſum eſſe vel ſeueriſſima prohibitione, aut interdictis, quibus defungi ſe munere ſuo credunt forte magiſtratus, et propoſitis poenis, niſi publicae priuataeque diſciplinae per optimatum exempla et vitae innocentiam ſatis proſpectum fuerit; idque mature eſſe prouidendum, antequam et morum corruptela cum malis, et mala ex illis ſubnata, cum ipſis moribus, ita inualuerint, vt de medela deſperandum ſit.

Scilicet inclinatis ſemel ad externa et a patriis ritibus deflectentibus animis, mira Romanorum procliuitas ad probandas externas religiones, quae in Vrbem confluxerant, inſequuta eſt; ingenii humani natura ad noua quaeque rapiente; cumque in republica libera peregrini ne admitterentur quidem

*g*) Inſpiciat aliquis enotata a *Böttigero* noſtro, ingenioſo ſcriptore, in elegante libello *die Isisvesper*, et repetita in Gött. Gel. Anz. 1809. p. 172 – 6.

quidem ad ſacra Romana, quippe quae tantum ciuium erant, nec niſi a ciuibus frequentanda; peregrina ſacra non magis ad ſe pertinere iidem putabant, eaque ciue Romano dedecori eſſe ſtatuebant; nunc noua et peregrina placere, patriis praeferri, ambitioſe affectari, et honore haberi; quam rem in cuiusuis populi exitium verti, et re et annalium exemplis obuium eſt. Neque tamen ne tunc quidem, cum admittere placuiſſet, patrias religiones *abdicare*, aut cum aliis permutare animus fuit, ſed *tantum iis adiungere aliena.* Seruata quoque in actis publicis negotiisque ciuilibus, omninoque in vita publica ac priuata, inſtituta priſtina, ſacrorum et caerimoniarum ſanctitas per magiſtratus et imperatores cuſtodita, etiam moribus iam per luxum, aſſiduum dominationis aſſeclam, inter palatii probra et turpia adulantium ſtudia, virtute priſca, cum libertate, ſublata. Quamdiu itaque inter plebis ſuperſtitiones referri ſolebant initia Iſidis, Matris deum, et alia, tum agyrtarum et fatidicorum praeſtigiae: nulla magiſtratuum aut principum cura deſiderata eſt; niſi clandeſtini et nocturni coetus ſollicitudinem et ſuſpicionem inieciſſent, aut abiurationes et deteſtationes, inprimis ſub Imperatoribus in ſacramento militari, odia metumque mouiſſent; omninoque cum coeptum eſt vereri, ne Imperatorum vitae et imperii incolumitati per malas artes cum ſuperſtitionibus propagatas inſidiae ſtruerentur: tum de aſtrologorum fraudibus, magicis artibus, peregrinisque, per quas in vrbem illatae erant, religionibus ſeu ſuperſtitionibus quaerere, ad remp. et imperii conſilia

N 4 perti-

pertinere viſum eſt. Interea tamen, quod mireris, ſaepe videas ipſos Imperatores conſuluiſſe mathematicos ſeu aſtrologos; in his etiam Auguſtum (v. Sueton. c. 94 extr.). Thraſyllum contubernio habuit Tiberius. (v. eund. Tiber. c. 14. ſub f.) Dio LVII, 15. Antoninorum autem Pii et Marci religionem in conſulendis Chaldaeis multo magis mirabimur.

Itaque ſub Auguſto, vt ſupra iam memoraui, in aſtrologos et fatidicos animaduerſum eſt ſeuerius; ſub Tiberio autem ap. Tacit. Annal. II, 32. V. C. 769. a. C. 16. *facta et de mathematicis magisque ex Italia pellendis Senatusconſulta: quorum e numero L. Pituanius ſaxo deiectus eſt. In P. Marcium Conſules extra portam Esquilinam, cum claſſicum canere iuſſiſſent* (ad populum conuocandum) *more priſco aduertere h*). Et paucis annis poſt (V. C. 772. a. C. 19.) ibid. II, 85. *Actum et de ſacris Aegyptiis Iudaeisque pellendis*; deportati ſunt, qui libertini generis erant (numero quatuor millia), in Sardiniam, ceteri iuſſi Italia cedere, *niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Haec ſunt illa quae Suetonius innuit Tib. 36. *Externas caerimonias, Aegyptios Iudaicosque ritus compeſcuit; coactis, qui ſuperſtitione tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere; Expulit et mathematicos.* Ex hoc et ſimilibus aliis locis apparere videtur, nomine Iudaeorum et Aegyptiorum declarari fanaticos et praeſtigiatores ex vtraque gente, ſuperſtitiones aſtrologicas et magicas ſectantes; idem quoque

h) Cf. Lipsium Excurs. P. vbi docet alios retulisse SCtum ad annum sequentem 770. Rufo et Flacc. Coss.

que Chriſtianorum nomini fraudi fuiſſe, cum malarum artium auctores ex numero eorum Romae quaeſtum facerent; aut etiam eſſent, qui eorum nomen mentiti, malas artes exercebant. Fuere quoque in numero horum praeſtigiatorum et circulatorum philoſophi, aut philoſophorum loco et nomine habiti: vulgatae per hos omnes arcanae caerimoniae, nomina et ſigna myſtica. Iunguntur itaque, vt vidimus, Iudaici Aegyptiique ritus cum mathematicis et philoſophis, quoties de ſacris peregrinis et ritibus Roma fugandis memoratur; aſtrologos in hoc impoſtorum grege ordines duxiſſe manifeſtum fit; iisque adiunctos qui magicas artes tractarent. Tam diuerſorum generum ſuperſtitiones fuiſſe videmus, vt ſub ipſa nominum confuſione latebras facile haberent impoſtores, etiam ſceleſtiores cuiusuis generis *i*). Atque ita per impoſtorum fraudes Iudaicae et Chriſtianae religiones in ſuſpicionem prauorum ſtudiorum venerunt. Omnino enim de placitis doctrinae Chriſtianorum parum laborabant Romani, referentes eam inter ceteras ſuperſtitiones: vnde etiam dixeris, non religioſis, ſed ciuilibus aut politicis conſiliis, ab Imperatoribus in Chriſtianos ſaeuitum eſſe ante Conſtantini tempora. Vitellio principe *iterum pulſi Italia mathematici* (Tacit. hiſt. II, 62.), quippe *qui nouos motus et clarum Othoni annum obſeruatione ſiderum affirmauerant: vt idem ſupra notaui* (ibid. I, 22.). Adeo principes de ſua ſalute, non de diſciplina

 populi

*i*) Haec si sic disposueris, recte se habet quod *Mursinna* in Diss. apud *Oelrich in Germaniae litterat.* Tom. I. ab Tiberii imperio superstitiones ortum habuisse dixit.

populi Romani laborarunt; angebantur ſuſpicione et metu, ne per aſtrologiam et magicas fraudes vitae ſuae inſidiae pararentur, praedictione mortis aut ſucceſſoris ſe dignioris. Inualuit is metus in nonnullorum animis, vt in inſaniam verteretur, ſerioribus temporibus, Conſtantinorum, Valentiniani, Valentis. Erat enim inter artes aulicorum principibus adulantium, vt, cum de eorum vita ſolliciti et anxii videri vellent, paratas iis inſidias deferrent, quas ipſi finxerant, aut etiam in maius augebant, quum intellexiſſent, his timoribus, hoc metu, ſe principis animum et voluntatem in poteſtate ſua habere, modo metu angentes, modo terrore leuantes; habebant hoc ipſo opportunitatem mouendi ſuſpiciones de iis, quos principi inuiſos reddere vellent, abalienabant principis ſtudium ab aliis, etiam ab vniuerſis hominum ordinibus, ab vrbibus et prouinciis; inde delationes, accuſationes, ſupplicia, iam inde a Tiberio principe lege maieſtatis exercita. Ita bonorum quoque principum mentibus virus malitiae ſuae inſtillarant mancipia palatina, principem obſidentia et viros probos ab aditu eius excludentia; vt plura mala ab iis manaſſe intelligas, quam, non modo principum, ſed ipſis naturae elementorum corruptelis. Harum artium exemplis referta eſt inprimis hiſtoria imperii Byzantini.

Non defuere inter haec nec in republica nec ſub imperatoribus illuſtrium virorum ſtudia ad philoſophiam conuerſa; ex his ii, qui philoſophia Stoica erant imbuti, antiquiorem morum ſeueritatem aemulabantur, corruptelas temporis ſui increpabant quidem,

dem, non tollebant; reliquarum ſcholarum auctoritas fuit exigua aut nulla ad diſciplinam vitae publicae et priuatae; ſtudiis omnium ad ſubtilitates et contentiones inter ſe conuerſis, nec coercitis. Ipſa philoſophia, ad myſticas doctrinas procliuior, ad corrumpenda ingenia doctiorum, etiam optimorum principum Antoninorum aetate, properauit, plebe interea ſuperſtitionibus ſuis deuincta et praeſtigiis circulatorum, inprimis in prouinciis, Aſiae maxime et Syriae, obnoxia. Reuocemus in memoriam Alexandrum Paphlagonem nouum oraculum molientem apud Lucianum; et praeſtigias ab eo in Philopſeude enarratas, tum Apollonium Tyaneum.

Erupit poſt haec omnia in effrenem licentiam Commodus, qui inter fanaticos Bellonarios ſe inſcribi iuſſit, et ſacra Iſiaca coluit, ita vt ipſe iactaret caput et Anubim portaret *k*); alias corruptelas morum et religionum Romam induxere imperatores e diverſis prouinciis, etiam e barbaris, oriundi, et cum comitatu et ſatellitio palatium Romae occupantes; in his inprimis illi, qui in oriente ab exer-

*k*) Lampridius in Commodo c. 9. et in Pescennio Nigro c. 6. Ministeria Palatina iussa erant sacris Isiacis operari cum imperatore; ipsum Nigrum, grauem virum, depictum in opere musico parietis porticus in hortis Commodianis se vidisse scriptor memorat, sacra Isidis ferentem inter Commodi amicissimos. Sacra Matris deum maiore quam antea apparatu idem celebrauit. v. Herodian. I, 10. 11. *Serapidem conseruatorem Augusti* in numis Commodus signauit Consul VI. a. C. 192. in aliis numis se Herculem Romanum: eo progressus dementiae, vt se ipsum deum coli iusserit. cf. Eckhel Vol. VII. p. 128.

exercitu fuerant renuntiati. Verum haec ſeriorum ſunt euenta temporum; et praeceſſerant iam alia, quae patrias religiones Romanorum alienis ritibus miſere inquinauerant, Seueri, Caracalli, tum Elagabali temporibus: per quae ad Alexandri Severi tempora peruentum.

Prae ceteris enim *Iulia Domna*, Seueri vxor, prauis religionibus et ſuperſtitionum omni generi latam viam patefecit; illa quidem femina, parum probatis licet moribus, ingenio tamen, litterarum amore, quas illa tempora ferebant, et ſtudio in ſophiſtas ac philoſophos, clariſſima; ſed muliebre ingenium ad miracula et ſuperſtitiones pronum bonis litteris et artibus plus obfuit quam profuit. Nota res eſt, qua Apollonii Tyanei, qui iam tum e viuis exceſſerat, admiratione percuſſa fuerit, vt etiam Philoſtratum, fatentem id ipſum (lib. I, 3.) iuberet ex Damidis ſtolidi hominis, qui familiaris Apollonii fuerat, commentariis deſcribere eius dicta et facta. Confluxere ad eam, et ei placuere, qui praeſtigias et portenta narrabant. Scilicet in deſidia et luxu aulicorum inexpletum eſt deſiderium nouorum ſpectaculorum, pomparum et ſollennium. Habebantur itaque in iſta aetate praecipuo in honore et amabantur ingenia fertilia nouorum inuentorum ludicrarum rerum, ſpectaculorum iocularium, aut portentoſorum, ad otioſam vitam fallendam et ignauiae taedium mentibus eximendum. Facit inter haec mirationem *ludorum ſcenicorum* nullum vſum nec deſiderium inter homines otioſae voluptatis auidos memorari. Scilicet ludorum ſcenicorum inter Romanos fortuna fuit admo-

admodum varia; iam ſub Auguſto ad oculorum auriumque voluptates omnis fere res ſcenica abierat; Pylade et Bathyllo auctoribus: omiſſis diuerbiis ὀρχηστικὴ primas partes obtinuit, ſaltatio cum muſica coniuncta, Romanis *pantomimus* appellatus, Graecis, vt vel ex Luciano patet, ὄρχησις dicta: actione ſola ante oculos ponens res, accinente tibia vel cithara et choro, ſeu cantico; nulli igitur nec hiſtriones nec comoedi et tragici actores, aut ſcena et actio, qualis olim fuerat; ſed cantus cum ſaltatione, h. e. geſtu, actu, motuque corporis rem ipſam exhibente. Interdum et tibia vel cithara ſola vel vox canentis memoratur: vt ex Sueton. Ner. 20. 21 ſqq. diſcitur. Poſt haec tamen et muſici et thymelici exoleuerunt, cumque iis omnino ſcenici; populusque Romanus acquieuit in circenſibus, ludis gladiatoriis, et venationibus in amphitheatro. Neapolis maxime arte muſica celebrata. Interea in Aſia et Graecia, Syria quoque, *ludi muſici* celebrati ſunt alio modo et nomine, in deorum imperatorumque honorem, frequenter in numis memorati: ad hos ludos habendos operam locabant *Dionyſiaci*, ſ. οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται, *ſcenici* dicti: quorum collegia erant et θίασοι. v. Diodor. IV, 5. et Strab. XIV. p. 663. et Marmora. Itaque nec Iuliae Domnae aetate, ludorum ſcenicorum mentio fit, quamuis tam auidi homines tum eſſent nouorum ſpectaculorum. Iam dudum ſtudiorum bonorum et ingeniorum honos nullus erat, cum bonae litterae friuolis et nugacibus ſtudiis ceſſiſſent.

Innutritus his ſtudiis *Caracallus* inter vetera ſpectacula probauit vnice ludos gladiatorios et ſacra

pom-

pompasque religionum exterarum; *Caracallus ſacra Iſidis* adeo excoluit et frequentauit, vt ea *Romam deportaſſe et templa vbique magnifica deae feciſſe dicatur l*), *Elagabalus* vero etiam ſacra peregrina ex Aſia *Matris deum* et Solis in Palatium inuexit, ad omne inſaniae genus prolapſus; hunc, *vbi primum ingreſſus eſt vrbem, omiſſis iis quae in prouincia gerebantur, in Palatino monte iuxta aedes imperatorias conſecrauit, eique templum fecit; ſtudens et Matris typum* (διοπετὲς ἄγαλμα) *et Veſtae ignem, et Palladium et Ancilia, et omnia Romanis veneranda, in illud transferre templum, et id agens, ne quis Romae deus niſi Elagabalus coleretur. Dicebat praeterea, Iudaeorum et Samaritanorum religiones, et Chriſtianam deuotionem, illuc transferendam, vt omnium culturarum ſecretum Elagabali ſacerdotium teneret m*). Voluit itaque Romae vere ita dictum *Pantheum*, et ſe omnium per terras religionum *Pontificem Maximum*, conſtituere. Quae qui audiuit, non amplius mirabitur, Alexandrum Seuerum ſimilia, ſaniora tamen, auſum eſſe in vrbe nouare, neque eam, temeritatem an nouationem, mirationem aut offenſionem feciſſe. Atque hoc erat, quo deducenda erat noſtra commentatio.

Cete-

*l*) Spartian. in Antonin. Carac. c. extr. Ipse tamen recte monet: *In quo quidem mirum mihi videtur, quemadmodum sacra Isidis* primum per hunc *Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit, vt et Anubin portarit et pausas* (h. e. mansiones, stationes pompae) *ederet; nisi forte iste addidit ei celebritati, non eam primus inuexit.*

*m*) Lamprid. 3. Alia nefanda c. 6. 7. Moderatius extulit haec Herodian. V, 5. et Dio Cassius, qui strictim haec attigit, LXXIX, 11. Restituit ciuitatibus et templis ablata signa et sacra Alexander: ibid. I, 1.

Ceteroquin, etſi Alexander Seuerus Chriſtum inter heroes veteres adoptauit, non tamen, vt iam monui, inde tuto colligitur, voluiſſe eum patrias religiones deſerere et in Chriſtianorum caſtra transire; quid, quod ne hoc quidem pro explorato habebo, eum praecipue aliquo ſtudio ſuo in religiones Chriſtianas proniorem fuiſſe; aut omnino proprium aliquod iudicium hac in re ſequutum eſſe. Si enim illorum temporum et hominum ingenia et ſtudia recte teneo, omnino is multorum videtur animorum fuiſſe habitus: cum philoſophia ab antiqua ſeueritate et ſubtilitate nimium iam deſciuiſſet, et Pythagorea ac Platonica doctrina fines intelligentiae et rationis ſolidae ſemel transſiliiſſet: noua, mira et inſolita, ingeniis transuerſim actis, magis arridebant, quam vera et communia; ex omnibus itaque Orientis philoſophandi modis et generibus adoptabantur ea, quae nouis argutiis aut ſomniis propiora eſſent iisque velificarentur. Iam illa quoque Orientis philoſophia e pluribus fontibus aut riuulis deriuata farraginem potius opinionum et cinnum praebebat quam philoſophorum ſententias meditato excuſas. Quod tamen maiorem noxam attulit, fuit hoc, quod, in indoctorum hominum circulos ſomnia ſua diſſeminauerunt, viciſſimque ea plebis ſuperſtitionibus locupletauerunt. Hoc modo ab hominibus iſtius aetatis, philoſophica ſtudia indocte ſectantibus, ſuperſtitiones vulgi philoſophica ſubtilitate ſunt expoſitae, inprimis de rebus abditis et occultis, quarum cauſſas ignoramus, ipſam autem facti et euenti veritatem non ſatis diligenter excutimus. Pertracti ſunt in eumdem gurgitem multi e Chriſtianis parum felici-

cet

ter philoſophantes; quandoquidem aut ipſi ex iſtis philoſophicis ſtudiis ad nouam ſectam transierant, aut, imbuti doctrina Chriſtiana, iſtorum ſtudiorum vana ſpecie decepti fuerant. Omnino enim diſciplinam Chriſtianam pro philoſophandi genere habitam, et inter philoſophantium ſectas Chriſtianos relatos eſſe apparet; vti altera parte ex Chriſtianis ii, qui ceteris doctiores haberi volebant, philoſophandi morem et diſciplinam in doctrinam Chriſti intulere, Platonicam et Iudaicam et quamcunque aliam Orientis: hanc quidem a ſymbolicis effatis ductam, et eodem modo ſymbolice expreſſam, varieque acceptam et propoſitam: ita vt iterum multa ambiguitate et obſcuritate ſymbolorum laborarent et corrumperentur. Inprimis confuſae vtriusque miſcellae doctrinae incuſantur *Gnoſtici:* quo nomine putandum eſt diuerſorum generum homines male philoſophantes eſſe inſignitos. Fuere inter eos manifeſta opinionum diſſidia, ſubtilitatum et ſuperſtitionum diſcrimina; quae res haud ſatis animaduerſa viris doctis nubem obieciſſe videtur, vt Chriſtianos profana et profanos Chriſtiana ſtudia miſcentes paſſim confunderent.

Foediſſimarum ſuperſtitionum genus quod tamen latiſſime regnauit, fuit hoc, quod *aſtrologicis* et *magicis* fraudibus contextum erat, plurimorum doctorum et indoctorum perſuaſione propagatum de viribus naturae occultis, ad res tamen miras et prodigioſas, ſi modo ars aliqua arcana adhibita eſſet, perſpiciendas valentibus; tum de daemonibus, angelis, geniis, omnino que de naturis humana natura potioribus, per ſapientiae tamen arcanae

arcanae vim et ſtudium ad rerum miracula et prodigia patranda facile pertrahendis et adigendis. Permiſtis et copulatis hunc in modum fraudibus omnis generis et ſuperſtitionibus, etiam ex corruptis iſtius aetatis initiis, ſacris et profanis, diſſeminatae ſunt artes magicae malis depellendis et bonis arceſſendis idoneae. Exercitae autem ſunt artes iſtae partim ritibus certis arcanis, partim formulis verborum ignotorumque ſeu myſticorum nominum, aut etiam ſignorum et figurarum ludibriis, pronuntiatis, ſculptis ac ſcriptis, quibus ea vis aut ineſſe aut includi poſſe credebatur, vt, ſi appenſa corpori (περίαπτα) eſſent aut ſi quis ea ſecum ferret, aut domi ſeruaret, illaeſos ac tutos homines praeſtarent; in talismanum et amuletorum numero habita. Incredibile eſt, quam late per totum terrarum orbem Romanum animos pudendis erroribus occaecatos tenuerint iſtae ſuperſtitiones, quae ex primo illo fonte diſputationum de rebus humanae rationis limites excedentibus pedetentim emanauerant, ex iisque quanta prauarum artium lues. A Chriſtianis ſcriptoribus hae ſuperſtitiones Gnoſticis fere et Carpocratianis aliisque haereticorum nomine notatis tribuuntur. Enimvero habendae illae erant inter corruptelas temporum longinquis variisque de cauſſis, tanquam morbi ſeminibus, contractas et ſparſas, certis aetatibus, inprimis in imperiorum conuerſionibus, contagio propagatas. Fuit quoque inter eas ſuperſtitiones imago Chriſti, de qua paullo poſt dicam; nunc monuiſſe de iis ſatis eſt.

Interea offert ſe obſeruatio moleſta, quoties in eam incidi, acerba et luctuoſa; quod ſuperſti-

perſtitiones iſtae et fraudes aſtrologicae et magicae poſt Conſtantinorum tempora, tantum abeſt vt Chriſtianae doctrinae auctoritate reprimerentur, vt etiam multo magis, quam antea, increbuerint et effreni licentia graſſatae ſint: maxime ſi Valentinianorum, Valentis et Theodoſii tempora memineris. Coniuratione quaſi facta philoſophiae ſacrae et profanae, nihil de veritate et auctoritate praeſtigiarum et praeſtigiatorum Chriſtiani dubitare aut ſuſpicari, ſed in id tantum acumen mentis intendere, vt narrata de rebus et euentis, naturae legem egreſſis, pro certis et euidentibus haberent, nec veritatem narratorum explorarent, ſed ratiunculis ſubtilibus incerta commenta firmare et probare ſtuderent. Adeo ad miracula et prodigia procliues omnium erant animi, vt ea, quae naturae aeternas leges excedunt, etiamſi leuiſſima vel fide nulla digna, auide tamen amplecterentur, ea autem, quae naturae more et ordine procedunt, adſpernarentur. Tantum refert, ſaniorem cum bona mente philoſophiam retinere, intra fines eorum, quae, ex intelligentia rerum naturalium, indagatione ſedula explorata, habemus, ſe continentem; cetera autem, quae noſtrae cognitionis anguſtiam et tenuitatem exſuperant, aeternae menti ſeruata et conſecrata ſeponentem; ſaltem non niſi modeſte, dubitanter et cunctanter, ariolantem; nihil de tripode pronuntiantem; tantum abeſt, vt mundum hunc ſenſibus ſubiectum, legibus naturae notae ſpretis, ex legibus commentitiis, vltra fines rerum quae vere ſunt euagati, conſtituere nos poſſe arbitremur.

AD COMMENTATIONEM

DE

# ALEXANDRO SEVERO IMP.

RELIGIONES MISCELLAS PROBANTE

## EPIMETRA VI.

# Epimetrvm I.

## *De Chriſti effigie in Alexandri Seueri larario habita a).*

Antequam Alexandrum Seuerum et omne hoc nouarum religionum et ſuperſtitionum genus, quod vsque ad Theodoſiana tempora proſequi conſtitueram, manibus dimitto, pauca adhuc ſubiungam: I. *de Chriſti effigie in Alexandri Seueri larario habita.* Quaeritur enim, *vnde Alexander iſtam imaginem acceperit? vnde expreſſa illa fuerit? quo exemplo? qua veritatis auctoritate?* Vix enim ſibi perſuadeat aliquis, veram Chriſti imaginem, dum in viuis fuit, a pictore aliquo delineatam et pictam fuiſſe. Nec magis probabile ſit, primis ab eius morte annis et aetatibus imaginem eius pictam a quopiam fuiſſe, ſi Iudaeorum omnes imagines abhorrentium ſenſum, altera ex parte diſciplinae Chriſtianae originum tenuitatem vitaeque ſimplicitatem et paupertatem, reputes; poſt haec autem, cum de Chriſti imagine quaeri coeptum eſſet, defuiſſe verum eius formae exemplum. Adoptata tamen eſt in artium operibus Chriſti effigies, quae etiamnum vſu habetur; multa quoque de ea a viris doctis rerum diſciplinae Chriſtianae antiquioris

 ſtudio-

a) Delineata erant haec et informata animo sub idem tempus quo scripta fuit Commentatio de Alexandro Seuero.

ſtudioſis diſputata ſunt: e quibus quidem comperta habemus haec: quarto demum ſaeculo increbuiſſe curam imaginum, vt Chriſti, ita Apoſtolorum Petri et Paulli; quod etiam traditur ab Euſebio (H. E. VII, 18.) Ab eo tempore prodiere commenta de ſtatua Chriſti Paneadenſi, de imagine Edeſſena ad Abgarum miſſa, et ſerius de imagine Chriſti precibus Veronicae impertita. Quae quidem commenta nunc recoquere aut refellere ineptum eſſet, cum a viris doctis res iam ſatis ſit diluta; religioſae inprimis fraudis aut ſuperſtitionis reſpectu, a Dallaeo potiſſimum et Io. Reiskio *b*).

Si tamen *Alexander Seuerus Chriſti imaginem in larario* habuit, iam ſaeculo III. aliquam Chriſti picturam circumferri ſolitam fuiſſe neceſſe eſt. Narrantur quoque Carpocratiani iam ſaeculo II. imaginem Chriſti oſtentaſſe e domo Pilati Iudaeae procuratoris ad ſe perlatam. Conſtat porro, cum primum de Chriſti effigie actum eſſet, non vnam de ea fuiſſe opinionem, aliis Chriſtum mortalium pulcherrimum fuiſſe contendentibus, aliis deformem et miſerabilem: neutrum ex veritatis et narrationis fide, ſed iudicio ex vaticiniis de Meſſiae forma et habitu facto, vanaque adeo opinione aſſeuerantium. Ex dictis patet, nec Alexandri aetate aliam exti-

tiſſe

b) *Io. Dallaeus de imaginibus libri IV.* L. B. 1642. praeter ea quae *de credulitate in caussa hac imaginum* idem Dallaeus scripsit; inprimis *Io. Reiskii* memorandae sunt *Exercitationes historicae de imaginibus Iesu Christi, quotquot vulgo circumferuntur.* 1685. De *Iablonskio*, qui post scriptionem meam prodiit, paullo post memorabitur.

tiſſe effigiem, quam ſeu fama ſeu opinione ſeu artificis ingenio adumbratam, eodem more quo Moſis, Abrami, et Orphei imago in eodem larario extabat, et quo more omnino heroum illuſtriumque virorum imagines ab artificibus expreſſae ſunt. Quo modo variatam, tandemque ad certam aliquam in operibus artium receptam et frequentatam formam deuentum fuerit: ad liquidum forte perduci poterit, exploratis narratis et delineatis Chriſtianis antiquitatibus ſculpturae et picturae ex coemeteriis et ſarcophagis apud Aringhium. Spes tamen certior facta eſt ex opere ab illuſtri viro *d'Agincourt* Romae euulgando, qui doctam et aſſiduam multorum annorum operam poſuit in exponenda antiquitate Chriſtianae omninoque vniuerſae hiſtoriae artium per ſaecula ſequiora inde ab artium deflorefcentium temporibus *c*).

Vulgata virorum doctorum opinio imaginum Chriſti, quotquot memorantur, commentum et vſum



*c*) Prodiere posthaec *operis Agincourtii* aliquot fasciculi; sunt quoque *inter picturas* capita Christi: III. Tab. 22. in Musiuis tab. 16. Verum expositionem pleniorem expectamus in ipsa picturae serioris historia. Factum quoque est periculum persequendae historiae effigiei Christi a viro docto et ingenioso *Sickler* in *Almanach aus Rom für Künstler*, 1810. p. 173 sq. Sunt etiam *ibid.* ex antiquis sarcophagis sex capita Christi delineata iuuenilis et virilis aetatis. Fuit autem, si recte iudico, exemplarium diuersitas Graecorum et Romanorum, hoc est Byzantinorum et Italorum; quod etiam numis Byzantinis comparatis apparet; nam falsariorum fraudes, hebraicis quoque litteris inscriptis, ne verbo quidem sunt memorandae; de iis v. *Exercitationes historicas Ioh. Reiske* tabb. p. 183. p. 178 sq.

vſum ſuperſtitioſum Gnoſticis tribuit, quos omnino aiunt auctores fuiſſe moris et inuenti imagines antiquorum heroum, philoſophorum et illuſtrium virorum comminiſcendi, easque cultu religioſo proſequendi promiſcue cum Chriſti et apoſtolorum imaginibus: tanta et infeſta enim virorum doctorum in Gnoſticos fuere ſtudia, vt cupide arriperent et in eorum accuſationes verterent, quicquid vsquam ſuperſtitioſae credulitatis vel fraudis in ſaeculis primis a C. N. narraretur. Habebant quoque viri docti auctoritates quas ſequerentur, Irenaei maxime (adv. haereſes I, 25. 6.) et Epiphanii, quorum ille Gnoſticos narrat *habuiſſe imagines quasdam, alias ex alia materia fabricatas, (dicentes formam Chriſti adumbratam fuiſſe a Pilato) easque propoſuiſſe cum imaginibus philoſophorum, vt Pythagorae, Platonis et Ariſtotelis et aliorum, easque coronare ac colere profanis ritibus.* Epiphanius autem haereſi XXVII, 6. *Carpocratem et eius ſectatores arguit effigies pictas et ex auro, argento aliaue materia fabrefactas habuiſſe, quas pro Pilati opere et Chriſti imagine venditarint et iuxta eum Pythagorae, Platonis, Ariſtotelis pluriumque reuerenter habuerint.* Idem Auguſtinus de Carpocrate tradit ſimulque *fabricatas imagines a Simone mago*, primo hoc haereticorum patre, arceſſit *d*).

*Imaginum* tamen virorum magnorum *cultum* non a Gnoſticis Chriſtianis, ſed verius *a philoſophorum ſcholis* eſſe repetendum arbitror, magiſtrorum ſuorum et ſectarum auctorum principumque philoſophorum memoriam honore proſequentium; quo factum

*d*) V. Reiske p. 151.

factum eſt, vt eorum imagines ſecum haberent, in bibliothecis, cubiculis et ſecretis proponerent, dies eorum natales et emortuales conuentibus et epulis celebrarent. Huic mori acceptas debemus tot imagines, thoraces, capita philoſophorum ex marmore ad noſtra tempora ſeruata, nonnulla etiam ex aere; paucae tamen, et ſerioris aetatis, picturae ad nos peruenerunt. Nec minus hoc ſcholarum ſtudium tantam gemmarum copiam produxit, capitibus philoſophorum ſcalptis, inprimis Socratis, Platonis, Chryſippi et aliorum; idque ſtudium iam ante haec tempora efferbuiſſe, ex locis Ciceronis et Plinii *e*) de Epicuro ſatis conſtat. Haec autem religio facile in religioſi cultus genus abiit aut pro eo haberi potuit, quandoquidem in iſtis epulis et coetibus ante imagines tus accendebant; etſi hoc nondum pro ſupplicatione et adoratione aut honore diuino haberi potuit, niſi forte ex quo tempore animae magnorum virorum pro Geniis ac Daemonibus coli coepere. Iam hunc morem Chriſtianos adoptaſſe quid miremur aut accuſemus? et cum in primis aetatibus Chriſtianorum ſacra et profana promiſcue bona fide ac perſuaſione perinde haberentur, non mirabimur, cum Chriſto Orpheum, Abrahamum, Pythagoram, pari

 loco,

*e*) De Finib. V, 1. *nec tamen Epicuri licet obliuisci, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares sed etiam in poculis et anulis habent.* Plinius H. N. XXXV, 2, 2. §. 5. *Iidem* (de sui temporis hominibus agens) *vultus Epicuri per cubicula gestant ac circumferunt secum* (puta, in anulis) *natali eius vicesima luna* (XX. cuiusque mensis die) *sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas icadas vocant.*

loco, honore et cultu habitos eſſe. Adeo refert plurimum, ad aetatis cuiusque morem ſentiendi et opinandi narrata quaeuis exigere et inde conſtituere.

* * *

Haec cum iam tertio abhinc anno ſcripta eſſent, prodiere interea (quod in hoc litterarum antiquitatis doctae et ſtudii earum ad tabem feſtinantium languore, vix expectaſſem) eruditorum virorum curae de arte et antiquitate, quibus non nulla iam in meliore luce conſtituta vidimus. Praeclare de *Pauli Erneſtii Iablonskii* memoria meritus eſt vir doctiſſimus *Ionas Guilielmus te Water* Opuſculis eius collectis, aliisque, nondum vulgatis, in lucem editis; in quorum To. III. (Lugd. Bat. 1809.) extat Diſſertatio *de origine imaginem Chriſti domini in eccleſia Chriſtiana*, docta et diſerta, et maiore iudicii ſubtilitate ſcripta, quam eiusdem argumenti Exercitatio eſt, quae a *Io. Reiskio* iam a. 1685, erat vulgata *f*). Ex iis, quae a Iablonskio expoſita ſunt, video confirmata eſſe ea, quae in ſuperioribus probabili ratione diſputaueram, Alexandrum Seuerum Imp. ex notitiis ſaeculi ſui opiniones de Chriſto inter claros viros aut heroes referendo hauſiſſe. Video tamen eum aliorum iudicium in hoc ſequi, quod contendit Gnoſticos inprimis auctores harum Chriſti imaginum fuiſſe quandoquidem ipſas religiones Chriſtianas profanis illi admixtis et confuſis contaminaſſe feruntur. Praeter nota Irenaei et Epiphanii loca

(p. 394

*f*) Cf. de Iablonskiana Diss. *Gött. Gel. Anz.* 1810. p. 1087. 88.

(p. 394 ſq.) ex Auguſtino de haereſibus c. 7. verba laudat, in quibus is, cum Carpocratem potiſſimum et Carpocratianos auctores ſuperſtitionis edidiſſet, hoc quoque memorat: *Carpocratis etiam traditur fuiſſe ſocia quaedam, Marcellina, quae colebat imagines Ieſu et Paulli, et Homeri et Pythagorae, adorando incenſumque ponendo.* Me quidem minus procliuem eſſe ad damnandos Gnoſticos vniuerſim, vt nec ceteros omnino, nullo diſcrimine facto, haereticos, ſeu diuerſa de rebus ſacris et religioſis ſentientes, ex iis patet quae ſuperiore commentatione a me expoſita ſunt. A Gnoſticis tamen Alexandro Seuero, qui in Syria primae aetatis inſtitutionem acceperat, mature inſtillatas eſſe ſtatuit vir doctiſſimus variarum ſuperſtitionum notiones et propenſiones in peregrinas et arcanas doctrinas, cumque his amorem imaginum ſtudiumque promiſcuum virorum memorabilium, philoſophorum, iudaeorum et Chriſtianorum cum cultu quoque eorum religioſo. Hanc ſuam ſententiam expolitam diſertius et communitam aliquando videre licebit in commentatione poſt mortem ab eo relicta *de Alexandro Seuero Imp. Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiato*, quae in Vol. IV. Opuſculorum vulgabitur, ex promiſſo viri laudati *te Water* Tom. III. Opuſc. p. 401.

---

Epime-

## EPIMETRVM II.

### *De ſuperſtitionibus aetatis Alexandri Seueri Imp.*

Superſtitiones multas variasque Imperatorum Romanorum temporibus, iam ante Alexandri Seueri tempora, in philoſophiam et Chriſtianorum diſciplinam ſeſe inſinuaſſe, inter viros doctos ſatis conſtat, qui ad haec ſtudia, inprimis hiſtoriae philoſophicae et rerum Chriſtianarum, curas ſuas admouerunt. De his quoque doctrinae ſanioris corruptelis ab iisdem viris doctis abunde eſt diſputatum. Mihi de certo ſuperſtitionum genere agere conſtitutum eſt, quod artium opera inuaſit. Magna ſcilicet eſt in Muſeis copia gemmarum, quae vulgo *Gnoſticae*, *Baſilidianae*, aliisque nominibus appellantur, ductis a ſectis Chriſtianorum, quos haereticos vulgata voce diſignant: vnde fit, vt in libris a) rem antiquariam tradentibus, ſupe-

a) *Basilidianarum gemmarum* nomen iam a *Macario* et *Chiffletio* vsu erat receptum. *Magicas* appellare maluit *Passerius* Tom. II. Gorii gemmar. astriferarum; hunc refellere allaboranit et a Christianis omne hoc opprobrium transferre in ethnicos quos vocant, Dominicus *Schiauo* (in *Dissertazioni dell' Accademia Palermitana* Tom. I. *Magicarum gemmarum* nomen idem praetulit; quod tamen ad partem earum tantum referri recte potest. Basilidem omninoque Christianos ab opprobrio liberat quoque *Beausobre du manicheisme* Tom. II. lib. IV. c. 4. p. 50. omne hoc lapidum genus ad ethnicos referens, et a Solis cultu deriuandum esse contendens; quod de gemmarum parte recte affirmes, at improbes

ſuperiorum aetatum diuerſa ſint hominum docto-rum iudicia aut opiniones de earum gemmarum argumentis, aetate et auctoritate. Diligentiore tamen ſtudio adhibito, apparet male ei opinioni tanquam ſcopulo adhaeſiſſe viros doctos; eſſe potius ad antiquiora tempora, ad religiones philoſophorum, placita et doctrinas redeundum, e quibus iſtae ſuperſtitiones ad Chriſtianos quoque aliquando, et cum iis ipſae quoque gemmae pervenere. Scilicet inde a primoribus aetatibus ex diuerſis Aſiae partibus et ex Aegypto deriuata confluxerat aliqua *philoſophiae miſcellae* eluuies, quae inter Iudaeos quoque, mox et inter Chriſtianos, late ſparſa, nouisque interpretationibus et opinionibus cumulata, ſuperſtitiones eas, quas gnoſticas vulgo appellarunt, peperit. Cum autem recentiores ab antiquitate Chriſtiana ſtudiorum ſuorum exordia duxiſſent: Patrum lectione imbuti, viri docti conſueuerant ex haereticorum, quos vocant, erroribus omnem ſuperſtitionem repetere; Id quod tamen ſecus ſe habere compertum eſt. Iam ante rem Chriſtianam ſuperſtitiones iſtae tenebant populorum animos, partim per philoſophorum opiniones omnis generis, etiam inter vulgus, ſeu inter eos, qui liberaliore inſtitutione vſi erant, diſſe-

bes alterum, quod vnice ille probat, philosophos Graecos formulas et nomina gemmarum figuris Aegyptiis addidisse, inuidiae, ludibrii et contumeliae caussa, odio in Christianos et malitia adductos. Ex quo tamen nostra aetate viri docti res Orientis diligentius peruestigarunt, inprimis Indorum et Persarum, praeeunte d'Anquetil et eius commentatore Kleukero, ad antiquitatem Orientis reditum est.

diſſeminatas; quarum aliae in religiones Chriſtianas fuere illatae, aliae, ab iis adoptatae, et variis modis ornatae, a philoſophis fuere probatae et in Graecorum philoſophorum placita receptae. Eadem ſors et ratio fuit Iudaicarum ſuperſtitionum ab exteris populis petitarum, receptarum, et variis modis confuſarum, mox et in Chriſtianas opiniones immigrantium. Ita eueniſſe exiſtimandum eſt, vt antiquiſſimas Orientis opiniones, per omnem aetatem propagatas, temporum hominumque viciſſitudinibus interpolatas aut commixtas, videamus in philoſophorum ſeriorum ſcholas et Chriſtianorum doctrinas ſeſe inſinuaſſe. Inter ſuperſtitiones has ſunt quoque habendae *magicae;* et cum his quoque *gemmae*, quarum pars aliqua etiam ad magicas ſuperſtitiones et praeſtigias adhibita eſt, a Chriſtianis quoque, nec tamen ab his ſolis. Sane inter ſaeculi tertii maxime ſuperſtitiones memorari ſolent *amuleta*, eorumque frequentior vſus, in quibus praecipue fuere *gemmae ſcalptae.* Cum enim ſeu rerum ignoratione, ſeu certorum philoſophantium hominum fraude eo adductum eſſet ſeu vulgus omnino ſeu certae hominum claſſes ac ſectae, vt res et animas ſupra naturam, quatenus quidem nos eius morem ſollennem aſſequimur, poſitas noſcere, in poteſtatem ſuam redigere, iis pro arbitrio vti et noua mira atque incredibilia perficere ſe poſſe ſeu crederent ſeu iactarent: inualuere ſuperſtitiones, per omnia quidem tempora et inter populos barbaros et politiores paſſim in vſu habitae, vt arcanis modis et artibus fata mutari, bona ac mala arceſſi aut

auerti,

auerti, morbos depelli, corpora corroborari, fortunas et opes cumulari poſſe, multis perſuaſum eſſet. Creuit mala religio deprauatis melioribus ingeniis et diſciplinis, inter dominationis mala; libertate ſentiendi, bonaque hominum inſtitutione ſublata, ſtudiis melioribus neglectis, vi ac metu, fraude et malitia, extinctis. Itaque aut occultis naturae viribus, aut daemonum, geniorum, animorumue ope ignota, multa perfici poſſe, quoniam in votis vt noſſent habitum erat, creditum eſt, et iactatum ab iis, qui eam artem et ſcientiam tenere profitebantur.

Itaque *metallis et lapidibus* certis abditam vim ineſſe aiebant ad ſanandum *corpus humanum* aut incolume praeſtandum validam; quae res ſi forte indoctos ad fidem habendam adducere poſſet, portentoſum tamen erat, ſi aliis perſuaderent, etiam *ad animos humanos* ſimilem aliquam vim in metallis et lapidibus latere, ad amorem, ſtudium, odium mouendum idoneam; porro, quod prorſus incredibile, ad fortunas hominum, conditionem, vota ac metus, vires *radicum*, *herbarum*, *metallorum*, *lapidum*, abditas elici poſſe, et ad ſimiles vſus transferri, idque fieri ſeu certo apparatu, ſeu verborum formulis; tandem ad eam nugacitatem proceſſum eſt, vt etiam ſolis *nominibus* ac *formulis* arcanis *litterarumque ductibus*, barbaris aut commentitiis, eadem prodigia a ſe poſſe peragi plebeculae perſuaderent aut *daemonum* et *animarum* opem clam ſibi ſubuenire iactarent. Cum his fraudibus, antiquioribus iam aetatibus, coniuncta fuit alia *ſuperſtitio aſtrologica*, vt aſtrorum vires in

terrarum

terrarum naturas et prouentus, ignotis viis ac modis, manantes, ad res non modo naturales aut naturae morem aemulantes, verum etiam ad fortunae caſus, hominum voluntates, animorum curas et deſideria, deduci poſſe profiterentur.

Fuiſſe tamen inter eos, qui *gnoſin*, quam *philoſophiam miſcellam* appello, profitebantur, *gnoſticos*, ſi ita dicere placet, hoc eſt viros doctos, philoſophos, eo nomine aut ab aliis inſignitos, aut nomen ſibi ipſos ſumentes, homines qui miros errores ipſi conciperent, dubitari nequit *b*); quo quidem reſpectu Gnoſticis magiam, praeſtigias, et omne genus γοητείας ab aduerſariis adſcribi haud miramur. Nec tamen omnes iſtius generis fuere homines Chriſtiani, nec omnes γόητες fuere Gnoſtici. Ita inter Eſſaeos fuiſſe apparet [ap. Ioſeph. de B. Iud. II, 8, 6. *c*)] *arcanam philoſophiam ſectantes, ad morbos curandos radices et lapidum virtutes exquirentes:* perſuaſione neſcio qua adducti.

*b*) Attigi haec, quae olim disputata sunt ingenti contentione a viris doctis in tradendis iis quae ad litteras *hist. eccles.* pertinent, ex parte quoque *historiae philosoph.* Quae ex iis iudicio recto et aequo probari possint, collecta et digesta sunt a *Moshemio*, a *Walchio* olim nostro, tum a *Starkio*, nuper a *Müntero*, Viro Rev. in docto et elegante libello *Versuch über die kirchl. Alterthümer der Gnostiker.* 1790. 8. Serius tamen animaduertisse me fateor, minus bene me studium hoc antiquitatis exorsum esse ab hoc librorum genere; vt religionum omnino antiquitatis et mythologiae studio obfuit hoc, quod a patrum christianorum lectione illud primum processerat.

*c*) Πρὸς θεραπείαν παθῶν ῥίζαις τε καὶ λίθων ἰδιότητας ἀνερευνῶντες.

adducti. Eiusmodi autem ſuperſtitioſos homines vidit omnis aetas, ſingulos ét plures conſociatos; etiam in aetatibus mythicis Graecorum, in quibus Hecaten et Medeam et alia nomina occurrere quis non meminit! multa paſſim memorata in teletis, nec minus in Oriente, iam in libris Moſis, magiae deteſtationes occurrere! Antiquiores gnoſtici, qui in chriſtianae diſciplinae alumnis habiti ſunt, intra philoſophorum fere Orientis caſtra et intra philoſophiae alicuius orientalis miſcellae vallum ſe continuerunt; ab *Aeonum* commentis progreſſos eos eſſe facile agnoſcere licet; poſtea Aegyptii et Alexandrini ad eadem caſtra tranſiere et de ſuis plurima attulere et cum iisdem miſcuerunt, ſaltem inde a *Baſilidis* aetate, ſaeculo inde a C. N. II. ſub Adriano, cum altera ex parte Chriſtiani philoſophiae iſti miſcellae addicti per Aſiam peregrinantes, viciſſim Graecorum philoſophorum placita ſuis paſſim accommodabant, vt iam de Cerintho ſuſpicari licet, (ſaeculo forte I. exeunte et II. ineunte. Saturninus enim totum ſe intra Orientis opinationes continuiſſe videtur, ei aetate fere aequalis) cum Λογον et Νουν ex Monogene, vno ex Aeonibus progenitum, et Νοῦν Aeonem, Chriſtum a deo miſſum, tradidiſſe memoretur; poſt eum *Carpocrates*, qui Alexandriae ſub Adriano, vixit ſaeculo II. fere medio, etſi Platonica philoſophia inbutus, totus tamen nouis philoſophorum placitis et partibus fuit addictus; ſub numine ſummo Aeonum ordines ét ſucceſſiones, mundum per eos creatum, materiae aeternitatem, mali ex ea originem et durationem, et anima-

animarum ex ea ductam miſeriam, cumque his etiam magiam, ſeu ſcientiam et artem, per animas et genios miras et naturae morem ſuperantes res peragendi, profitendo. Itaque gemmae, gnoſticae dictae, Carpocratianis ſunt attributae, cum imaginum ſtudio et cultu, vt Chriſti, ita et aliorum clarorum virorum, ſeu magnarum animarum, corporum carceribus incluſarum. Eodem fere tempore inde ab Adriano fuit *Valentinianus* ex Aegypto oriundus, in Alexandrinis ſcholis Pythagoreo-Platonicis enutritus, Orientis tamen miſcellae philoſophiae ſtudioſior; Romae vixerat, vnde in inſulam Cypri ſe contulit ibique ſcholam ſeu ſectam condidiſſe fertur *d*).

Gnoſti-

*d*) Loca claſſica sunt (siluam enim litterariam in his notis serere haud placet): de litteris et vocibus declarantibus ordines angelorum et principatus ap. Epiphan. adv. haeres. XXIV. c. 6. 7. (vbi de voc. Abrasax.) ex Irenaeo de Basilidianis et sub Marcosiis XXXIV. c. 4 - 11 et sq. ex Irenaeo: quem vid. c. 23. extr. et c. 24. c. notatis ad e. l. a Io. Grabe. Ad consilium meum maxime facit locus Epiphan. adv. haereses: (haeresis XXVII. c. 6.) vbi Marcellinam dixerat Romam venisse ibique Carpocratis doctrinam vulgasse: *καὶ ἔνθεν γέγονεν ἀρχὴ Γνωστικῶν τῶν καλουμένων· ἔχουσι δὲ εἰκόνας ἐνζωγράφους διὰ χρωμάτων, τινὲς δὲ ἐκ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λοιπῆς ὕλης, ἅτινα ἐκτυπώματα εἶναι φασὶν τοῦ Ἰησοῦ· καὶ ταῦτα ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου γεγενῆσθαι τὰ ἐκτυπώματα τοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ, ὅτε ἐνεδήμει τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει. κρύβδην δὲ τὰς τοιαύτας ἔχουσιν εἰκόνας, ἀλλὰ καὶ φιλοσόφων τινῶν, Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους καὶ λοιπῶν. μεθ' ὧν φιλοσόφων καὶ ἕτερα ἐκτυπώματα τοῦ Ἰησοῦ τιθέασιν, ἱδρύσαντές τε προσκυνοῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια στήσαντες γὰρ ταύτας τὰς εἰκόνας τὰ τῶν ἐθνῶν ἔθη λοιπὸν ποιοῦσι.*

Ex

Gnoſticorum ille partibus accenſus, in doctrina de Aeonibus, poſt alios et cum aliis, multa ſubtilius tradere viſus, diuerſis eorum ordinibus ex perfectioris naturae gradibus conſtitutis XXXIV in quibus et Chriſtus eſt numeratus. Quorum commentorum rationes qui expenderit, facile aſſequetur, ex vſu iſtorum hominum, non modo Valentinianorum, ſed omnino eorum, qui de his philoſophati ſunt, vocem *Aeonum* declaraſſe *ſucceſſiones intelligentiarum*, entium intelligibilium, geniorum, deorum, daemonum, animarum atque virtutum et attributorum, tanquam ſubſtantias, ſeu ſubſiſtentes per ſe naturas bonas ſeu malas, ſub perſonarum habitu, nomine et imagine, figura, repraeſentatas *e*). Eſt quoque manifeſtum permulta ex

Ex aliis, qui de his ineptiis scripsere, nominabo Iablonskium in Miscell. Lipsiens. nouis Vol. VII. P. I. — *Chiffleti* in *Macarium*, *Passerii* Obss. ad *Gorii* Gemmas astriferas, *Marietti* congestae notitiae satis innotuere. Iudicio tamen potius res eget quam multa lectione.

*e*) Αἰὼν, *aetas*, *vita*. Eodem more, quo *βίος* ipsam viuendi rationem, studia et disciplinam, sectamque declarat, (quemadmodum *βίος* philosophorum sectas et doctrinas apud Lucianum,) *αἰὼν* quoque, id, quod per temporis durationem agitur, fit, euenit, declarasse videtur. Aeterni temporis partes et ipsae sunt *Αἰῶνες*; porro res per has partes distributae, tanquam euenta et acta; tum intelligentiae, per quas eae res euenerunt. Cum itaque eae, quae inde a rerum ortu successerunt, vicissitudines per *Αἰῶνας*, ex vsu vocis similis hebraicae seu alterius sermonis Orientis, essent designatae; nouae res creatae, cogitatione tantum conceptae, nouae naturae intelligibiles, ad certa tempora a philosophantibus reuocatae iisque adstrictae; exinde, more

 Orientis

ex his in ſeriorum Platonicorum diſciplinam ſeſe inſinuaſſe, in alium tamen habitum, Pythagoreis placitis conſentaneum, verſa et inflexa; de quibus tamen hic agendi locus haud eſt. Plurimorum omnino phantasmatum philoſophicorum origines et ſtamina ex more ſapientum enuntiandi ſenſa ſua petenda eſſe apparet, ſaltem iis communia fuiſſe. Permulta quoque cum Indorum philoſophematibus conuenire, in confeſſo eſt; hoc eſt. cum animorum viſis et phantasmatibus metaphyſicae ſubtilitatis per hiſtorias, facta et figmenta, expoſitis. Ea conſtitue-

Orientis omninoque priscorum hominum, haec *νοητὰ* in *αἰσθητὰ*, res sensibiles, personas, sunt mutatae; ita *Αἰῶνες* habiti sunt daemones, genii et sic porro. Habemus iam metaphysicam doctrinam Orientis, et, an vera ac certa rerum cognitio ex his prouenerit, hoc saltem exemplo intelligas. Creditum autem est, ante hunc mundum conditum plures mundos fuisse, etsi tantum mente et cogitatione conceptos; nunc sunt *Αἰῶνες* illae intelligentiae, per quas mundi conditi et administrati esse putandi sunt; omnia igitur haec simul sunt animo repraesentanda. Sunt, vt verbo dicam, Aeones vaga, nec satis definita notione, res intelligibiles ab intelligentiis, quae ex aeterna intelligentia et mente prodierant, seu vt dicunt, emanauerant, profectae, cum notione caussae et effectus. Ita ex attributis in personas mutatis, genios, daemones, aeones, effictos videmus. Eodemque modo daemones sunt *γνῶσις, νοῦς, σοφία, ὅρος, ἐνθύμησις*. Notio autem successionis, seu effecti a caussa ducti, reddita est per sexus discrimen, maris et feminae coniunctionem, omnis rerum ortus et effectus sollennem symbolicam adumbrationem. Mutatio autem in personas peperit acta et facta, eorumque narrationes et historias, abstractis istis mente et cogitatione accommodatas.

ſtituerunt, exornarunt, immutarunt ſequentes aetates, populi et homines, pro ſuis ingeniis, vita, moribus, inſtitutis; plerumque ſic, vt non in notionibus ſe verſari, ſed facta, geſtas res et euenta tractare ſibi viderentur, quas commentatione ſua diluerunt et illuſtrarunt; vnde euenit, vt tandem mera figmenta pro metaphyſicis venditarentur. Ita locum habet verſus Prudentii: *vna ſuperſtitio, quamvis non concolor error.* (in Symmach. I, 371.)

---

## Epimetrvm III.

### *De ſuperſtitionum, quae ſub Romanis increbuerunt, originibus ex ſymbolorum vſu.*

Superſtitiones variorum generum, cum nouis religionibus, tanquam agmine facto, ſub reipublicae Romanae libertatisque extinctae imperatorumque priora ſaecula, erupiſſe et prouincias Romanas obſediſſe, in confeſſo eſt. In conſtituendis tamen iuſtis ac veris de toto hoc genere iudiciis non erat ſubſiſtendum in his poſt Chriſtum natum ſaeculis; multo minus in doctrinae Chriſtianae corruptelis tanquam earum fontibus; immo vero aliunde eae et e longinquo, tanquam eluuie facta, in illam irruperunt. Si de cauſſis quaerimus, redeundum eſt ad ſuperiora tempora, donec ad vltimam antiquitatem et ad ipſas rerum generisque humani origines perueneris. Duo ſunt, a quibus tanquam cauſſis omnes illae ſeu religiones ſeu ſuperſtitiones

 profectae

profectae ſunt; primo, praeceps *humanae mentis temeritas* nimis propere et incaute delatae ad ſolvendas quaeſtiones, rerum naturis nondum cognitis et rationis viribus nec maturis ſatis nec firmatis; tum vero *ſermonis humani egeſtas* ad nouas notiones animique cogitata et ſenſa reddenda. Deduxit homines ipſa mentis humanae natura eo, vt ſimilia ſimilibus copularent, ignota per res notas, intelligibilia exprimerent per res ſenſibus perceptas; Ita ea, quae modo animi erant cogitata, habita ſunt pro viſis, et, more aliorum viſorum, induerunt formas, et corpora; ſicque adſciuere ea inprimis formas humanas: quo mature euenit, vt notio et opinio *naturarum naturis humanis ſimilium* exiſteret, et cum eo *dii*, *daemones*, *genii*, *humana ſpecie induti:* qui ipſe fons omnis huius religionis factus eſt, eoque ſimul *mythicarum* rerum ſcaturigo.

Hae duae cauſſae, modo coniunctim modo ſingulatim quaeque per ſe, errores neceſſario peperere ante veritatis cognitionem maturam; et ignoſcendum eſt hominibus antiquioribus, ſeu per familias et tribus, ſeu per coetus et agmina collectis, ſi aut vera accepta mox erroribus contaminarunt, aut ab erroribus et ſuperſtitionibus prima cognitionis elementa duxerunt. Inopia quidem ſermonis, et rationis idoneae, ſonos vocis accommodandi notionibus mentis, homines coegit multa per qualemcunque ſimilitudinem, inde per rerum adumbrationes, figuras, ſymbola, declarare. Adſueti ii huic mori et vſui loquendi aut loquelam ſupplendi, induerunt habitum conſociandi notionum ſimi-

ſimilitudines et *ſigna*, tum etiam *ſignorum naturas* cum iis cogitationibus; quo ipſo procliuitas orta ad rerum naturas et proprietates confundendas cum ſymbolis; et hinc via patefacta eſt ad credendum abditas rerum naturas, per ſymbola declaratas, easque attribuendas ſignis, quibus ad notiones deſignandas vſi erant et vtebantur. Progreſſum eſt in iis, quae ſenſus ferirent, ſimili modo, aliis ad alia referendis: eaque prima fuere logices elementa; hoc eſt phantaſiae luſus et errores. Iam ſi adiunxeris alterum, quod dixi, homines proceſſiſſe a quaeſtionibus ſubtilibus de rerum origine, primaque cauſſa, et rerum diſpoſitione in hoc mundo, et in humano genere per terras tam iniquis conditionibus vtente; antequam ii naturae rerumque cognitionem ſatis locupletem et idoneam habuere; ſi haec ante oculos ponimus, non tam quaerere lubebit, vnde errores humani generis orti ſint, et cur necdum ex iis longe maior generis humani portio ſe exſoluerit, quam potius mirabile videbitur, factum tamen eſſe, vt, nonnulla ſaltem, veriora per genus humanum ſparſa ſint. Porro reputandum eſt, easdem res, ſymbolice acceptas, traditas deinceps fuiſſe aliis, idque eodem modo per figuras, res ſenſiles, per ſymbola ac ſimilia, manaſſe quoque notitias ad vulgas: quam latum campum patere videmus ferendorum errorum, ſuperſtitionum, ineptiarum! Ex his tamen argumentati ſunt alii, transtulere audita ad alia iis ſimilia et diſſimilia; ita figurae ſymbolicae excrevere in numerum; hieroglypha fuere ſubtilius conſtituta: quo facto ne intelligi quidem illa

potuere niſi adſtante inuentore et auctore; ignotis ſenſum probabilem pro lubitu ſubiecere alii, cum interpres idoneus deeſſet: quam innumeros errores, mox fraudes, propullulaſſe credas! Serius ita, ex ignoratione quoque creditum eſt ſymbolis et hieroglyphis non modo ſenſum occultum, ſed et vim aliquam arcanam ineſſe; quo animaduerſo ſupervenere praeſtigiatores, nouum genus interpretum, qui et verbis ſcriptis vel pronuntiatis, numinum, daemonum, litterarum quoque ductibus obſcuris, etiam commentitiis, parem vim occultam tribuerent; aut etiam noua monſtra, et portenta figurarum et imaginum, excogitata, vel iam nota, ad ſimilem fraudem adhibuere.

Omnino philoſophia Orientis proceſſerat *a quaeſtione de origine mali*, et per eam praecipitata eſt ad alteram *de origine mundi*, et adducta ad mirum illud *ſtudium condendarum coſmogoniarum*, quo tanquam contagione correpta fuerunt ingenia primorum philoſophantium, etiam inter Graecos. Cum primam aliquam omnium rerum cauſſam fuiſſe credendum ſit: *numen*, quocunque nomine appellandum, idque *bonum eſſe* neceſſe ſit; vnde tandem fieri potuit, vt mundus malis omnis generis, phyſicis et ethicis, laboret? cum tamen bonam cauſſam bona effecturam eſſe conſentaneum ſit. Ex quo itaque intelligentia hominum percipere res et de iis iudicare coepit, quaeſtionem agitauere prudentiores, quomodo hoc in naturam Boni cadat, vt Malum producat? voluntate et conſilio factum eſſe nequit, hoc naturae et notioni Boni repugnat: ergo fuit alia cauſſa mala, vnane cum meliore illa

illa exiſtens? et vnde orta? ei ne par? an maior? Deuenere mentes hominum in varias opiniones, et ita ſtatim in errores diſceſſerunt et phantaſiae commenta. Ab aliis creditum eſt, duo ſtatim ab initio principia extitiſſe, cum bono alterum malum; ab aliis, materiam extitiſſe per ſe, eamque eſſe mali cauſſam, neque eam a numine potuiſſe, nec adhuc poſſe, tolli ac ſuperari. Deducti ſunt acutiores ad varia ſubtiliter excogitata, vt haec aut componerent aut conciliarent inter ſe, aut cauſſas probabiles eius, quod aſſequi non poterant, redderent. Commenti ſunt eas, quas vulgo *emanationes* appellant, intelligentias ex aeterna intelligentia progreſſas, quae iterum alias procrearunt ex ſe; cauſſas, vires et facultates, effectrices aliarum, donec aliquando ad *mundum* hunc *ſenſibilem* peruentum eſt. Phantaſiae figmento, inductae ſunt intelligentiae forma viſibili, indita cum mente voluntas, actio. Peracta haec ſunt, more quem dixi, cum verba propria iis commentis nulla haberentur, per comparata, ſymbola, hoc eſt allegorice et aenigmatice. Omnem fere Indorum mythologiam, ſi excuſſeris, patet, a metaphyſicis doctrinis progreſſam his ſymbolicis viſis ac formis eſſe conſtitutam, ſi v. c. ea perlegeris *a*), quae nouiſſime a nobiliſſima femina *de Polier* in lucem edita ſunt. Haec viſa ſeu phantasmata varia a ſenſibus et rebus ſenſilibus ducta, ab aliis tanquam vere facta, acta ac geſta, ſunt accepta; inde generationes, ordines, diſſidia, praelia, motus, turbae intelligentiarum,



*a*) Sub nomine *Mythologie des Indous:* cf. Gött. Gel. Anz. 1810. 105. et 116. Stück.

tiarum, ſeu abſtractorum, nunc corpore et ſpecie obductarum; aut ipſa corpora caeleſtia et elementa tenuiora, vt ignis et aer, in eorum locum ſucceſſere Sic aſſumta notio lucis et caliginis, chaos et demiurgus; ab aliis ſymbolum ignis; ab aliis aſtra, inde alia naturae elementa, ex iisque profecti rerum ortus et prouentus; ab aliis poteſtates (δυναμεις) inferiores, variorum quoque ordinum, ſeu ſuperiori cauſſae, numini ſummo, obnoxiae, ſeu repugnantes, daemones, genii, angeli, ſpiritus, animae, naturis diuerſis, miniſtri, quibus rerum creandarum cura et poteſtas eſſet permiſſa, vel propria vi et auctoritate materiam verſantes et fingentes, malorum auctores ac promotrices ſeu fautrices, vnde varia iis nomina impoſita. Eoque modo philoſophantium diſſidia et religionum diuortia ſunt orta.

Talia fuiſſe philoſophiae Orientis incunabula, ab vna cauſſa ducentis omnia, vnumque numen, aut duo ſaltem, alterum bonum, alterum malum, pro explorato habemus. Facile eſt ad perſpiciendum, manaſſe ex his fontibus doctrinam Zoroaſtream, et creationes ac transformationes deorum ab Indis conſecratas, et Sabaismum doctrinamque Babyloniorum, ſeu aſtrologiam Chaldaeorum; dummodo animo haud dimittas, quod pro certo et explorato habeo, "mature iſtas doctrinas inter ſe fuiſſe commixtas et confuſas;" qua obſeruatione multae difficultates tolli poſſunt. In hoc autem, notabili diſcrimine, recedit Hebraica doctrina ab omni vetere ſapientia, quod ſimplicitate mira ſe commendat, etiam in hoc, quod, dum in Indorum

rum et Perſarum philoſophicis commentis a ſummo deo per inferiores ordines deorum generatos ſeu creatos, tum per daemones ad inferiores naturas tandemque ad ortos ex iis homines, cosmogonia ducitur, contra in Hebraica philoſophia, nulla intercedente alia generatione, a deo homo creatur. Ceterum haec aliter conſtituta eſſe a Graecis, haud mirabimur; cum illi ab aliis principiis ſuas religiones duxiſſent; vt paullo poſt opportunius monebitur.

Alium poſt Indos, Magos et Chaldaeos habitum induerunt philoſophica et religioſa commenta in Aſia citeriore inter *Aſſyrios*, *Syros et Phoenices;* quos quidem ſubtiliora nonnulla de rerum originibus antiquitus docuiſſe ex iis conſtat, quae ſub Sanchuniathonis nomine ad nos perlata ſunt. Enimuero mature vulgus ad pinguiores errores proceſſerat cum ceteris populis finitimis, etiam cognatis: cum vbique idola ſeu ſimulacra deorum effiđa et in templis poſita memorata videamus: variantibus numinibus et figuris, humana tamen ſpecie adumbrata. Ad *Naturam* mentes hominum fuere conuerſae genetricem omnium rerum, cum notione generationis et fecunditatis, eiusque cauſſa et auđore ſeu progenitore: ita ad vtrumque ſexum, marem et feminam, connubium et amores, nouum prorſus ſymbolorum ordinem deduđum videmus. *Naturam deam* haud vno habitu et ornatu procedentem multis variisque nominibus denominatam, modo *Deam caeleſtem*, modo *Terram*, *Magnam deum matrem*, *Cybelen*, Graecis autem nominibus *Veneris*, *Iunonis*, *Rheae*, *Artemidis*, *Bellonae*, a Syris *per*

*Aſtharam*,

*Aſtharam, Atargatin, Aſtarten, Derceto*, ſerius *deam Syriam*, deſignatam. Altera ex parte virilis generationis cauſſa plerumque *Sol* habetur. Vnde et ipſa natura comparata eſt cum *Luna;* fecunditatis cauſſa et ipſa habita propter rorulentum noctis tempus. Ab his progreſſae religiones propius admotae ſunt iis, cum quibus poſtea tantum non coaluere: primum permixtis Phrygiis ſacris, tum Thraciis, quae coniunctim inuaſere Pelasgicas religiones, ab alia indole profectas; Pelasgi enim colebant numina familiarum, quae primitus ſtipites fuerant, a ſtirpis auctore numinis loco habiti vel trunci ſaxaue religioſe coli ſolita, et maiorum, ex ordine, ſuperſtitione ſibi tradita: ita vt pro Lare ſuo, vel Penatium, ſeu dei tutelaris loco, rem inanimem et informem vnaquaeque familia haberet. Paullo poſt, cultu vitae meliore, ea in ſpeciem humanam eſt verſa, quam Hellenes proprio aliquo pulchritudinis ſenſu et affectu permoti ad pulchritudinem abſolutam elaborarunt. Sic apertus eſt nouus religionum, caerimoniarum et opinionum ſeu commentorum campus, finibus per Aſiam vsque ad mare, et in Graeciam propagatis; inferentibus quoque ſe aliis ex Chaldaicis, Magicisque doctrinis, vna cum domeſticis Perſarum nonnullis ritibus, cum hi a Medis Zoroaſtrea accepta frequentare coepiſſent: verum de his iam alio loco eſt diſputatum *b*). Tenemus iam religionum genera diverſa origine orta, quae non vno modo plus minusue coaluerunt, Indorum, Magorum, Babyloniorum,

*b*) Commentatione de dea Comana Tom. XVI. Commentation. Soc. R. Sc. Gotting.

niorum, Aſſyriorum, Syrorum, Aegyptiorum. Iam meminerimus altera ex parte, antiquiſſimorum hominum, etſi ad ſpeciem multum variata, placita fuiſſe perpauca numero, eaque verſata eſſe ſiue circa rerum originem omnino et cosmogoniam, cumque ea ad theogoniam, ſiue circa naturam rerum, quae ex terra naſcuntur, coeli ſolique, ſeu atmoſphaerae, (ad quam ſolis, lunae ſiderumque propitius conſenſus refertur,) attemperata natura: altera ex parte non niſi ſymbolice haec, nec verbis propriis, fuiſſe declarata; cogitandum tandem, vnam eandemque mentis perceptionem ab aliis alia ratione inuentoque ſymbolo fuiſſe rèdditam; adeoque magnum ſymbolorum numerum ad paucitatem notionum miram retexi poſſe; Ita terrae fecunditatem, ſolis eam efficientis reſpectus, ſubnata ſemel generationis comparatione, incredibili varietate eſſe enuntiatam. Itaque, in magna notionum egeſtate, ſymbolorum, ex ſimilitudine et cognatione ſeu rerum comparatarum ſeu verborum vſibus variis, frequentatorum, orta eſt ingens copia, et perplexa, eorum obſcurato ſenſu, complexio: etiam tum cum primitus ſimpliciſſima ipſa res eſſet. Deliteſcebant tamen in ea iam tum ſemina occulta futurarum aetatum interpretationis, tam diuerſa numina ad vnum idemque numen Solis, Iouis, Apollinis, et ſic porro (v. c. apud Macrobium et Apuleium lib. XI.) reuocantium, et ad *pantheorum* ſigna, *pantheiſmum*que, quem dicimus, nos deducentium.

Inter *ſuperſtitiones* antiquiſſimas fuerunt *aſtrologicae*, a Babyloniis et Chaldaeis maxime frequentatae:

tatae: a vicibus motus, anni tempeſtatibus, fertilitate terrae inde ducta, et corporum affectionibus ex coeli ſalubritate vel intemperie profi..iſcentibus, ad res futuras ex motibus et apparentiis praedicendas progreſſis, mox, themate natalitio conſtituto, ad artem apotelesmaticam aberrantibus. *Chaldaeorum* nomen hisce de rebus frequentatur, cum *Babyloniorum* propria haec ſeu religio ſeu philoſophia habenda et dicenda ſit. Chaldaei enim fuere barbari, qui, ex montium Armeniae iugis deſcenſu facto regiones campeſtres occupauerant. Babylone occupata, Babylonios, Aſſyria origine, meliore vitae cultu vtentes, in ditione habuerunt, nominis tamen celebritate iſtos obſcurarunt. Solent itaque vulgo Chaldaeorum ſuperſtitiones aſtrologicae memorari. Mature quidem illae cum aliis ſuperſtitionibus, praecipue Zoroaſtreis, fuere confuſae, daemonumque et aſtrorum communia coeperunt haberi munia; adiunctis quoque ſuperſtitionibus *Aegyptiorum*, apud quos aſtrologiam antiquiſſimis iam temporibus frequentatam eſſe docet Herodotus lib. II, 82. Reuixitque ea ſub Ptolemaeis, et, cum ceteris ſuperſtitionibus copulata, ſub Imperatoribus Romanis, praeſertim ſub Antoninis, effloruit, quod tot Aegyptiaci numi aſtris et zodiaco inſigniti (apud Zoegam) et imperatorum numi, tum gemmae teſtantur. Multa ex hac ſuperſtitione Aegyptiaca ſeruauit *Iulius Firmicus* in VIII libris *matheſeos* et in libro ſerius ſcripto *de errore profanarum religionum;* multa latent in his libris facem myſticis quoque ſtudiis miniſtrantia. Indignamur tamen eum tam parum explorate antiqua, recentiora,

tiora, vera falſa, commiſcuiſſe. Mature cum aſtris obſeruandis error animos tenuit, non modo ſolis et lunae, ſed et ceterorum aſtrorum et planetarum eſſe vim ad metalla quoque et lapides, mox etiam ad ea, quae arte inde facta eſſent. Inſeruiiſſe videntur aſtrologeorum vſibus *metalla* et *lapides*, vt vim aſtrologicam mutuare crederentur, vt equidem mihi perſuadeo, quia iisdem inſcribebantur notationes ſiderum et ſigna zodiaci; paullo poſt ad ipſam materiam transferri coepit fides ac religio, quae eas notationes et figuras, tanquam diuinas et effectrices euentorum, ſtupide venerabatur *c*). Tenuit locum ſuum aſtrologica ſuperſtitio, meliore quoque aſtronomia in ſcientiarum numerum accepta, latiusque eſt peruagata omnes terras Orientis et Aegyptum, inde Graeciam et Italiam; et adhuc fidem rei faciunt tot inuenta monumenta variorum generum, laminae quidem aereae pauciores, eaeque Perſarum; lapides autem ac gemmae magno numero; quodque inprimis humanae menti funeſtum fuit, tranſiit et ars et cum ea prauae opiniones in vitam humanam publicam et priuatam. Fuit in his fatum fatique neceſſitas ex aſtro natalitio ſeu genitali conſtituta. Petierant alii ex Zoroaſtrica diſciplina et in vitam induxerunt commentum daemonum et geniorum, praecipue in Italiam; ducta inde vulgata opinio eſt de Genio, perplexa multis modis cum aliis ſuperſtitionibus; vt

*c*) Elementa doctrinae huius breuiter et docte expoſita vide a *Barthelemio* in Diss. *de numis Antonini nonnullis in Aegypto excuſis* in Vol. XLI. *Memoires de l'Acad. des Inscript.* p. 509. 510. 513.

vt cuique homini ſuus adeſſet Genius, naſcens cum ipſo, eiusque vitam et fata aut regens aut communia haberet; eoque mortuo in aſtra migraret, quod ab aliis de ipſis animabus pronuntiatum eſt, aut creditum, animas in coelum euectas aut inter deos receptas eſſe: dum vulgo Manes vagari poſt mortem, placari, in Orcum aut in infera deduci opinabantur; et quae alia huius generis ſunt, quae etiam in myſteria immigrarunt.

*Laminae* extant inſignitae ſole, luna et aſtris; aliis rebus religioſis fere, aut e vita populorum petitis, appoſitis; quarum tamen aetatem nihil habemus quod conſtituat; commune enim eſt omnibus his ſuperſtitionibus, earumque monumentis, vt antiquitatem habeant incertam. Quid? quod ne quidem de omnibus affirmare licet, ſigna ſculpta ad religiones arcanas ſpectaſſe; poſſunt vſibus et ornatibus inſeruiiſſe. Gemmae autem ſculptae diuerſorum temporum et hominum ſunt habendae; agnoſcas veſtigia Aegyptiae ſuperſtitionis et Alexandrinae, tum Perſicae, ſunt multae religionum mixtarum, Orientis et Graeciae; ſunt in iis, quas Etruſcas vulgo vocant, Aegyptus et Graecia confuſa; ſunt tandem gemmae agyrtarum et impoſtorum manifeſta ſigna praebentes vocabulis ignotis, barbaris, iudaicis, chriſtianis, graecis: his accenſentur eae, quas a Gnoſticis, Valentinianis aliisque huius cenſus repetendas eſſe vulgo perſuaſum habetur; nec negare licet multos lapides et alia monumenta ad Gnoſticos probabiliter referri; etſi vix pronuntiari poſſit de ſectae nomine, ſintne Baſilidianorum, Valentinianorum, an Marcio-

Marcionis, Priſcilliani, et ſic porro. Nec omnes vniuerſim gemmae aſtriferae ad id genus ſunt referendae. Extat vtique genus gemmarum Graecarum elegantiae et artis doctae, mythos aut res Graecas exhibentium, in quibus ſtella appoſita ad horoſcopum ſpectare videtur, in aliis ſignum zodiaci appoſitum; nobiliſſima ex hoc genere eſt gemma Auguſti cum horoſcopo capricorni.

Iam etſi vere dictum ſit, mentem et rationem humanam inter vulgus pauca habere, nec niſi ſenſu communi rerumque experientia, percepta et cognita, contra figmenta et opinata eſſe innumera: ſi tamen accuratius intuearis, non tantam eſſe opinatorum varietatem perſpicies, quin et inter errores et ſuperſtitiones communia et cognata, antegreſſa et conſequuta, origines et propagationes ſimiles, nexus inter ſe arctiores et laxiores, animadvertas: ita vt etiam opinionum commenta ad genera ſua, ſtirpes et ordines aut claſſes, reuocari poſſint. Hocque idem in religionibus, ſeu philoſophia et metaphyſica orientis, locum habet, ſi retexueris et discreueris ab antiquioribus ſimplicibus compoſita, addita ſerius, contexta, intexta, copulata, variata, adiuncta, ademta. Ita, cum ab aſtrologicis rationibus proceſſiſſent alii, Chaldaei vulgo habiti, alii a Zoroaſtrea doctrina de daemonibus, geniis, animabus admixta, alii ab intelligentiis, ſubtiliore aliqua metaphyſica: adſumta eſt, praeter diuerſos earum ordines, ad facta et acta deorum hiſtorico more diſponenda, etiam temporum notio et per ea diſtributio; hinc quoque etiamnum ab Indis ex aſtrorum motu multa ſunt adſumta.

adſumta. Ad conſilium noſtrum ſpectant ea, quae nos ad ſuperſtitiones magicas deducent.

Quae ſit notio Aeonum, ipſiusque vocis origo, iam ſuperius attigi (p. 227.). Scilicet, quo modo ea, quae exiſtunt, a numine aeterno procreata ſint, mentes et ingenia humana mirum in modum tenuit; fuere igitur inter philoſophantium antiquiores, qui, non vno iactu, ſed interuallis et progreſſibus quibusdam, a diuina vsque ad humanam naturam, emanaſſe, (quo verbo vti vulgo ſolent viri docti) ex ſummo deo alios deos, minores poteſtates, alios ex aliis daemones ſeu genios, et ex his ſeu ab his tandem prodiiſſe homines: ita natura humana, propiore aliquo commercio daemones attingere videri potuit; Sed hos progreſſus magnis temporum interuallis eſſe factos; fuiſſe ergo periodos temporum, per quas daemones, ſecundum claſſes et ordines, diſtribuerunt, pari modo atque is, quo viuimus, mundus tempora ſua computat: ſunt ea interualla, periodi, aetates, per nomen *αἰῶνος* deſignata. Cum itaque tempus aeternum ante rerum originem, et poſt mundum viſibilem, diſtribuere placuiſſet per *Aeones*, ſeu certas aetates mente ſeu phantaſia conceptas et definitas, per quas illa cogitata et opinata, intelligibilia, ſeu intelligentiae, in res et facta verſa, diſtribuerentur: fores apertae ſunt infinitis, adſumtis quoque et permixtis aſtrologicis, commentis: ex quibus duxere multa Orphici et Platonici cum teletis et myſticis. Deriuatae quoque inde ſunt ſuperſtitiones in gemmis et in ſignis Mithriacis obuiae; vt altera ex parte inter Perſas et Indos philoſo-

phemata

phemata et phantasmata geniorum et heroum, poetarum quoque inigeniis nobilitata *d*). Quo vero latius et per diuerſa tempora et ingenia et ſectas fuere ea cum ſigillatim, tum iunctim propagata in citeriorem Aſiam: eo magis ea implicita et corrupta philoſophandi ratio increuit per iſtas intelligentias variis modis acceptas, perque doctrinas metaphyſicas philoſophantium ex Chaldaeis Perſis, Indis, Iudaeis, Aegyptiis, Syris, Phoenicibus (vt e Sanchuniathonis interpolato ex ſerioribus fragmento perſpectum eſt), de natura diuina, rerum origine, materia aeterna, mundo, rebus diuinis et humanis; quae ſerius ad Chriſtianos quoque deducta et eorum doctrinae accommodata, ſectas illas, quas per haereſes declarare ſolent, produxere. Ita credere licet, melius fuiſſe, ſi omnes has diſputationes et controuerſias in hiſtoriam philoſophiae potius reiicere quam in Chriſtianae religionis hiſtoriam intexere, et tot aliena ab ea de Gnoſticis immiſcere, placuiſſet.

Nouiſſimo loco commemoranda eſt corruptela promiſcue illata religionibus Graecorum et Romanorum per peregrina ſacra, ritus, notiones philoſophicas et ſuperſtitioſas ex Oriente illatas, accedente ſtudio comparandi ea inter ſe et, interpretatione indocta et commentitia, confundendi. Poſſunt haud dubie, recte quoque, multa mythica Graecorum et Romanorum comparari cum barbarorum ſuperſtitionibus; non tamen omnia ex eodem fonte aut fluxere aut eodem modo et ſenſu aut opinione

Q 2 fuere

*d*) Vberius de his cum alii tum *Richardſon Dissertations on the Eastern nations* chapt 3. Sect. 3. p. 175.

fuere accepta, etſi ſimilia. Ex hoc genere ſunt praecipue, quae de Crono et Saturno, de Veſta, Iunone, Venere, Mercurio, aliiſque, mythice traduntur, quae vt perſequar ſigillatim, haud eſt huius operae, in qua verſor. Omnia haec ex vno fonte ducta eſſe ſi pronuntiamus, poteſt hoc recte pronuntiatum eſſe, ſi ab vna notione naturae rerum et generatarum et perpetuatarum declarandae duxeris, quam variis modis mens humana ſuſcepit, finxit et ſermone reddidit ſymbolico antiquioribus ſollenni; at vero iſta notio non vni homini aut vni populo fuit propria et peculiaris; caſus mox et rerum vices aut nexus ita tulere, vt ſimilia inter ſe diuerſorum hominum et populorum occurrerent et concurrerent, facile inter ſe copulanda. Eueniſſe hoc videtur praecipue in *Orphicis* et in theogoniis Graecorum et barbarorum, ſimilibus inter ſe comparatis, vt ſunt Chaos, Nox, Cronos, Phanes, Protogonus, Rhea, Natura, Mater deorum, et ſic porro: de quibus Hymni videndi ſunt: conſentiunt alia, Aegyptiis ſollennia; quae, antiquiores etiam, ex Aegyptiis religionibus in Graeciam intuliſſe traduntur: vt de Oſiride, Iſide, Horo, nominibus, non ipſa re, diuerſa. Serius acceſſere alia ex Oriente, maxime in Mithriacis *e*), ſed ex antiquis temporibus ad ſeriores aetates deducta. Infinitis itaque modis miſcellae ſuperſtitiones ſubortae ſunt; maxime Alexandrinis et Platonicis placitis accedentibus; e quibus et per omnes

*e*) Locus de his classicus est fragmentum Damascii ap. Photium, seorsum editum et illustratum a Io. Wolfio.

omnes inde aetates alia ab aliis ſunt probata et vſurpata, in Oriente vsque ad Arabes, in chemicis et aſtrologicis. Vulgata quoque haec ſunt inter ſcriptores omnis generis, Chriſtianos et profanos, praeſertim in Nonni Dionyſiacis, antiquiorum et recentiorum cinno et farragine, etſi diuerſis et variatis modis et nominibus, vt vix tandem aſſequi liceat, vnde hoc vel illud, quod occurrat, aſſumtum ſit: vt v. c. de Demogorgone, ſeriore figmento vidimus *f*).

*f*) Sup. Vol. III. p. 296 sqq.

---

## Epimetrvm IV.

### *De religionibus et ſuperſtitionibus miſcellis per figuras ſymbolicas effictis, inprimis in gemmis ſcalptis a*).

Quisquis animum ad haec, quae ſuperiore commentatione expoſita ſunt, aduerterit, confeſtim intelligit, ſymbolorum naturam res non ipſas, ſed a ſimilitudine aliqua ab alia re ducta, declarantium, eſſe debere incertam, ambiguam, et paſſim obſcuram nec enarrabilem, vt interdum relinquenda



*a*) Prima huius iudicii elementa propoſueram in Prolusione *de Demogorgone* 1786. Opusc. Vol. III. p. 291 sq. Add. *Commentatio de sermone mythico seu symbolico* a. 1807. in Commentationibus Soc. R. Sc. Gott. Vol. XVI. p. 285. Restat commentatio *de circumscribendo symbolorum vsu praesertim in doctrinis philosophicis*, quam iis, quorum res agitur, absoluendam relinquo.

quenda ſint ſymbola, quae nec intelligere et interpretari poſſis, quoniam ſimilitudo inter duas res aut non perſpecta eſt, aut varia eſt et fluctuans. Neque itaque ſymbolica, ſeu allegorica et mythica ratio eloquendi aut pingendi et ſculpendi, idonea ſatis habenda erit philoſophicis ſubtilitatibus. Ferendum quoque et fatendum eſt, in mythis antiquorum hominum plurima eſſe quae nunc non ſatis conſtitui poſſint, ſiue a poetis ſiue ab artificibus expreſſa ſint; nosque adeo labare in interpretatione haud erubeſcendum eſſe. Porro vix quicquam dixeris apertius eſſe ac certius, quam, e ſequioribus non eſſe conſtituenda antiquiora, niſi comparata inter ſe ſint ad elicienda ea quae ſint e vita, aeuo, ſenſu et ſimplicitate antiquiorum hominum et temporum; a noſtro forte cogitandi more diuerſa et aliena; etſi bene eadem conuenire poſſunt vſui temporum et hominum ſeriorum aut etiam noſtro: vt interdum haud vna tantum interpretatio recte locum teneat: alia e noſtro ſenſu, alia ex Platonicorum aut ſeriorum acceptione vocum et rerum, alia ex aliorum more et vſu; vt tamen priſcarum aetatum notio per ſymbolum expreſſa vel ſic nos fugiat. Videas tamen eam rationem plerumque eſſe ſeu ſpretam ſeu neglectam a viris doctis, inprimis in philoſophicis et religioſis opinionibus. Cum notiones non ſatis explicitae inſiderent animis primorum philoſophantium, ſeu in rerum naturas et cauſſas inquirentium, ſaltem in eo occupatis, vt ſenſa ſua communicarent aliis, vocum idonearum inopia eos premeret: per ſimilia, ſymbolice et allegorice,

quae ſentirent, reddere vſu et experientia conſueverant. Eodem ſubſidio ſymbolicae dictionis vſi ſunt primi philoſophantium in tradendis iudiciis ſuis ſeu opinionibus ſeu ſermone ſeu ſcriptione. Non enim recte ſtatui arbitror, quaeſitas eſſe ſymbolicas, allegoricas, hieroglyphicas, aenigmaticas, cogitata reddendi et exprimendi, rationes miro aliquo *ſtudio occultandi* et alios celandi ea quae alios docere vellent: id quod ſerius forte accidere potuit ſeu metu ſeu inuidentia ſeu vanitate, aut ad poeticum oeſtrum aberrantium, aut etiam fanatico impetu abreptorum philoſophorum. Enimuero ſapientes illi, in tirocinio philoſophiae quaſi verſantes, verborum copia deſtituti, captando rerum iam notarum ſimilitudines, intelligibiles res per ſenſibilia enuntiarunt; etſi mox accedere potuit voluptas ex ambiguitate et obſcuritate ſublata profecta. At ex ſymbolica loquendi et docendi ratione orta eſt moleſta res, quod inter antiquiores ſymbolorum vſu et more videmus mentes abreptas modo ad contemplationes myſticas et fanaticas interiore aliquo ſenſu, modo ad proferendum doctrinas et praecepta concitatiore motu et impetu animi, qui oeſtro prophetico ſimilior ac propior habendus eſſet, ita vt ea, quae per ſymbolica effata acceperant, phantaſia viuidiore arrepta, tanquam vaticinia et oracula proferrent, ſibique etiam, et aliis, a numine afflati conſilia et monita dare viderentur; quae omnia ſubtiliori et accuratiori veritatis cognitioni et perceptioni plurimum obfuiſſe apparet. Nec magis recte primos illos ſapientes putatum eſt ſtatim ſcholas habuiſſe et

 magiſte-

magiſterium exercuiſſe, aut continuo ad ſyſtema aliquod doctrinae condendum prouolaſſe, vt nos vulgo ſolemus; forte illi vix, nec niſi ſero, ad plures opiniones inter ſe coniungendas et comparandas proceſſerunt; ſed a ſingulis, contemplantibus res et euenta vel caſus, ſingula iudicia communicata ſunt familiaribus, ab his vulgata inter gentiles, tribules et populares; donec, pluribus iudiciis inter ſe copulatis requireret res auditionem intentiorem; ita nomen magiſtri ſubnatum; mox affectatum; pluribusque magiſtris ſe deinceps excipientibus, exorti ſunt certi ordines, claſſes aut tribus, et dehinc ſectae, ſi diuerſae opinationes incidiſſent. Hoc modo Chaldaeos et Magos et Brachmanes prodiiſſe crediderim; vt philoſophi ad leges ſcribendas ciuitatibus arceſſerentur, ſerius factum eſſe, putabimus: multo magis in Oriente, quando ne nunc quidem, quod admodum ſaepe mirationem mihi fecit, philoſophiae aliqua ratio habita eſt in condendis imperiis et ſcribendis legibus: etiamſi Magos et Brachmanes in regum quoque contubernio habitos eſſe haud ignorem; at anterioribus aetatibus philoſophi adſtupentes quidem habuere multos, at paucos ſibi aſſidentes; etſi auctoritatem non modo doctrinae, verum etiam diuinioris naturae, conſequuti erant, et facile conſequi potuere. Fuere haec, et ſunt adhuc, communia populorum barbarorum, vt ingenioſiorum ſeu prudentiorum, praecipue ſenum. iudicia et conſilia ac monitus, vel opinionum phantaſia conceptarum ludibria, viſa et fraudes, facile admittant, quid? quod eos homines quoque in daemonum commercio

mercio verſari credunt; ita vt ii facile inter ceteros auctoritatem principatumque adipiſcantur; ipſis quoque principibus ac regibus reuerentiam et metum iniiciant. Porro et illud commune eſt, ex iisdem hominibus alios deflectere ſtudia ad diuinationes, praeſtigias et artes magicas. Communia haec fuiſſe philoſophantium in Oriente, obſeruatum eſt a veteribus: v. Strabo XVI. p. 762. et lib. I. p. 23. Diodor. II, 29. Scilicet iis, qui in his diſputationibus verſantur, ante omnia eſt exuenda vita, in qua ipſi degunt, et referenda eſt mens ad eorum hominum et temporum conditionem, morem et habitum, quorum opiniones ſunt enucleandae, alioqui fruſtra laborant de toto hoc rerum genere.

Secundum ea, quae modo expoſita ſunt, iſta phantasmata (quo nomine appellare placet opiniones ſymbolice aux allegorice expreſſas, quae abſtracta erant in perſonas mutata, mox pro diis aut geniis aut aliis habita, naturis,) variis fuere inſtructa modis, formis, viribus et fatis, ex quo ſemel coeptum erat, ea, quae iis tribuerant, vires et effecta, tanquam res vere actas et geſtas enarrare, et opinata in hiſtorias mutare. Ita tradita pro veris factis habuere ſectatores, vt Indorum philoſophia, quae adhuc in noſtris libris circumfertur, ſatis docet, ex ſimilibus doctrinis, in narrationes verſis, coagmentata. Multarum autem harum narrationum memoria intercidit, ita vt aliarum cum iis coniunctarum ea, quae ſuperſunt, nec enodare, nec a qua origine, opinione et phantasmate proceſſerint, aſſequi poſſis, ideoque per-

Q 5 peram

peram operam in iis eruendis ponas: quod ipſum Indorum exemplo ſatis conſtat.

Iam hoc idem in antiqua Orientis philoſophia, hoc eſt in opinionum illa, aquarum more vndique corriuatarum, colluuie ſic ſe habet. quae a ſingulis ortae, ab aliis acceptae, aliisque iterum traditae, tum per collegia doctorum hominum, Magorum, Chaldaeorum, Indorum, propagatae, in doctrinas abiere, atque etiam litteris fuere conſignatae; nec ſtatim, quod iam monui, ab initio interpretem auctori ſuperſtitem ac ſcholam ab auctore conditam habuere, vt ad vnam eandemque formulam iisdem verbis conceptam ad ſeriores aetates doctrina magiſtri propagaretur; nec niſi ſerius ſcholae et ſectae extitere, maioribus incrementis poſthaec ſubſecutis: ita multas antiquiores doctrinas mature aut intercidiſſe aut ſenſum earum non intelligi neceſſe eſt. Etſi in his memorabile dixerim eſſe hoc, quod Magorum et Brachmanum fuere collegia et ſodalitia, Aegyptiorum autem ſacerdotum familiae coaluere: vnde etiam arguitur Pythagoras, dum ſodalitium ipſe inſtituit, Orientis philoſophis plus tribuiſſe quam Aegyptiis; quod etiam ex ſymbolis ab eo adhibitis intelligitur.

Fac porro has doctrinas nonniſi per ſymbola expreſſas et efformatas ad alios perueniſſe, quibus ſenſus eorum et ſignificatus eſſet eruendus; eadem ſymbola, ritus et caerimonias propagatas eſſe ad finitimos populos, ab his ad remotiores: idque contigiſſe in omnibus Orientis religionibus in Aſiam minorem, Graeciam et Italiam propagatis: mirabimur ne eas omnem fere habitum priſtinum

exuiſſe

exuiſſe *b*)? Zoroaſtris doctrina, quaecunque illa fuit, per ſe et in primordiis fuit ſimplex; ab initio *lux et caligo;* at in eadem mox poteſtates, δυναμεις, angeli; eaque doctrina infinitis interpretationibus onerata; vnde ſunt orta placita accepta ab aliis, aut improbata, mutata, ſubmiſſis nouis variata, adiunctis aliis aut demtis; per haec via facta ſectis: quarum placita nec ipſa intacta manſere, ſed nouis opinionibus et interpretationibus ea aucta et variata; ita Zoroaſtrica et Chaldaica permixta, alia etiam adſumta e Moſe (cuius tamen philoſophia omnium aliarum erat ſimpliciſſima, et ſe etiamnum potiſſimum hac ſua ſimplicitate, in rerum origine inprimis, commendat) et a Iudaeis, qui ipſi adſciuere alia ex iſtorum doctrinis; alia ab Aegyptiis petita. Atque hoc modo *philoſophia Orientis*, quam vocamus, tam multa ac varia, temere ac conſulto attexta, coniuncta et permixta habuit, vt omnis notio vocis et rei ſit vaga et incerta; hoc habitu tamen ea inſinuata, partim aucta, variata, coaluit cum philoſophia Graecorum, Alexandrinorum, ſerius Pythagorico-Platonicorum. Atqui, vt iam profeſſus ſum, fuit Graecorum philoſophia ab aliis diuerſiſſimis primordiis ducta, aucta poſtea doctrinis Aegyptiis Phoenicumque. Cum Graeci progreſſi eſſent a cultu rerum a maioribus pro ſacris et ſanctis, etiam potentiore natura iis indita, habitarum, per ſimulacra mox effictarum, et ritibus ſacris celebratarum: iidem vtique, quod nec mireris, de origine

*b*) Multa huius generis exempla illustrata sunt in Comment. de dea Comana Vol. XVI. Commentat. Soc. R. Sc. Gotting.

origine mali parum laborarunt; etſi mala a nonnullis ſibi ignotis metuenda eſſe cenſerent, ad Moeras et neceſſitatem ea referre contenti.

Diuerſiſſima igitur fuere Orientis et Graecorum primordia philoſophandi; coaluere tamen vtraque aliquando; idque praecipue deberi puto hominibus et ſtudiis Alexandrinis, partim ex ſitu vrbis in finibus Aſiae poſitae, partim ex recepta philoſophia Platonica, quae homines procliuiores reddere potuit ad Orientis placita recipienda, quam Ariſtotelica, quae, recentior et nouitate ſua forte praeferenda, tamen fuit poſthabita. In Graeciam inducta fuerant mature nonnulla ex barbarorum hoc eſt Orientis, Phoenicum et Aegyptiorum, ritibus, et placitis, ſeu philoſophia, h. e. opinionum farragine. Serius tamen, philoſophiae melioris luce inter Graecos ſparſa, ea ipſa ad rationis melioris et politioris ſubtilitatem ſunt exacta et conſtituta. Hoc eſt, quod videmus Graecos ſuos religioſos mythos duxiſſe a Chao, elementis rerum et naturis in perſonas mutatis; qua de re iam ſatis diſputatum eſt in Commentatione de Theogonia Heſiodi *e*), et aliis in locis.

Proluſum tamen aliqua ex parte eſt ingruentibus ſerius peregrinis religionibus et paratus iis aditus prauo Graecorum et Romanorum ſcriptorum vſu comparandi numina et religiones patrias cum diis aliorum populorum, hosque pro iisdem cum ſuis

*e*) In Soc. R. Sc. Gott. Commentationibus Vol. III. Hist. p. 125. In Theogoniis vtique prima vestigia sensus elegantioris et venustatis agnoscere mihi videor.

ſuis habendi; turbata ita eſt omnis religionum veritas hiſtorica, et patriorum ſacrorum ſanctimonia. Succeſſit alia ſubtilitas philoſophantium de diis, quorum multitudinem ad vnum Iouem ſeu Solem referre ſtudebant: qua de re vel vnum Macrobium inſpicere ſatis eſt lib. I. Saturn. c. 17 ſqq. vbi etiam contenditur, Liberum eſſe eundem cum Sole, ſicque etiam Martem, Mercurium, Herculem, et alios. Etſi, ſi ad antiquiora animum referas, ſimilem quodammodo rem actam eſſe videas a Stoicis, qui fabulas Homericas philoſophico acumine modo phyſicis modo ethicis rationibus accipiendas eſſe contendebant: qua de re in Excurſſ. ad Iliadem et ad Apollodorum ſatis multa ſunt dicta.

Iam ſi ſuperſtitiones, de quibus egi, magna ex parte a philoſophicis quodammodo rationibus repeti forte poſſint, ſucceſſere tamen aliae pro commentis, ſomniis, et fraudibus habendae, mente per phantaſiae errores obſcurata: duobus maxime modis: primo enim coeptum eſt, diuerſas ac diverſi generis ſuperſtitiones copulare et nouum inde figmentum componere, tum ad fraudem et ludificationem aliorum nouis commentis id variare, refingere; et per haec ad *magiam* peruentum eſt.

Ex priore more miſcendi ſuperſtitiones *Zoroaſtreas* et aſtrologicas, vulgo dictas *Chaldaicas*, proceſſum eſt ad transferendas eas *ad religiones alias, Phoenicias, Iudaicas, Aegyptias, Graecas et Italicas, ſerius ad Chriſtianas* quoque, cum his miſcendas, ad noua commenta ex iis confuſis producenda; idque modis, et artibus, variis: inque his, Pythagoreo-Platonicis ſubtilitatibus. Haec ſigillatim perſe-

perſequi aliorum ſtudiis relinquo: propoſitum mihi eſt, ea tantum delibare, quae ad gemmarum figmenta et monſtra ſpectant. Itaque mihi ſatis eſto, genera potiora attigiſſe, et animos legentium aduertiſſe primo ad *communem harum ſuperſtitionum fontem, ſymbolici ſermonis vſum et neceſſitatem*, tum vero vt intelligatur, ea, quae *ab illo primo fonte manarunt, per diuerſas ſcaturigines, riuulos et canaliculos diffuſa et diducta, admodum turbata, nouum colorem, naturam, et multiplicem corruptelam adſciuiſſe:* quorum diſcriminis obſeruandi cura diligens eſt adhibenda, ſi recte de partibus aut de ſingulis iudicare volumus.

Per tot ſuperſtitionum genera materies immenſa ſuppetebat fabricandis erroribus, fraudibus et artibus hominum ſeu fanaticorum, ſeu impoſtorum, cum plura eſſent, quae eorum ſtudia incenderent: primum vitae mala, quibus ea obſeſſa eſt, in tanto calamitatum publicarum et priuatarum aſſiliente vndiquaque agmine, aut eminus minitante et animum metu exagitante; a quibus vt liberemur aut incolumes praeſtemur, lubenter audimus eos qui medelam certam pollicentur; altera ex parte haud deſunt, qui ex credulitate aliorum quaeſtum faciunt: cuius generis immenſa multitudo per iſta ſaecula, de quibus agitur, extitit, impoſtorum, agyrtarum, circulatorum, magorum, quo quidem nomine interdum omnis illa turba nuncupatur. Diuerſa ex parte ſtolida et infauſta hominum propenſio ad praeſcientiam futuri, innumeras praenoſcendi et praedicendi futura artes et ſuperſtitiones peperit et aliis impertiit: per

quas

quas iterum alia fraudis nectendae et quaeſtus faciendi via eſt inuenta. Superuenerat ſtudium prauum *miracula* et *prodigia* probandi, procliuibus mentibus, et affectibus in ea defixis. Inde iterum nouae animorum corruptelae, ſuperſtitiones, et credulorum hominum, omninoque plebis, ludibria, et fraudes. Exſtitere eorum, quae Iudaeorum aetatibus mira et prodigioſa euenerant, aemuli praeſtigiatores. Ita Chriſti apoſtolorumque exemplis paria perpetrando ſe tueri voluit notus ille Simon magus: adoptarunt quoque eas opiniones alii imbuti placitis Pythagorico-Platonicis: quibus male vtebantur ad γοητείας ſuas, vt etiam Manes ſe cogere et in vitam reſtituiſſe exanimos iactarent.

Nec praetereundum eſt adminiculum fraudis ex ipſo antiquo more per hieroglypha et ſymbola reddendi ſenſus animi et cogitata. Ars fingendi et formas imaginesque lineis deſcribendi multum praeſidii et adiumenti attulit nouis ſuperſtitionibus, et ex iis cepit lucri et quaeſtus plurimum; in fictilibus, aere, lapide, res ſymbolicas et allegoricas ſenſibus oculorum redhibendo. Cum itaque ſuperſtitiones aſtrologicae et magicae increbuiſſent, etiam iis effingendis metalla et lapides adhiberi coepere: vnde tanta inprimis gemmarum ſcalptarum copia in medium prolata eſt; magna ipſius artis corruptela, formis et figuris nouo more componendis et fingendis, monſtrisque a natura abhorrentibus, abnormibus et odioſis: cuius generis omnino ſunt gemmae magicae, et in his abraxas. Noua quoque monſtra ex coagmen-

tatis

tatis diuerſarum religionum, ſectarum et populorum figuris, Perſicis puta et Aegyptiis aliisue, praecipue in myſteriis: vt plura ſunt in Mithriacis. Ex eo genere eſt ipſe Aeon in Mithriacis, docte illuſtratus a deſiderato viro Zoega, et ex anaglypho exhibitus *d*). Manifeſtum fit, in monſtro confuſa eſſe Perſica, Aegyptiaca, Chaldaica. Cumque hoc anaglyphum inter Mithriaca monimenta ſit repertum, vt alia ſimilia: in comperto habetur, Mithriaca eiusdem eſſe indolis et ſuperſtitionis miſcellae. Verum tanta eſt huius generis monimentorum antiquorum copia, vt alia commentatione diligentius de iis agendum eſſe videatur.

*d*) *Baſſirilievi* Tom. II. tab. LIX. vbi v. a docto viro obſeruata, in quibus Orphica et Platonica comparat.

---

## Epimetrvm V.

### *De gemmis aſtrologicis et magicis inter amuleta habitis.*

Simulacris deorum effictis et publice conſecratis, cum antea rudibus ſtipitibus ſaxisque religioſus cultus habitus eſſet, ex hominum indoctorum opinatione conſentaneum eſſe viſum eſt, ipſas *imagines deorum* prodeſſe et mala depellere. Vulgaris itaque inter indoctum vulgus fuit perſuaſio, vt a deorum ſimulacris tanquam diis praeſentibus opem peterent, numenque aliquod ſimulacris ipſis ineſſe crederent; tanto cum ſtupore, vt de modo, ratione et veritate, quaerere vix auderent.

Translata

Tranſlata eſt eadem opinio ad *materias* aut imaginum aut rerum diis conſecratarum, vt et iis numen ineſſe crederent. Itaque cum diis, qui tutelam vrbium habebant, ipſa eorum ſigna, eodem loco habita, incolumitatem vrbium praeſtare viſa ſunt: ex quo genere Palladia ſunt notiſſima; acceſſere τὰ διοπετῆ ξόανα. Ita natae ſuperſtitiones aliae ex aliis: vt ſolent errores hominum recta vtique ratione procedere, non animaduerſa vanitate et vitio principii, vnde omnia, quae ſequi aiunt, concidunt. Eodem modo cum *natura*, *elementa*, *aſtra*, in numinum loco haberi coepiſſent: *iis* in perſonas mutatis par cultus habitus, ex iisque eadem vis tuendi et medendi, bona et mala procurandi, manare credita eſt.

Secundum haec inprimis *aſtrologicae* ſuperſtitiones obtinuere, vt vim illam commentitiam, ex certa obſeruatione ortus et occaſus ſiderum, aut eorum poſitus inter ſe et reſpectu planetarum et zodiaci, lapidibus et metallis includi poſſe crederent: aſſignarent quoque auro, argento, aeri et ceteris metallis, planetas. Inde opinione occultae alicuius emanationis aut communicationis virium, gemmarum certarum et metallorum naturis ineſſe credita eſt relatio aliqua ad aſtra et intercurſus occultus. Cuiusmodi ſuperſtitiones de lapidum virtutibus notae ſunt vel ex Orphicis. Par fuit perſuaſio de occultis, interdum ex ſolo nomine et appellatione, herbarum virtutibus, et de appenſis ex collo vel brachiis, iam ex Homero et ex Pindaro. (Pyth. III, 94.) notis. Pari modo ſatis eſſe viſum eſt, ſi figurae ſiderum, earumue *characteres*, proprietates et *ſigna* arbitraria, aut vſu recepta, in

laminis ac gemmis ſcalperentur; ita et aliae res, veluti laurus inſcripta vim habere credita eſt ad pericula fulminum auertenda, quia laurus iis non attingitur; ſimili ſuperſtitione oſcilla, ſeu laruae Bacchicae, ex arboribus ſuſpenſae, vt vel ex Virgilii Georgicis notum eſt, grandines auertere, mox et laruae in gemmis ſignatae.

Antiquiſſima eſt memoratio huius ſuperſtitionis facta per *Theraphim* a Moſe memoratos. Increbuerat illa primis temporibus inter Aegyptios, per *hieroglypha*, imagines deorum rerumque ſacrarum referentia; quemadmodum vſus *ſymbolicarum* adumbrationum eorum, quae ſentirent et iudicarent homines, per *figuras*, variis attributis et ſymbolis inſignitas. Largam ex his ſuccreuiſſe ſuperſtitionum meſſem in aperto eſt. Eſt enim incredibile, quantopere pronum ſit ingenium humanum ad errorem permutandi cauſſas et effecta: qui plurimarum ſuperſtitionum fons et parens fuit, inprimis in iis, quae ritibus et caerimoniis vſu habentur. Vt vno exemplo defungar: ad initiandos myſtas, et conſecrandos etiamnum muneribus ſacris, morti quoque inſtanti, homines, vnctio frequentatur, antiquo more honoris habendi, in aeſtiuis Aſiae caloribus, mox ſollenni ac religioſo, accedente ſerius opinione, eſſe ſacri olei vim ad medendum morbis, auertendas incantationes, et ad mortem placidam, vitamque poſt fata meliorem conſequendam; cuius quidem generis opinata ſunt plurima in vita communi.

Acceſſit tandem altera ſuperſtitio *carminum*, ſeu formularum, quibus, cum a diis opem implorarent

et

et obtinuiſſe ab iis crederent *a*), vim arcanam, cogendi quoque deos, ineſſe putarunt. Itaque his etiam, ſi *ſcripta* eſſent, parem vim ineſſe, vt inter τὰ ἀλεξητήρια numerarentur carmina ſeu formulae certis verbis conceptae. A nominibus deorum, geniorum ac daemonum, deuentum eſt ad *litteras; characteres, ductus inſolitos et ignotos.* Contaminauit haec ſuperſtitionum lues praecipue artem medicam flagitioſa et pudenda ſeu imperitia ſeu fraude, obuia iam in Catone de R. R. in Plinio et in Geoponicis. Scilicet ab omni inde tempore ars medendi ſuperſtitionibus omnis generis fuit obnoxia; cum aut omnino experimentis ſolis otioſe ſe committerent nec eorum rationes explorarent, aut a rationibus, ſubtilitate phyſica et metaphyſica praeconceptis, medici morborum incerta et cauſſas conſtituere vellent ante ipſorum morborum ſtudioſam et prudentem notationem et ſcientiam. Vulgata fuit ars medendi ſuperſtitioſa, aſtrologica et magica, ſub Romanorum principibus, et iam inter bella ciuilia. Egitque de ea copioſe ac docte auctor praeclari operis hiſtoriam artis medicae tradentis *Kurt Sprengel* V. C. in Vol. II. Superſunt ex hoc genere ſigilla medicorum oculariorum de quibus egere *Saxe* et *Walch*, et *Rich. Gough* Archaeol. Britann. Tom IX. p. 227. Aggregata ſunt ac permiſta plura inter ſe ab Alexandrinis,

 tum

*a*) Reuocemus in animum Aeacum pro Hellenibus preces facientem ad Iovem in calamitate publica apud Pindar. Nem. V, 17. Conceptis autem verbis preces faciebant, formulis verbisque ſollennibus, iisque aliquoties repetitis: fere ad modum noſtrarum *litaniarum.*

tum a Iudaeis, qui nomen Iehouae arcanum, tum et Elohim, Adonai aliaque, ſuggeſſerunt; alia quoque Chriſtiani, qui ſiue a profanis ad ſacra, ſiue ab his ad profana, errores et ſuperſtitiones traduxerant. In quo genere nomen Gnoſticorum vidimus celebratum eſſe.

Memorantur itaque paſſim gemmae *magicae*, gnoſticae, orphicae, cabbaliſticae, aſtrologicae, mithriacae, ophiticae, Perſicae, Indicae; namque etiam ad Arabes et Indos perlatae ſunt ſuperſtitiones hae et praeſtigiatorum fraudes. Vtar equidem, cum Paſſerio, *gemmarum magicarum* nomine, tanquam omnibus communi. Praelatae ceteris gemmae colore inſignes, aut nomine ipſo fraudem adiuuante, verbi cauſſa, haematites, cryſtallus, adamas, ophites *b*). Multa de his ſunt quoque carminibus celebrata, velut ab Orphicis et Marbodaeo. Mireris vero fuiſſe quoque viros doctos ac prudentes, qui vires has lapidum et metallorum arcanas pro exploratis haberent, easque ab aſtrologicis rationibus repeterent, vt vires aſtrorum in metalla transferrent ac deriuarent. Multo tamen magis inter prodigioſa referam, quod hae ſuperſtitiones per tot ſaecula regnum obtinuerunt, per phyſicas et philoſophicas rationes demonſtratae, (vt creditum eſt), primo per Platonicos ſeriores, theurgos, et myſticos; tum per Arabes, inter quos multi fanatici et impoſtores fuere, qui annulos, imagines et ſigilla fabricati ſunt ex trina caeli,

*b*) Collecta generis huius sunt multa et illustrata a viro Ven. *Velthusen*, in lib. *de amethysto* 1806. Adeundus quoque de Indicis *Sonnerat*.

caeli, terrae et aeris ſympathia, hoc eſt, aſtrorum lapidumque naturis conſentientibus: tandem per philoſophos ſequiorum ſaeculorum, maxime inde ab Alberto Magno, Marſilio Ficino, Hieronymo Cardano, Agrippa aliisque *c*).

Has gemmas, lapides, et laminas, cum alia, ſigna, ſigilla, imagines, in domo habere ſatis eſſet, ſecum habere et geſtare: mos et ſuperſtitio ſuaſerat, vt ad auertenda mala, morbos, daemonum noxas, valerent, et pro *phylacteriis* eſſent; ab aurigis circenſibus, etiam a militibus, vſu habitas eſſe multas, ipſa argumenta gemmarum docent. Scarabaeum, fortitudinis maſculae hieroglyphum, in militum annulis Plutarchus memorat de Iſide et Oſiri p. 355. A. et Aelian. de Animal. nat. X, 15. Aliae gemmae ſcalptae *annulis* fuere incluſae, aliae, appenſae e collo, vel brachiis, vt pro armillis eſſent, alligatae, appellatae ſunt ex ipſa re περίαπτα, περιάμματα, ἐγκόλπια, vnde multae ſuperſunt perforatae, more Orientis antiquo et ſeriore, etiamnum ſuperſtite; diuerſae eae ab annularibus gemmis; ad ſignandum adhibitis. Nomine vulgari haec et alia, quae ſimili vſu habita ſunt, ex auro et argento, vt de Alexandri imagine narratum eſt ap. Trebell. Poll. in Quieto

 c. 13.

*c*) Ex eo librorum genere inprimis ſunt notabiles: *Petrus Arlenſis de Scudalupis* in *Sympathia ſeptem metallorum ac ſeptem lapidum ad planetas*, et *Camillus Leonardus Piſaurenſis* in *Speculo lapidum* 1533. Auguſtae Vindel. edito; Coniunctim ii ſunt repetiti Pariſ. 1610. et Hamburgi 1717. adiecta *Magia* aſtrologica Petri Conſtantii Allinei Villanovenſis. Conf. *Chifflettum* ad Macarium p. 125. et *Tiedemann. de magia* cap. extr.

c. 13. veniunt *amuletorum*, quod Plinio eſt vſitatum; in Oriente, *Tali manum*, quod ex hebraico alii ex Perſico nomine deducunt: verum de his libri ſunt inſpiciendi, qui de toto hoc genere agunt; inprimisque *Tiedemann de magia* (p. 102 ſqq.) nam *Athanaſ. Kircherum* (*Oedip. Aegypt.* Tom. III. Syntagmate 19) *Pignorium* et alios, qui de *amuletorum* ſuperſtitione ipſi ſuperſtitioſe ſcripſere, nemo nunc cum fructu inſpexerit; etſi et aliae res iisdem ſuperſtitionibus conſecratae eodem nomine comprehenduntur, vt imagines, anaglypha e lapide vel aere facta.

In gemmis varietas notatur *naturae et artis*: Naturae, propter arcanas virtutes iis, ab aſtris impertitas, ineſſe creditas, interdum ex colore *d*); artis, ex ſculptura aliqua mirabili. Eleuat ſuperſtitioſas inſcitior ſcalptu-

*d*) Ex vi electrica vel magnetica. Iam apud Plinium de hac superstitione magorum plura leguntur. Inter haec lib. XXXVII. S. 40. gemmis, colorem vini habentibus, magorum vanitate ebrietati resistere, aliis, alio colore, mala auertere creditis, subiungit: *nam smaragdis quoque similia promisere, si aquilae scalperentur aut scarabaei: quae quidem scripsisse eos non sine contemtu et irrisu generis humani arbitror.* Frandem geminatam deprehendimus eo, quod Plutarchi nomine venditatus liber de fluuiis p. 1155. de Sagari Phrygiae flumine memorat; reperiri in eo lapides *αὐτογλύφους*, a natura insculptam Matris deum imaginem referentes, quam qui secum habeat, omnis metus expertem habet animum: *τοῦτον τὸν λίθον ἐὰν εὕρῃ τις σπανίως εὑρισκόμενον, ἀποτεμνομένων οὐ ξενίζεται, ἀλλ' εὐψύχως* (non *ἐμψ.*) *φέρει τῆς παρὰ φύσιν πράξεως τὴν ὄψιν.* nisi locus laborat, accipio de Gallis per insaniam praecisis sibi genitalibus, vbi ad se redierint, non obstupescentibus, sed aequo animo iacturam ferentibus.

ſcalptura, argumentorum dilectus ex ſuperſtitionibus certi generis iam aliunde notabilibus et notatis, verbis quoque et ſiglis, vſum, cui deſtinata gemma eſt, arguens; ſymbolicae et allegoricae, a Graecorum tamen Romanorumque more et indole alienae; ad religiones barbarorum Aſiae et Aegypti, eorumque ſenſus, ſuperſtitiones, et artes, plerumque effictae; ita quidem, vt aliae figurae ſcalptae Aegyptium, aliae alium morem et habitum referant, aliae certarum religionum arcanarum, ſuperſtitionum. artium et praeſtigiarum, indicia, veſtigia et notas habeant. Inter barbaros fuere inprimis *Phrygum* religiones Magnae Matris deum ſeu Cybeles aliisque nominibus, ſpecie et nomine multiplici, celebratae, cum qua Dea quoque Syria conuenit, ad naturam genetricem deſignandam. Subueniunt illuſtrandis gemmis numi veteres magno numero Aſiaticarum vrbium.

*Aegyptiacas religiones* (v. Euſeb. Praep. Evang. I, 7.) multae gemmae aperte exhibent, hieroglypha, Oſirin, Iſidem, Horum, Cneph, Anubin, Serapidem; antiquiores religiones et Aegypti aetates diſcernere aut declarare haud licuit; ſunt figurae in iis obuiae ex temporibus Ptolemaeorum et Romanorum, ſacris Iſiacis in Italiam illatis; Alexandriae et ab Aegyptiis inde a Ptolemaeis regibus ſculptas eſſe credere licet, commendantes ſe quodammodo Graeca elegantia, continuato ſtudio per tempora ſequentia, florente etiamnum arte ſub Antoninis. Vtile erit iis, qui in hoc genere curatius explorando operam poſituri ſunt, cum gemmis numos Aegyptios comparare; de

quibus praeclarum Zoegae opus extat; mihi enim in ſingulis rerum partibus excutiendis otium et opera haud ſuppetebat. Num antiquiorum Aegypti aetatum ſculptae gemmae ſuperſint, mihi quidem haud liquet; doceant nos ii, qui earum gemmarum copiam tractant, inprimis in Muſeo Imp. Napol. Pariſ. Etiam *vitreas* gemmas repertum iri ſuſpicari licet ex iis, quae noſtra aetate de Diospolitana fabrica gemmarum vitrearum et murrhinorum factitiorum memorantur; Praeiuerat his Periplus maris Erythraei p. 3. Maior tamen eſt numerus formae monſtroſioris per ſeriorem ſuperſtitionem et artem, vt quatuor alarum, additarum Anubidi et aliis; in quibus tempeſtates anni aut mundi plagas deſignari putant.

Multo maior eſt copia gemmarum, quae *Aegyptias* quidem religiones referunt, ſed multis modis *variatas et corruptas* adſcitis et admixtis aliis ſuperſtitionibus, figuris, attributis, litteris: quas ſigillatim annumerare, haud eſſet pretium operae; nec magis volumina, in quibus hae gemmae cum ceteris expreſſae ſunt aere aut illuſtratae a Montefalconio aliisque vulgo notis *e*).

Aliam claſſem et ordinem conſtituere licet *aſtrologicarum*, aut nihil aliud quam aſtra, ſingulas ſtellas, aut zodiacum, aut ſingula ex iis ſigna, animantia, exhibentes, aut alia, etiam deorum et mythica, Graeca et Romana, appoſito aſtro. Leo et Taurus, admodum obuia ſunt, etiam in Graecarum

*e*) Adde Recenſum gemmarum *Iacobi Taſſie: Deſcriptive Catalogue of a general Collection by R. E. Raspe* 1791. Tom. I. p. 38 sqq.

carum vrbium numis; dubito an ea ex Aegyptiis translata ſint. *Taurus cornipeta* vernum ſidus eſſe poteſt in caelum quaſi enixum; an hoc quoque in numis Siciliae, Italiae, aliisque inde ductum putabimus? Probabilius videri poteſt, translata eſſe huiusmodi nonnulla ex Aegypto in Siciliam, Italiam, vrbes Syriae Graecas, vt in numis Comagenes ſcorpius et capricornus.

In ea claſſe habentur quoque gemmae doctioris et elegantioris ſcalpturae, forte nec ad hoc genus referendae, cum nihil aliud ſuperſtitionem magicam referat quam Sol, Luna, aſtrum appoſitum: quod facile intelligitur inſpectis *Gorii gemmis aſtriferis*, a Paſſerio editis et illuſtratis. Ita capricornus Auguſti horoſcopus in gemmis et numis occurrit. Contra habentur annuli et gemmae ad hunc vſum non ſcalptae, ſerius forte amuletorum loco adhibitae; ita imago *Herculis* Diodoro referente lib. V, 64. extr. et Alexandri imago, vt iam ſupra monitum ex Trebellio Pollione. Quid? quod etiam argumenta libidinoſa occurrunt, ex Bacchicis initiis, in cenſum tamen huius generis venientia, reſpectu, vt ſuſpicor, mulierum fecunditatem et prolem votis expetentium.

Verum ſunt aliae aſtrologicae, in quibus manifeſtum fit, ſeu praedictionis cauſſa, ſeu arcanae artis auerruncandi mala, *thema natalitium* eſſe expreſſum, aut aliis ſuperſtitioſis vſibus eas inſeruiiſſe. *Mythos Graecos Romanosque* eae paſſim exhibent, etiam res e vita petitas. Credere licet, eſſe in his multas, quibus ſerius aſtrum inciſum fuerit, forte ab impoſtore, qui ſuis artibus eas

 accom-

accommodare voluit. Sollennia argumenta porro ſunt ea, quae ſpectant *ad naturam rerum*; deos ſalutares, σωτῆρας, omninoque per religiones ſeriores et initia nobilitata numina: Cybelen, Dianam, Lunam, Hecaten tricipitem, Aeſculapium, Dioſcuros, Herculem, Mercurium, interdum attributis nouis, aut variatis formis *f*); etiam Aegyptiaca: Serapidem, Iſidem, Horum, Anubin, appoſitis aſtris, etiam ſeptem errantibus *g*).

*Perſicas*

*f*) Venus caelestis huc referri potest radio signans Scorpium in globo (apud Gorium tab. 68.) nisi verius Musa est Vrania; vt tab. 69. Vraniam interpretantur, tenentem globum cum Scorpii sidere; Genium tamen facile agnoscas; male quoque laudatur e numo Pertinacis, mulier, quae globum caelo demiſſum excipit; est enim mulier caelum versus manus extendens; cum adscripto: *Prouidentia deorum*; quod inspecto numo facile assequaris. at LXVII. est Diana lucifera, apposito globo radiato: artis iam serioris. Ex religionibus Syrorum expressa est passim *Athergatis*, et in gemma ap. Gorium tab. 77. (*Capello* 209.) *Venus Paphia*, de qua nuper egerat, quem ereptum bonis litteris lugemus *C. G. Lenz.* (cf. *Gött. Gel. Anz.* 1808. p. 2073.) Occurrit ea quoque in numo Pergamenorum cum capite Eurypyli, quem in medium protulit Ill. *Choiseul Gouffier* pl. 50. iam antea memoratum a Spanhemio et Frölich *notit. Element. numism.* p. 231. Obseruaui quoque gemmas et numos passim consentire in vnum idemque argumentum: vt in Iove Argaeo.

*g*) Est quoque horoscopus vrbium, ex numis cognitus et illustratus. v. *Barthelemy Mem. de l'Acad. d. Inscr.* Tom. XLI. p. 513. cf. *Neumann.* Numi Tom. II. p. 30. Regiones scilicet, vrbes, terrae, erant assignatae certis signis zodiaci; variata opinione, qua *Genii locorum et vrbium* ferri vulgo solebant, vt Virgil. Aen. VII, 136. *Geniumque loci.* Coniuncta notio *dei tutelaris.* *ἐγχωρίου.*]

*Perſicas* religiones paucae gemmae referunt, et pauca anaglypha, et in his nonnulla cylindri forma facta. (vt apud Montfauc. *Antiq. expl.* Tom. II. pl. 135, 1. et ap. *Com. de Caylus.*) Frequentiores ſunt eae, quae Mithriaca offerunt, genus ſuperſtitionis maxime frequentatum ſub Antoninorum et Commodi tempora. Impoſtores Iudaeos arguere videntur nomina dei Iao, Adonai et alia. Chriſtianos in paucis deprehendi; ap. Macarium tab 5. eſt columba cum fronde arboris, et in altera parte Ιαω. Αβρασξ. Αδωναι. Occurrit quoque vox Μεσσιας. Hactenus concelleris Iablonskio contendenti Chriſtianorum, ſcilicet catholicorum; gemmas huius generis fuiſſe nullas ſed tantum Gnoſticorum et Baſilidianorum v. *Diſſ. de Abraxas Miſcell. Lipſ. nov.* p. 79. Vol. VII.

Sunt gemmae, *Romanorum* deorum effigies et attributa, vt Cornu copiae, manus votiuas, apotelesmatibus accommodatas, exhibentes, pleraeque tamen cum attributis Aegyptiacis *h*), aut inuerſo modo Iſidem cum Fortunae attributis; tandem etiam *Panthea* ſigna, ſuperſtitionibus multo magis opportuna; niſi hoc commentum pantheorum mythis et religionibus miſcendis nouam opportunitatem fecit.

Enimuero infinitae eſſet operae, omnes variandi modos enarrare: accedunt enim Phrygia, Chaldaica,

*h*) V. c. Apollo et Sol cum flagro, Osiridis exemplo. Mercurius criophorus, adscriptum tamen: εἷς Ζεὺς Σάραπις. Et apud Macarium nro. 105. Iuno cum hasta adstans, a tergo Cχκαωε σοφη Αδωναι. Priapus cum Phanete Orphicorum permutatus esse videtur.

daica, Syria, ex quo coeptum eſt a Graecis, numina patria Graecorum et Romanorum ſubſtituere et miſcere diuerſa nomina et religiones: qua de re diſputatum eſt in Commentat. de dea Comana. Commentat. Soc. R. Sc. Gott. Tom. XVI. Adeo permutata aut compoſita aut confuſa fuit omnis antiquitas: fatentibus quoque ſcriptoribus, vt, noto loco, Hieronymo, aduerſ. Iouinian. lib. II. (extr. p. 66. et haud longe a princ. p. 52 ſq. ed. Frcf.)

At mihi procedendum eſt ad genera gemmarum notiora et frequentiora; et in his primo loco ad *Abraxas*, nomine vulgatiſſimo, modo laxius, modo recte de certo genere lapidum. Qui proprie ita dicuntur, magno numero obuii, exhibent figuram armatam cum flagello Oſiridis et clipeo, capite galli gallinacei et ſerpentibus pro pedibus: exemplo petito ex Aegyptiis Oſiridis et Serapidis, ſed attributis mutatis, ſymbolicis haud dubie; ſed de quibus ſollicitus eſſe nolim; apparet ſaltem auerruncum deum ſeu daemonem declarari, ἀποτρόπαιον, malorum depulſorem *i*). Variant tamen attributa, et ipſa figura ac ſpecies monſtri; adiectis litteris Ιαω, etiam aliis vocibus, interdum et ſeptem vocalibus, reſpectu forte ſeptem angelorum. Permiſtas agnoſcas ſuperſtitiones Aegyptias, Iudaicas,

*i*) Caput galli gallinacei ex eo repetitur, quod ales Soli sacer esse fertur: vt ap. Plutarch. de Pyth. Orac. p. 400. c. Apollinis manu eum tenentis signum memoratur. Et apud Pausan. V, 25. pictus erat in scuto Idomenei, qui a Sole genus ducebat. Solem itaque per monstrum designari creditum est. Sol cum flagro etiam in numo Elagabali conspicitur.

Iudaicas, Chriſtianas; Gnoſticas praeſertim, vnde et eo nomine gemmas eas appellare vulgo erat ſolitum; Baſilidianas et Valentinianas appellarunt alii. Mithriacas ſuperſtitiones multae gemmae, magicae quoque, exhibent: addita in nonnullis barbara vox Αβρασαξ, de qua Coptica forte, vt Münterus V. C. ſuſpicabatur, multa diſputata ſunt; probabile fit, nomen fictum declarare numerum per litterarum valorem conſtitutum 365 dierum, vt adeo annus, et per hunc Aeon declaretur: quem alii totidem numero caeli orbes interpretabantur. Baſilidem aiunt vocem reddidiſſe patrem μονογενῆ, et λόγον alios. Obſeruatum eſt lapides fere eſſe adhibitos iaſpides virides ſanguineis maculis diſtinctos, heliotropios nomine Plin. XXXVII, 10. ſ. 60. vt ſuperſtitio etiam hunc dilectum conſtituerit. Voces Ιαω et ſimilia nomina (ludunt enim in litteris vocalibus A. E. I. Ω.) occurrunt etiam in aliis gemmis, et pro monſtro leo, ore mordens caput bouinum; quod ad aſtrologiam ſpectare putatur; etiam vox Abraſax in gemmis cum Horo inſidente loto. Viſitur in nonnullis Sol, alatus, cum virilibus erectis; tantopere variat ſuperſtitio in toto genere; nec tamen digna ſatis, vt in his hora pereat.

In tanto figuras variandi ſtudio ſectari auctores *monſtra* apparet. Sunt ea vel mythica, et ſymbolica a Graecis et Romanis iam ante frequentata, vel Aegyptia aut alia; aut noua, ex pluribus formis compoſita, indocta pleraque et informia. In prioribus habentur: Meduſa, Harpyiae, Sirenes, gryphes Apollinis, chimaera, laruae, locus, Comus,

Bonus

Bonus Euentus; in altera claſſe ſunt nouae formae ex ſuperioribus compoſitae, maxime ex Aegyptiis, additis quoque nouis ſymbolicis: quae inſpecto Capello et Gorio ſponte ſe offerunt. In monſtris his ſuperſtitiones ad fraudes aliis faciendas, rerum miraculis ante oculos poſitis ab impoſtoribus et agyrtis, cognoſcere in promtu eſt; eoque merito inter *magicas*, ſeu magicis fraudibus inſeruientes, habendas.

Nec vero harum gemmarum omne genus ſeriorum aetatum, inde ab Alexandrinis, aut ab Antoninorum inde temporibus, aut, vt vulgo aiunt, tertii et quartii poſt C. N. ſaeculi *k*), fetus eſt habendum; increbuit tantum vſus et ſuperſtitio tunc inter homines vel maxime. Antiquior longe mentio eſt gemmarum *magicarum*, igitur etiam vſus. Memoratur apud Clementem e Graecis quoque Execeſtus, Phocenſium tyrannus, qui duas gemmas habuit monentes de imminente malo et periculo *l*).

Ceterum in harum gemmarum numero paucas eſſe arte et opera probandas iam dixi, exceptis non-

*k*) Nec Zoega p. 549 sqq. et p. XXIII. est accipiendus, de inuento talium gemmarum, sed de vsu frequentato, cum ad noua mysteria, theurgica, gnostica, magica, chemica, traducti fuere characteres hieroglyphici, vero eorum sensu fere obliuione iam extincto.

*l*) Clemens Alex. in Stromateo I. p. 399. (Sylb. p. 334.) — *δύο δακτυλίους φορῶν (Ἐξήκεστος) γεγοητευμένους, τῷ ψόφῳ τῷ πρὸς ἀλλήλους διῃσθάνετο τοὺς καιροὺς τῶν πράξεων: ἀπέθανε δὲ ὅμως δολοφονηθεὶς, καίτοι προσημήναντος τοῦ ψόφου· ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ.*

nonnullis, quibus, olim in mundo et apparatu habitis, ſerius praeſtigiatorum manu et opera appoſitum eſt aſtrum, aut figura ſcalpta, magico vſui deſtinata; reperiuntur inter eas nonnulla, quibus ab indocta manu ſculptura deterior monſtri vel hieroglyphi eſt appoſita. Eſt in his Ptolemaei caput ab Aulo ſcalptum, monſtroſis figuris additis foedatum. Contra immenſa copia eſt lapidum vix dignorum, vt Muſei partem conſtituant, indocte et inſcite ſcalptorum; etiam inchoatae operae, delineatis tantum, ſcalpro terebrante admoto, figurarum extremis partibus: vnde, cum informi adhuc ſint adſpectu, faciendae fraudi opportuniores eae viſae ſunt. In eundem cenſum referam icunculas ex aere vel argilla inſcite factas, quae paſſim pro antiquiſſimis Etruſcis habitae ſunt; v. c. in iis quae apud Com. de Caylus occurrunt, Tom. V. tab. 37. et 32. Omnino in iſta rerum antiquarum farragine multa huius generis occurrunt, gemmarum et ſigillorum ſcilicet, inter Aegyptia et Etruſca, quae a magicis impoſtoribus ſunt profecta. Infimo loco habendae ſunt magicae gemmae nil niſi *verba barbara* aut *litteras* ſolas et *ductus* obſcuros exhibentes; etſi interpoſitis vocibus Graecis, appoſitis quoque nominibus angelorum aut myſticis diuinae naturae, ſaepe declaratis per vocales variante poſitu, comparari ſolitis cum ſeptem ſtellis errantibus: de quibus videre licet nonnulla docte obſeruata a Barthelemyo l. l. *Memoires* XLI. p. 515 ſq. in Inſcriptionem ad Miletum vrbem ſpectantem. Egerat quoque de his vocalibus et ſonis ſeptem fidium lyrae *Geſnerus* noſter in *Commentar. antiqu. Soc. Gott.* 1751. Tom. I.

Supereſt

Supereſt genus nomine et forma mirabile; *ſcarabaeorum*, ſcarabaeum ſacrum referens *m*), Aegyptiorum hieroglyphum fuiſſe ſatis conſtat; ad ſolem referunt, etſi incerta ſymboli notione et cauſſa, iam apud Plinium (lib. XXX, 11, 30: Euſeb. Praep Evang. III, 4.) Egit de hieroglypho Aegyptiorum docte et accurate *Zoega* (de Obeliſcis p. 447.) etiam de vſu in gemmis ſcalptis, quem iam antiquitus Aegyptiorum fuiſſe haud dubito, ſerius magicis artibus adhibitum. Mirationem tamen mihi facit, quod ſcarabaeos multos ſeruant Muſea, Etruſcos vulgo dictos, ſeu Graecae artis antiquiſſimae; quorum vnde tandem et quomodo tanta copia ex Aegypto in Italiam allata eſt? fit igitur mihi probabile, commerciis inter Italiam et Aegyptum habitis, gemmas ſcarabaeorum ſpecie et forma elaboratas in Italiam eſſe apportatas, in quibus Graeci ſua argumenta ſculpſerunt; vnde ſerius eae affectatae ſunt ab impoſtoribus forma ludibrio vulgi inſeruiente. Aliae gemmae inque his etiam ſcalptae, ex Aſia mercatu per Syriam et Aſiam citeriorem, in Graeciam et Italiam fuere apportatae, et ſimul cum his diſſeminatae fuere ſuperſtitiones, quibus illae inſeruierunt, cumque de his nonniſi ea, quae mercatoribus narrata erant, comperiſſent emtores, rerum Orientis parum periti, mirum non eſt, ſi noua, diuerſa et aliena commenta, ab his inuenta et excogitata, omnis antiquitatis Orientis notitias corruperunt.

*m*) Cf. Beckman. ad Mirabil. Aristot. p. 168. Iam ap. Plin. XXXVII. S. 40. scarabaei scalpti memorantur.

---

## Epimetrvm VI.

*De artis fingendi et ſculpendi corruptelis ex ſuperſtitionibus et peregrinis religionibus.*

Profecta quidem eſt ars fingendi et ſculpendi ea, quae oculorum ſenſui occurrunt, a naturali aliquo ſtudio ea, quae ſenſibus cognita ſunt, imitandi; hoc tamen ingenia iam aliquantum exculta deſiderabat, antequam artis nomen ſumere ſibi poſſet; antiquior eius ſtudii vſus fuiſſe reperitur in communicandis notionibus et ſenſibus animi, qui proficiſcebatur a neceſſitate in vitae humanioris elementis declarandi aliis animi ſenſa deficientibus rebus, quas obtutui ſubiicere aliquis vellet, nec nomen ac vocem haberet, qua aliis eas deſignaret; rudi itaque manu ſculpere aut pingere ſtuduit. Sequuta eſt mens humana in hoc quoque eandem rationem, qua in ſermone vſa erat in vocibus inueniendis ad ſenſus animi aliis communicandos. A notis ad ignota, ſimilitudine aliqua, quae inter vtraque intercederet, obſeruata, ille progrediebatur. Vnde apparet, conſilium exhibendi qualicunque modo aliorum oculi et animi ſenſibus percipienda ea, quae vellet ab eo noſci, ſymbolicam naturam habuiſſe, vt declararentur res ignotae ſimilitudine aliarum rerum iam notarum. Fuiſſe haec prima plaſtices elementa, vti et ſermonis, nominum rebus imponendorum, manifeſtum eſt: quod per ea, quae in Americae populis obſeruata ſunt, pariter atque

in Aegyptiis, confirmatum eſſe conſtat. Species et formae rerum adumbratae, quamuis parum ſcite, dicta vulgo *hieroglypha*, multis modis poſtea variata, prima plaſtices et picturae elementa conſtituerunt. Vſu et temporis progreſſu, etiam, ſi eaedem aut ſimiles, nouae tamen res, aut cogitata de iis occurrebant, quae declarare neceſſe erat, eadem aut ſimilia, delineata, adhibita ſunt; ita certis ſymbolis inuentis vti iam homines videri poterant. Ex his primi mythi ortum habuere; ad imaginandi vim, ad phantaſiam et phantasmata, reuocare neceſſe erat cogitata mentis; et proceſſum ita eſt, id quod docet antiquior doctrina Graecorum, in principiis phyſicis et metaphyſicis ſcholae Ionicae, inde a Thalete, tum Heracliti tenebrae, nouis ſymbolis inueniendis et conſilio accommodandis, vsque dum copia vocum, easdem res denotantium, vſu ſuccreuerat ſatis idonea; ita enatae ſunt voces, quae eſſent rebus quibuscunque propriae; nunc, ſermonis vſus melior ſubſidiariam ſymbolorum operam indies magis magisque contemſit, adeoque etiam ſcripturam ſymbolicam, et hieroglyphicam; nec niſi in ſacrarum rerum ritibus et religionibus vſus ſymbolorum durauit: etiam in philoſophantium conatibus: praecipue in myſteriis: cogitatis animorum per ritus et pompas exhibitis. Habuit ex his cauſſas ſuas omnis apparatus ſacrorum; et ipſae ſtatuae ſigna et effigies deorum; et per haec ars fingendi et pingendi initia ſua.

Notionibus naturae diuinae auctis et variatis noua inuenta ſunt ſymbola ad eas declarandas: ars

ars itaque variauit quoque ſua figmenta; robur virium, per centimanos, prudentiam per tria Iovis capita, et ſic porro alia, reddidit; ducta inde monſtra antiquitatis, et pari modo fabulae, vt adhuc apud Indos et alios, ita quoque apud Graecos. Seruataeque effigies et formae religionibus conſecratae, etiam ſerius, iam quoque vſus ignorata neceſſitate ac cauſſa, et monſtroſa ſimulacri forma iam diu diſplicente. Miramur Graecorum *theogonias* ac *coſmogonias*: atqui eae non alium habuere ortum quam neceſſitatem vtendi ſymbolicis cauſſarum et effectuum denotationibus in rebus phyſicis et diuinis conſtituendis. Vt in Oriente per Aeones aut Daemones deductae erant poteſtates, δυναμεις, demiurgicae, rerum, quae inde a primo Ente *emanaſſe* vulgo ſunt dictae: ita ab Hellenibus omnia fuere per τὸ γεννᾷν, et per *ſtirpes et generationes* diſpoſita; cum autem in mundo viſibili ſubſiſterent, ea ex chao deduxere per τὸ Νεῖκος (ſeu per Eridem) et τὸν Ἔρωτα; et inde reliqua, abſtractis in deos verſis, generatos alios ex aliis; hocque, ſeu Hellenicum ſeu iam antea Pelasgicum ſymbolum, ortum declarandi, non modo poetis, quibus inexhauſtum fontem figmentorum ſuppeditabat, verum et in philoſophandi elementis eſt ſeruatum; nec rerum ortus per Monadem et Dyadem abhorrebat.

Soli Graeci ſeu naturae aliquo beneficio ſeu felici caſu eo fuere adducti, vt in corporis humani formis reddendis conſiſterent, nullo ſymbolorum vſu et reſpectu habito, ſed id agentes, vt formae humanae ſimilitudinem ſtudioſe exhiberent, mox et pulchritudinem, tandem abſolutiſſimam,

imaginandi vi aſſequendam, ſpeciem; atque hoc ſingulari ſtudio factum eſſe credimus, vt Graeci ſoli fuiſſe dicendi ſint, qui ſenſum pulchri habe-rent, artemque fingendi, tum artes omnino reliquas, perficerent.

Seruata ſunt ex ſymbolica ratione tantum ea, quae aut pulchritudinem variarent, per ſexum et aetatem, et ſtatum, aut per attributa, aliaque externa, quae non obtunderent ſed acuerent ſenſum pulchritudinis et voluptatem inde perceptam. Cum, in antiquiore ratione ſymbolica, a *cogitandi* modo ductae eſſent ſpecies et formae, nunc ab *imaginandi* vi et modo proceſſit omnis ars, et placuere primo loco ea, quae formae elegantiam inſignirent et conſpicuam redderent, eiusque ſenſum commendarent ex ipſa re: maieſtatem Iouis, Herculis virtutem, Veneris venuſtatem et ſic alia. Prodiere ſigna ad formae praeſtantiam aliquam mente conceptam: Iuno, Minerva, Apollo, Muſae. Quod ſi aſſumerentur peregrina, vt Bacchus, Cybele, Iſis, refingebantur ea ad eandem normam pulcherrimae formae; ita nonnulla Thracica et Phrygia tranſiere in Graecam venuſtatem. Reiecta et ſpreta ſunt alia quae notioni et ſenſui pulchrarum formarum repugnarent; ſeruata et recepta ſunt alia ex myſteriis, praeſertim Bacchicis, nonnulla quoque ex Aegyptiacis; verum omnia ad iucunditatem oculorum et ſenſus comparata; ipſa laſciuia Satyrorum et Silenorum. Contra nulli picti aut ſculpti ſunt *centimani*, nullus Iupiter oculis trinis, aut alia ſimilia iis, quae Indi adhuc amant; non Apollo quadrimanus (v. Zenobius

bius Cent. I, 54.) At Gigantes *ὀφιόποδες* non diſplicent oculorum ſenſui. Nec niſi ſero, Ptolemaeorum temporibus, Oſiris, Anubis, Sphinx, et alia, ex Syris Aſtarte, placuerunt. Igitur in forma humana aut vnice, aut praecipue, occupata erat artificum phantaſia ſeu mens.

Vita per artes exculta, ſuperuenit philoſophia, qua quae accepta erant per ſenſus, reuocata ſunt ad intelligentiam, ſeu a ſenſu abſtracta; eoque ea, quae per phantaſiam fuerant inuenta et perfecta, iudicio et ſubtilitati cogitandi ſubiecta. Nonnullis forte in artibus melius ex hoc ipſo conſtitutis, ars ipſa coepit corrumpi; iterum illata eſt per eos, qui *τὰ νοητὰ* ad *τὰ αἰσθητὰ* et *φανταστικὰ* retrahere, et diuina ſenſibus proponere volebant, ſubtilior cogitatio ad operum argumenta, et modos ea tractandi. Eaque res ingenioſe, poetico fere ornatu, cum delectatione audientium, peracta, a Platone vtique, reprehenſionem non habuit. Ita tamen iterum ſe in artem inſinuauit ſymbolicae rationis vſus; non quem aut poeſis aut plaſtice poſtulat, ab ipſa phantaſia progenita *a*). Primo loco nunc quaeſitum eſt in arte, quomodo iudicium



*a*) Est locus Dionis Chrysostomi notatu dignus Or. XII. p. 395. ed. Reisk. vbi notiones diuinae naturae ait quatuor habere fontes, naturam hominis ipsam, qua innata nobis sit notio *τοῦ θείου*, sensum communem, poetas, leges latas, et artes effingendi *τὰ θεῖα*: *τριῶν δὲ*, ait, *προκειμένων γενέσεων τῆς δαιμονίου παρ' ἀνθρώποις ὑτολήψεως, ἐμφύτου, ποιητικῆς, νομικῆς, τετάρτην φῶμεν τὴν πλαστικήν τε καὶ δημιουργικὴν τῶν περὶ τὰ θεῖα χγκλματα καὶ τὰς εἰκόνας.* Vltimum hoc disertius exponit in seqq. dignis quae legantur.

animi, hoc eſt abſtracta actio, redderetur per ſpeciem ad ſenſus accommodate. Nunc quoque in antiquis ſignis et ſimulacris contemplandis adhibita eſt ingenii ſubtilitas in declarandis rebus, fabulis, attributis aliisque, quae non tam ad artem et inuentum operis, quam ad argumenti ſculpturae interpretationem ſpectarent *b*).

Noua nunc operum argumenta ſuppeditata fuere ab ingenio primum, tum a comminiſcendi ſtudio, per nouos mythos, nouas religiones ac ritus, per myſteria, et per philoſophandi noua genera et excogitata. Primo quidem ingenioſa Graecorum elegantia in nouis inuentis praeualuit, cuius generis habentur allegoriae multae argutae et ſuaues, inprimis in *numis vrbium* maxime *Aſiae*, quorum expectamus aliquando doctrinam aliquam ſymbolicam: quae quidem multa habebit communia ſymbolicis attributis ſignorum et gemmarum, paſſim quoque poeticis, multa tamen propria et peculiaria. Mox ea ceſſit indoctae audaciae diſſona quaeuis et inter ſe abhorrentia iungendi: vt in ſignis pantheis. Prodiere formae ingratae, inconcinne compoſitae, inficetae, monſtroſae. Ita, inde a bellis ciuilibus et imperio ac dominatione ab Auguſto et Tiberio conſtituta, prolapſa eſt ars ad ſuperſtitiones myſticas et commenta philoſophica, maxime Platonicorum ſerioris aetatis et moris: quas ſuperioribus commentationibus attigi.

*b*) In parietibus pingendis prima facta pericula monstrorum adumbrandorum, vna cum aliis commentis a naturae veritate alienis, colligo e Vitruvii memorabili loco lib. VII, 5.

attigi. Acceſſere ſuperſtitiones peregrinae Aegypti et Orientis. Actutum, multoque magis per aſtrologica et magica commenta informia et pudenda, omnis ars eſt corrupta tandemque extincta.

Cum interea pulchritudinis ac perfectae artis omnino ratio nulla haberi coepiſſet, ſubſtitit ars in lineis extremis formarum ducendis; cum elegantia et pulchritudo formarum nulla requireretur, ſatis erat, *notiones*, quae pictura redditae eſſe debebant, aſſequi animo; omnis fere ars credita eſt eſſe abſoluta, delineatione. Retractam diceres artem fingendi et pingendi ad ſua primordia deſignandi potius lineis cogitata, quam formas exhibendi. Frequentior quoque vſus habitus eſt picturae, contentae, ſola circumlitione, et in medio aut vno colore, vt monochroma eſſet, aut coloribus viuidis, ſine colorum lumine et vmbra *c*): nec tamen linearum cura docte ſatis habita. Mox nec huius honos ac decus eſt ſeruatum; ſed eſt prorſus dehoneſtata et inquinata ars permixtis informibus figuris hieroglyphicis et myſticis Orientis, ac magicis, indocte delineatis ſcalpro aut penicillo.

Haec a me ab ipſa Graecae artis origine ad ſeriora tempora deducta firmare videntur id quod a me erat propoſitum, e ſymbolica loquendi ac fingendi ratione, anguſta ea et egena, effreni imaginandi



*c*) Quam *compendiariam* dixit Petronius c. 3. Aegyptiis et etiamnum Indis ac Sinis vsu habitam, etsi minus doctam. Num vero *compendiariae viae*. quas inuenisse fertur *Philoxenus* apud Plin. XXXV. S. 36, 22. eodem sensu dictae sint, dubito; nam nec eiusdem nec vnius generis illae viae esse videntur, et laudi potius habitae quam reprehensae.

ginandi luxuria licenter euagata, cum melioribus aetatibus a praeſtantiſſimis ingeniis poetarum, philoſophorum, artificum, intra fines iuſtos eſſet coercita, iterum carceribus emiſſam corruptelas veri et pulchri infinitas, tandem monſtra et nugas protuliſſe: quibus iterum liberata eſt mens humana, meliore ſapientia et ſenſu veri et pulchri doctrinis et exemplis propoſitis exculta. Quod ſi non eadem euenere in Oriente, ſeu in Aſia et Aegypto, etſi aliae quoque cauſſae commemorari poſſunt, praecipue tamen obſtiterunt religiones in deformibus ſignis et adſpectibus ex antiquis *ſymbolicis doctrinis* deductis, mentes et oculos, ingenia et ſenſus, detinentes, ne ad ſenſum pulchri ac veri aſſurgerent. Regnabant autem, vt in ſuperioribus expoſitum eſt, mira philoſophantium placita per ſymbola, allegorice et ambigue aut obſcure declarata. Neque ab iis receſſum eſt, nec per Iudaeos nec per Arabes, ſuperſtitionibus paſſim ſublatis, cum vel fingendo et ſculpendo numine eſſet interdictum, vel barbarie et ignoratione ingenia eſſent obſcurata et ad meliora ſtudia inhabilia facta.

Sane quidem iam antea, inter Hellenas quoque, ex quo rudibus ſtipitibus et ſaxis ſucceſſerant ſigna et ſtatuae deorum, neceſſitas obtinuit, vt ſymbolica ratione vterentur in diis ſeu ab Aegyptiis, Phoenicibus, Thracibus, adſciſcendis ſeu nouis religionibus condendis; Poſtulabant quoque eandem operam ſacra myſtica et arcana Samothracica, Bacchica, Orphica, Eleuſinia; ritibus variis cumulata, qui et ipſi erant ſymbolici: etenim ſol-

lennia iſta erant dramata, hoc eſt, res ſymbolicas exhibentia vt facta ac geſta, *δρώμενα καὶ δεικνύμενα*; vnde quoque factum eſt, vt religiones omnino meris ritibus et caerimoniis continerentur. Sermo quoque ſymbolicus in myſteriis principatum tenuit; etiam tum, cum verba propria iam in vſu verſabantur; Etiam vaticinia et oracula luſibus ex ſymbolorum ambiguitate petitis conſulentes ludificabantur: Intacta tamen manſere per complures aetates vt artium, ita litterarum et philoſophorum ſtudia, quamdiu ſenſus veri, honeſti et pulchri, humanitati meliori a natura inſitus, in melioribus Graecorum ingeniis eſt ſeruatus; quo corrupto vel extincto, ad barbariem ruunt ingenia mortalium, nulla ſuppetente ope ſatis valida ad res in priſtinum ſtatum reſtituendas.

# PROLVSIONES

## INDICENDIS CERTAMINIBVS LITTERARIIS ACADEMICIS SCRIPTAE.

Certaminum litterariorum iuuentutis noſtrae academicae, ſuperioris ſaeculi anno LXXXIV. inſtitutorum, et praemiorum perſolutorum, indictiones publicas appoſueram in ſuperioribus voluminibus: in *Volumine* quidem *tertio* annorum LXXXV — LXXXVII., in *quarto* annorum LXXXVIII — XCV., in *quinto* annorum XCVI — MDCCCI. Reſtant itaque vulgata de his certaminibus programmata, a me quidem ſcripta, annorum ſaeculi huius II — VII. quandoquidem anno ſequenti conſultius viſum eſt, operam hanc vtilem admodum et honorificam collegae Mitscherlichio mandatam, a me deponi: continuatam a me per annos XXIV. Cum ad annales noſtros academicos condendos haud parum interſit, vt horum certaminum memoria ſeruetur, nolui committere vt poſtremae hae VII ſcriptiones in opuſculorum recenſu deſiderarentur. Me quidem, cum haec in manibus haberem, haud vno modo affectum animo ſenſi, cum nomina multorum praeclarae ſpei iuuenum recitata a me relegerem, qui ab eo inde tempore grauiſſimis muneribus et honoribus ſunt admoti,

admoti, meritis quoque ſuis clari: quique et nunc nomina ſua relegi laetabuntur: ita vt de vtilitate huius inſtituti nulla dubitatio eſſe poſſit.

Eſt in his commentatio, *de Alexandro M. id agente, vt omnem terrarum orbem commerciis mutuis iungeret:* Proluſioni *quartae* adiecta.

Adiectae quoque *duae Memoriae* ſeu Elogia, *in obitu* Car. Wilh. Paetzii Prof. et Georgii L. B. de Asch, ſcriptae a. cIↃIↃcccvii.

---

I.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IOHANN. TOBIAS MAYER
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS CIƆIƆCCCII.
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI CIƆIƆCCCIII.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Reuolutis menſibus et diebus redierat quarto Iunii die iterum feſta lux, qua natalem Regis noſtri Indulgentiſſimi celebrauimus *a*). Exege-

*a*) A. saeculi II. pace ad Ambianum facta M. Martio.

Exegeramus a multis inde annis hunc diem in rebus ambiguis et incertis, inter metus ac terrores hilaritatem publicam infeſtantes; neque tot malorum et calamitatum proſpiciebamus finem; quoties enim animis reputabamus, quorſum proceſſura eſſent haec irarum et odiorum certamina, hi furores ac mutuae clades, opibus populorum exhauſtis, vel attritis, iuuentute caedibus ac praeliis, proſcriptionibus, morborum contagiis, exhauſta, cultu terrarum ſublato, ſolitudine per agros latrociniis infeſta, commerciis populorum partim interceptis partim in expilationem eorum, qui pacis bona retinebant, conuerſis, verbo, omnibus vbique ad res euertendas, iuris rectique expulſionem, morum religionumque abrogationem feſtinantibus; vt non iam de imperio et dignitate, de ſalute et incolumitate, verum de ipſa humanitate bellari appareret; haec quoties reputabamus, etſi prouidentiae diuinae confidendum eſſe perſuaſum habebamus, attoniti tamen et defixi in rerum perditarum conditione, ac ſi conclamatum eſſet, haerebamus, oculis tanquam praeſtrictis et animis faſcinatis. Ecce vero, antequam res ad extrema belli internecini deueniſſent, et maturius, quam vlla mentis perſpicacitate proſpici poterat, conuerſis repente potentum conſiliis, arrepto quaſi et in aliam partem deflexo gubernaculo, reſpublica Europae, tanquam iamiam voragine maris hauriendum nauigium, e naufragio eſt ſeruata, redditaque pax, ſaltem furoris mutui intermiſſio reſarciendis damnis mutuis idonea. Eo enim res adducta eſt, vt per multos annos non tam de

nouis

nouis populorum commodis, nouis bonis parandis, aut priſtinis locupletandis ſit cogitandum; verum vt eo tantum prudentum conſilia ſint conferenda, quo malorum, quibus oppreſſi vix animam ducunt populi, ſumma minuatur, damna reparentur, donec in eum aliquando ſtatum iterum deducantur res, in quo populi, iam tum ſatis afflicti et attriti, vitam ſaltem tolerabilem agebant.

Haec cum ſit plerorumque Europae populorum conditio grauior leuiorue: etſi belli calamitatibus terrae Hannoueranae haud intactae manſere, ipſa tamen belli procella noſtras res haud correptas penitus euertit; quod autem ad rempublicam noſtram litterariam attinet, ſalua ea et incolumis ſeruata eſt; quid? quod etiam multis in partibus illa in mediis belli tempeſtatibus effloruit, multa incrementa litteraria et decora noua accepit, nec vlla in re ſtudiorum et officiorum curſus eſt turbatus. Quod ſi recordamur, per decem hos annos aliquoties de Academiae noſtrae incolumitate modo metuendum fuiſſe, modo depulſa pericula gratulandum: fatendum eſt, ſingulari aliquo beneficio diuino hanc Academiam bonis litteris tanquam propugnaculum et arcem in his terris eſſe deſtinatam, vt eſſet earum refugium tutum, vnde illae iterum, ſecuritate publica reſtituta, ad alias terras ſe effunderent. Et ſunt viri prudentes inter Gallofrancos, qui ex Germanicis terris, in quibus per quietum rerum ſtatum litterarum incrementa facta ſunt, ſibi nunc petenda eſſe videant ſtudiorum ſuorum noua fomenta. Quibus de rebus cum gratulandum nobis ſit, agedum, omni

ope

ope elaborandum nobis eſſe cogitemus, ne tantis bonis noſtris indigni videamur, ne aut poſteritas, aut praeſens aeuum, et exterarum terrarum homines, qui his litterarum copiis priuatos ſe viderunt et adhuc vident, ne illi cum indignatione pronuntient: inter tanta haec prouidentiae munera, quae in Academiam Georgiam Auguſtam fuere cumulata, litterarum hoc vel illud genus, hanc vel illam diſciplinam, ab iis, qui eam excolere et perficere debebant, quique in illuſtri hoc loco conſtituti, omnibus copiis bene inſtructi, operam ſuam collocare feliciter poterant, eſſe neglectam, ſplendore ſuo priuatam, nec ad eam lucem adductam, quo adduci ea facile potuiſſet, niſi ſtudium, fides et ſacramenti, quo adſtricti ſumus, religio defuiſſet. Quotus enim quisque noſtrum, quoties perpendit et deliberat, quid ſibi in ea ſtatione, in qua collocatus eſt, agendum moliendumue ſit, non ſaepe ad animum reuocabit et apud ſe dicet: enitar vero omni ope, vt partes meas expleam; quid enim? "ſi, vna alteraue aetate poſt mortem meam elapſa, ii, qui tum ſuperſtites erunt, praeſentium temporum ſtatum litterarium recognoſcent, et erit aliquid, de quo illi pronuntiare poſſint, me in vna vel altera re officio meo defuiſſe, eaque ipſa incuria me bonum aliquod Academiae mea opera ac ſtudio praetermiſiſſe, litterarum genus, quod mihi vt ornem et amplificem, mandatum eſt, mea culpa deperiiſſe, honorem eius et dignitatem deminutam eſſe, meaeque operae in ornanda ſparta mea deſiderium aliquod memorabile deprehenſum eſſe:

incole-

intolerabilem equidem vitam eſſe ducerem, ſi quid eſſet eius modi, quod mihi metuendum eſſe putarem." Hoc ſenſu, hoc iudicio, Patres Academiae, haud dubito nos omnes animatos pariterque ductos eſſe; neque officio ſuo quenquam ita defuturum eſſe, vt poſteritati iuſtam cauſſam de ſe conquerendi, inertiam et ſocordiam accuſandi, et memoriam damnandi, relinquat. Similibus curis agitatos et incitatos fuiſſe putabimus viros illos, quorum laudibus creuit Georgia Auguſta, heroes illos litterarios, Halleros, Roedereros, Brendelios, Zinnios, Moshemios, Heumannos, Gesneros, Böhmeros, Michaeles, Gattereros, Käſtneros, cum aliis, quos enumerare ſi vellemus, taedium faceremus. Debet autem hoc infixum eſſe animis, non latere alias academias, alias terras, homines, ipſam multitudinem, ſi quis munere ſuo in hac noſtra litterarum ſede cum fide et laude ſecusue fungatur: non noſtram Academiam adeunt, vt olim, tantum illi, qui tirocinium in litteris poſituri ſunt; immo vero, magna ex parte, viri peracto iam aliis in Academiis curriculo, apud nos aut vltimum decurſum facturi, aut expoliendis perficiendisque ſtudiis ſuis et profectibus operam daturi; hi de noſtris litteris, ſtudiis, naeuis et laudibus cognoſcere ac diſpicere poſſunt, famamque de nobis ad alias terras perferre ſecundam vel ſiniſtram: quis autem de ſe ad exteros manare vellet famam: per ſe ſtetiſſe, ne Academiae noſtrae exiſtimatio eſſet integra, et omnibus numeris abſoluta.

Ad famam laudemque Georgiae Auguſtae in externas oras perferendam haud parum profuit hoc ex regia munificentia inſtitutum certamen litterarium, iis conſtitutum, qui profectuum ſuorum periculum facere primumque induſtriae ſpecimen volunt proponere. Inſtitutum praeclarum: ſi modo recte eo vti volent ii, qui ad certamen ſunt acceſſuri; non enim inſtituti conſilium eſt, vt cruda ſtudia in forum protrudantur; non, vt, ſi Quintiliani verbis vti licet, tanquam immatura adhuc vindemia, quicquid eſt acerbum, proferatur; non, vt fundamenta impudentiae iaciantur; et, quod eſt vbique perniciosiſſimum, praeueniat vires fiducia; verum, vt, antequam in arcam procedat, ſui quisque ingenii ſuaeque doctrinae in vmbra experimentum facere queat, nec, niſi illa iam vbertatem habeat ſatis magnam, vt iudicari poſſit de prouentu aliquando in vita publica priuataque futuro, ſtudiorum ſuorum fructum promat.

Haec atque his ſimilia cum in corona coetus academici eſſent pronuntiata ab eo, cui partes mandatae ſunt *b*), vt publice iudicia Ordinum academicorum de ſcriptis, quae in certamen litterarium a ciuibus noſtris confluxerunt, praeconio ſuo nuntiet, proceſſum eſt ad ipſam enarrationem certaminis, et ad exponendos ſucceſſus, quos concertantium ſtudia habuere. Accipite igitur, Commilitones, quale primo loco

Iudicium *Ordinis Theologici* de commentationibus ipſi exhibitis fuerit:

«Poſtu-

*b*) *Profeſſore eloquentiae.*

"Poſtulauerat Ordo Theologorum, *vt inſigniores conuerſiones, quas Theologia moralis ſeculo decimo octauo experta eſt, deſcriberentur et a cauſis ſuis repeterentur.* Duae nobis oblatae ſunt commentationes, altera inſignita verbis *Ammonii* in decem categorias Ariſtotelis:

> ὁ εξηγουμενος οφειλει κριτης απαθης τῶν λεγομενων ὑπαρχειν· και πρωτα μεν την διανοιαν του αρχαιου σαφηνιζειν, και ἑρμηνευειν τα αυτω δοκουντα· επειτα την παρ᾽ ἑαυτω επιφερειν κρισιν.

altera verbis *Quinctiliani:*

> *Modeſte et circumſpecto iudicio de tantis viris pronuntiandum eſt, ne, quod plerisque accidit, damnent, quod non intelligant.*

"Prima commendabat ſe admirabili induſtria et partium diſpoſitione egregia, cauſas conuerſionum ſedulo indagabat. diuerſorum ſyſtematum rationem et ingenium ſubtiliter exponebat, ipſamque doctrinae moralis in ſcriptis popularibus et aſceticis, et in moribus chriſtianorum vim et effectum attingebat. totamque quaeſtionem propoſitam exhaurire videbatur. Altera eminebat orationis puritate et ornatu, modeſtia amabili, ipſius diſciplinae morum cognitione eximia, lectione ſelecta et curata, iudicio ſano et circumſpecto, atque Introductione viam ſibi ad hiſtoriam conuerſionum Theologiae moralis enarrandam parabat et muniebat. In tot ac tantis et tam aequalibus virtutibus concertantium, Ordo Theologorum non auſus eſt iudicare, cui ex ambobus praemium regium decernendum ſit. Si prima commentatio vna virtute vincere videbatur, ſecunda vincebat alia.

Si

Si prima maculis et vitiis nonnullis laborare videbatur, ſecunda laborabat aliis. Si iſta nimium videbatur dare et praeſcriptos limites transgredi, haec nonnullas quaeſtionis partes negligebat vel attingebat tantum, aliis diutius immorabatur. Vtramque igitur commentationem praemio dignam eſſe iudicauimus, et, permittentibus atque munificentiſſime largientibus viris illuſtribus, qui auguſtiſſimo Regi ſunt a conſiliis intimis, ſuum vnicuique concertantium praemium regium totum et integrum decernimus, et hancce ſententiam non ſine inſigni animi pietate et voluptate pronuntiamus."

Solutis inde ſchedularum, quibus nomina inſcribi ſolent, vinculis lectum eſt, *prioris* quidem verbis graecis inſcriptae,

Io. Horn, *Verdenſis*,
*Seminarii Regii Philologici, Seminarii Regii Homiletici, Societatisque Gottingensis priuatae litteris humanioribus addictae et Helmstadiensis Teutonicae sodalis.*

poſterioris:

Philippus Conradus Marheinecke, *Hildeſienſis.*

"Praemium *homileticum* propoſitum erat oratori ſacro, qui optime verba facturus eſſet publice, praeeunte diuo Paulo 1 Timoth. c. I. v. 5.

*De vinculo, quod inter fidem et virtutem intercedit, arctiſſimo.*

*Von der Unzertrennlichkeit des Glaubens u. der Tugend,*

Concertauerunt de praemio in vniuerſum *ſermones quatuor*, quorum

*primus*, verbis Ciceroni inſignitus,
*fieri potest, vt fallar,*

 multa

multa continebat bene et egregie dicta, dignus omnino, qui coram concione haberetur, niſi fidem, quam libri ſacri omnis religionis et virtutis fontem eſſe docent, verſa vice ab officii et virtutis natura deriuandam eſſe putauiſſet auctor; qua quidem ſententia vel in ſecunda orationis ſuae parte transuerſum abreptus eſt. Cauit, ne in tantantas ſe difficultates induceret,

*orator ſecundus*, Schilleri ſententiam praeferens:
***den himmlischen Glauben bewahre!***

qui de ſumma orationis ſibi propoſita breuiter quidem, ſed apte et clare expoſuit, ita ſaltem, vt auditoribus, ſi non plane ſatisfecit, perſuadere tamen inciperet feliciter. Maiorem notionum et argumentorum molem congeſſit auctor,

*orationis tertiae*, dicto Iacobi inſignis:
*βλέπεις, ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις·*

ea tamen ſedulitate, quae nonnunquam a fine propoſito aberrauit et neglecti ornatus linguae inuidiam non effugit.

In *vltimo*, qui auditores ſuſpenſos tenuit, ſermone, Ioannis epigraphe claro:
*Αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν·*
multa quidem occurrebant profunde cogitata; deſideratus tamen eſt ordo, qui meditationi et memoriae lucem adfert, et quo oratio ſacra inprimis caret aegerrime.

Subductis rationibus praemio dignus iudicatus eſt auctor orationis ſecundae:

AUGUSTUS PHILIPPUS PETRI, *Hannoueranus*,
*Seminarii Homiletici Sodalis:*

proxi-

proxime autem ab illo abeſſe exiſtimatus eſt:

Dietericus Augustus Guilielmus Tappe,
*Hannoueranus.*

Ordo *Iureconſultorum* deſiderauerat:

*Vt exponeretur nexus inter ſucceſſionem ab inteſtato et querelam inofficioſi teſtamenti, ita quidem, vt quatenus ab illa ad hanc argumentum duci poſſit, definiatur.*

"Concertarunt hac de re quinque commilitones his diſtincti ſymbolis:

I. *O curas hominum! quantum est in rebus inane.* Juvenal.
II. πετομαι ελπισι. Sophocl.
III. *Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est.* Ulpian.
IV. *Pia est causa.* Virgil.
V. *Magis in studiis timor, quam fiducia decet.*

"Quae *tertio* et *quinto* loco nominatae ſunt commentationes, reliquis palmam dubiam reddere non potuerunt, quoniam in vtraque doctrinae ſtudium et ingenii acumen multo quidem magis, ac in reliquis omnibus deſideratur, praetereaque diſſertatio *tertia* quaeſtionem ipſam nimis leuiter tractat, et *quinta* neglecto die exhibitionis longe ſerius, quam oportuerat, tradita eſt. Quamquam autem in tribus illis, quae reſtant, commentationibus plura reperiuntur, quae ſubtiliori iudicio ponderari, aut maiori in luce collocari debuiſſent, omnes tamen tanta eruditione tantoque ſtudio compoſitae ſunt, vt vnaquaeque praemio digna videri poſſet, ſi ſine aemula ſpectaretur. Inſtituta autem comparatione intellectu haud fuit difficile, commenta-

tionem *primo loco* nominatam doctrinae copia et ſubtilitate vinci ab illa, quam *ſecundo loco* indicauimus, hanc vero cedere illi, quae *quarto loco* memorata eſt. In hac enim, quae ad rem pertinent, non ſolum ſumma diligentia conquiſita, verum etiam magna iudicii ſagacitate adornata, iuſtoque ordine et ſermone ſatis culto propoſita ſunt. Quae cum ita ſint, vnanimi arbitrorum conſenſu praemium regium addictum eſt auctori commentationis quarto loco poſitae, cui praeſcriptum eſt elogium:

*Pia est causa.*

Huic vero eam, quam *ſecundo loco* Sophoclis verbis inſignitam, et vtrique illam, quam *primo loco* Iuuenalis ſententia diſtinctam nominauimus, proxime accedere iudicatum eſt.

Victricis commentationis auctor, reſignata ſchedula editus eſt

Eduardus Schrader, *Hildeſienſis.*

Ab *Ordine Medicorum* ad concertationem propoſita erat:

*Accurata, et obſeruationibus ac experimentis nixa hiſtoria effectuum caloris et frigoris externi in corpus humanum viuum.*

"Exhibitae ſunt ſcriptiones tres, his notis inſignitae:

I. Ὁμως τολμητεον και ζητητεον το αληθες. ει γαρ και μη τυχωμεν αυτου, παντως δηπου πλησιεστερον, η νυν εσμεν, αφιξομεθα. Galen.

II. *Fructum studiorum viridem, et adhuc dulcem, promi decet, dum venia et spes est, et paratus ſauor; et audere non dedecet.* Quinctilianus.

III. *Calor et ſrigus duae manus sunt, quibus praecipue operatur natura.* Baco.

*Tertiae*

*Tertiae* huius commentationis auctor ſuccincte et probe expoſuit ea, quae quaeſtionem expedire poſſent; nec tamen ea cum induſtria ſtudiique intentione, qua reliqui duo; quorum *is, qui graece inſcripſit commentationem*, diſpoſitione conſiderate facta, perſpicuitate, et lectione diligente et accurata ſe commendat; comparauit quoque ſedulo, intelligenterque et modeſte examinauit opinionem in ſcholis medicorum nuper diuerſis iudiciis agitatam de caloris et frigoris vi in corpus humanum; idemque iudicium ſuum ſubſtruxit coniectura admodum acuta. *Altera* commentatio verbis *Fructum ſtudiorum viridem* etc. ſignata, et rerum momentis potioribus plerisque cum iſta conuenit, nec diligentia curaque cedit; ſubtilius tamen in alia quaeſtionis capita inquiſiuit, inprimisque in caloris temperamentum varium ex coniunctione cum materiis quas ponderabiles vocant, per quas calor corpori communicatur. Occurrunt praeterea in libello plura, etſi in quaeſtione diſerte haud comprehenſa, ex ea tamen ſponte manantia, haud vulgaria ab auctore ſcite obſeruata, et, ſi qua ſunt de quibus monendum eſt, ſunt ea minoris momenti. Comparatione itaque vtriusque commentationis inſtituta, cum non ſatis liqueret, vtri Commentationi praemium eſſet aſſignandum, ſubventum tandem eſt fluctuantibus Ordinis iudiciis liberalitate regia, et pro vno praemio hac vice decreta ſunt praemia duo, quorum *alterum* commentationi inſcriptae verbis: *Fructum ſtudiorum viridem* obtigit: cuius auctor recitatus eſt:

Guilielmus Fridericus Baur, *Allendorpinus,*
*Societatis Scient. Physicarum priuatae Gotting. Sodalis;*

alterum Commentationi *graecis verbis* inſcriptae, cuius auctor eſt:

Carolus Ferdinandus Becker, *Paderbornenſis,*
*Soc. Scient. Phys. priuatae Gotting. Sodalis Ordinarius.*

A *Philoſophorum Ordine*

quaeſtio in annum ſaeculi ſecundum propoſita *ordinaria* erat haec:

*Vt contexeretur hiſtoria doctrinae Graecorum ac Romanorum philoſophorum de ſtatu animarum poſt mortem.*

"Non niſi vna commentatio Ordini oblata eſt, verſu Homerico inſcripta:

*Ω ποποι, η ρα τις εστι και ειν Αιδαο δομοισι ψυχη και ειδωλον.*

quae tamen lectione et doctrina, ex ipſis fontibus inſpectis hauſta, graecarum latinarumque litterarum notitiae veſtigiis haud obſcuris, iudicii quoque acumine, Ordini ſe approbauit; etſi ſint in ea, quae emendatiora eſſe vellemus, partim in oratione latina, quae diligentiorem curam deſiderat, in diſpoſitione partium, et in otioſa in nonnullis copia, cum inopia in aliis magis memoratu dignis. Cum tamen in his pleraque ita comparata ſint, vt ea tolli aut elui poſſint, antequam prelo tradita fuerit commentatio: praemio quaeſtioni conſtituto ſtudium auctoris ad maiora excitare decreuit Ordo philoſophicus.

Aperta ſcheda lectum eſt nomen:

Carol. Ludov. Struve, *Holſatus,*
*Seminarii Philologici Sodalis.*

Ex

Ex ſuperioribus annis reſtabant adhuc praemia duo ſuo tempore haud perſoluta: ad haec conſequenda *quaeſtiones duae extraordinariae* in hunc annum erant euulgatae:

Altera vice altera propoſita:

*Vt ex ingenii humani diuitiarumque ipſarum natura, atque ex hiſtoria tam antiqua quam recentiore, declaretur: quam vim habuerit, quosque effectus, tam bonos quam nociuos, morales, politicos, atque phyſicos, metallicarum diuitiarum eminens, reſpectu ad alias gentes minus opulentas habito, affluentia; ſiue ſit ſubito, ſiue pedetentim, quibuscunque de cauſſis, exorta.*

Non ignorabamus, quaeſtionem ita eſſe comparatam, vt deſideraret ingenium iam exercitatum, iudicium paullo maturius et ſtudii aſſiduitatem in diſciplinae genere ab haud multis frequentato. Reddita eſt vna ſcriptio cum verbis: *Auri ſacra fames:* in qua lectionem librorum in hoc genere principum diligentem, prudentem et acutam, intenta cura ac cogitatione inſtitutam agnoſcimus ac probamus; ea autem deſideramus quae ex hiſtoriarum penu erant promenda. Ipſae res, de quibus agitur, deſiderabant ſermonis Latini copiam ac facultatem haud vulgarem; quam auctori defuiſſe aegre tulimus; veniam tamen ex ipſa argumenti, in patrio ſermone tractari, non ex antiquioribus ſcriptoribus erui ſoliti, indole petendam eſſe, facile intelleximus. Itaque praemio auctoris induſtriam ornare placuit.

Reſignata ſcheda pronuntiatum eſt nomen:

FRIDERICUS JUNCKER, *Badenſis.*

Altera quaeſtio extra ordinem pronuntiata erat:

*Vt deſcriberetur peninſula Arabum geographice ex Abulſeda, ita vt Abulſedea deſcriptio commentario perpetuo illuſtraretur.*

Doctae huic quaeſtioni docta obtigit commentatio, cum lemmate:

*Quod totum non scitur, tamen neque totum praetermittatur;*

quae Abulfedae verba ſunt. Eam tanto lubentius pronuntiamus votis noſtris ſatisfeciſſe, quanto propius illa accedit ad exempla olim in Hartmanni Africa Edriſii et Wilkenii hiſtoria bellorum in Orientem a Chriſtianis cruce ſignatis ſuſceptorum ad imitandum propoſita. Ipſa commentatio cum iudicio ſubacto et doctrina haud vulgari elaborata commentarii in Abulfedam locum occupat, ordinem rerum meliorem in ipſam Abulfedeam Arabiae deſcriptionem intulit, magno cum fructu legentium; criſin in ipſis verbis, quantum ſine codicibus manuſcriptis fieri potuit, adhibuit ſalubrem; interpretationem emendatiorem; rerum illuſtrationem prudentem, doctam et fructuoſam: inque his, etſi in magnum volumen excreuiſſe videri debet, libellus, non tamen temerariae profuſionis reprehenſionem admittit. Hanc itaque, dignam praemio, commentationem honeſtiſſima quoque laude lubentiſſimo animo proſequimur.

Aperta ſchedula prodiiſſe vidimus nomen:

CHRISTOPHORUS ROMMEL, *Haſſo-Caſſellanus, Seminarii Regii Philologici Sodalis.*

Mira-

Mirabimini, Commilitones, rei nouitatem, quomodo tandem euenerit, vt extra ordinem praemia tanto numero diſtributa ſint. Videlicet duae propoſitae erant extra ordinem quaeſtiones ab Ordine philoſophico; et, cum duae commentationes ad quaeſtionem Theologici Ordinis, vtraque praemio digna, exhibitae eſſent, ſcitote, tantum fuiſſe ſummi in his terris rerum adminiſtrandarum Senatus liberalitatem, vt extra ordinem alterum praemium adiungeret; ſimilis munificentia obtigit *Ordini Medicorum*, vt, dum de praeferenda alterutra commentatione praemio digna, incertus haereret, vtrique praemium aſſignare ille iuberetur.

Videtis, Commilitones, quae praemia maneant ſtudium intentius in bonis litteris poſitum. Nec tamen aut vos, quibus tam felicibus eſſe contigit, vt illa reportaretis, aut alii omnem operae diſciplinis ingenuis impenſae fructum et dignitatem ex hoc fortunae beneficio aeſtimate; immo vero vitae bonis litteris conſecratae, nominatimque curriculi academici ex praeſcripto in ſolidiore doctrina exacti, reputate praemia conſtituta eſſe maxima et ampliſſima alia, in conſcientia virtutis, conſiliorumque rectorum, quae ſequuti eſtis, et maturorum aliquando fructuum ex academia reportatorum, tum, vbi in patriam redieritis, ex iudiciis eorum, qui exploratione facta de veſtris profectibus bene augurabuntur vosque ad munera publica obeunda, eorumque praemia, dignitatem et amplitudinem euehent.

Vt vero alii in poſterum annum ſimile ſuarum ingenii facultatum et ſtudiorum experimentum faciant:

faciant: nouas accipite quaeſtiones in annum ſaeculi tertium propoſitas.

ORDINIS THEOLOGORVM
pronuntiata eſt in annum ſaeculi III.

Quum de *pleromate* multa occurrant in libris ſacris: digna eſt, quae iterum exagitetur, *quaeſtio de gnoſi biblica.* *Inquiratur* itaque *in gnoſeos ſacrae veritatem, eius notiones vniuerſas, cum in Vetere tum in Nouo Teſtamento et apocryphis, totiusque doctrinae nexum cum ſententiis eorum, quos Gnoſticos adpellat hiſtoria eccleſiaſtica ſaeculi primi et ſecundi.*

Quaeſtio *homiletica.* Ex loco 1 Cor. VIII, 7. exponatur:

*Quantopere nobis a iudicio conſcientiae erroneae cauendum ſit.*

*Wie ſehr wir uns vor den Ausſprüchen eines irrenden Gewiſſens zu hüthen haben.*

ORDINIS IVRECONSVLTORVM quaeſtio:

*Exponantur principia de re iudicata, eiusque effectu, in cauſſis criminalibus, vt et de remediis, quae contra ſententias criminales competunt.*

ORDINIS MEDICORVM:

*Quaenam metuenda ſunt detrimenta, ex neglectu doctrinae medicae criſium in morbis oriunda.*

ORDINIS PHILOSOPHORVM:

*Deſcriptio Caucaſi, ſeu, regionum inter Nigrum et Caſpium Maria, Armeniam et Campos Siracicos, patentium, gentiumque Caucaſiarum,* ex Strabone *lib. XI. comparatis ſcriptoribus recentioribus, inprimis*

*mis Güldenſtädt et Reineggs, qui de his terris accuratius expoſuerunt.*

Pronuntiatis his quaeſtionibus ſubiungendae ſunt iterato conditiones conatibus in iis tractandis praeſcriptae. Primo, vt videatis, Commilitones, ne ſtudiorum veſtrorum rationes turbetis, aut curriculum academicum importune et temere interrumpatis, nec praecocia nimis ſtudia ad hanc operam protrudatis; nec niſi nouiſſimis curriculi academici ſtadiis ad hoc experiendarum virium genus accedatis. Porro ii, qui ſe accinxerint ad hanc ſcribendi exercitationem, monendi ſunt, vt ſibi non, niſi quae ipſa rei expoſitio, demonſtratio et probatio poſtulant, ſcripto comprehendenda eſſe ſtatuant; a vulgaribus et ſatis notis et nimis generalibus ex doctrinae compendiis repetendis, nec non a locis vndecunque compilandis, abſtineant; parum neceſſaria non niſi per ſummam attingant, et in rerum cardine ſibi operam ponendam eſſe cogitent; ne in tantam molem, quantam ſaepe vidimus, excreſcant ſcripta inutili copia laborantia; praeſcripti memores, haud in cenſum porro admittendam, ſaltem non typis excudendam eſſe commentationem, quae vltra ſex plagulas prelo excuſas temere excurrat. Tandem latinae dictionis puritatem et proprietatem eſſe ſeruandam, ne barbariſmis et ſoloeciſmis foedatae ſcriptiones faſtidium faciant. Altera ex parte perſuaſum vobis habetote, veniam et ſpem et fauorem veſtris conatibus, etiam ſi ſucceſſus non omni ex parte reſponderint, eſſe paratum.

Reſtat,

Reſtat, vt, quae in huius diei ſollennibus ſollennia vota ſuſcepta ſunt, nunc quoque iterum nuncupemus pro Rege et omni republica. Votorum quidem noſtrorum ſuperioribus annis rite ſuſceptorum damnati ſumus in hoc, quod Regi Optimo ea felicitas obtigit, vt bellum truculentiſſimum et exitioſiſſimum compoſitum ipſe adhuc videat, et ſtudia ſua ac conſilia in pace redintegranda ſucceſſu fortunata eſſe laetetur. Quod igitur augurabamur, fore, vt Pacatoris Europae omniumque terrarum nomen eum aliquando exciperet, hoc iam euentum habuiſſe exultamus. Vtinam tantae felicitatis fructus ei maneat integer et illaeſus vsque ad extremos vitae humanae annos! Acceſſit laetandi hoc die ſollenni cauſſa alia, quod expectatus diu aduentus Principis e ſtirpe Regia Sereniſſimi, *Adolphi Friderici*, *Ducis Cantabrigienſis*, in has terras fauſtis auſpiciis factus nuntiatus eſt; quibus plauſibus totius populi ille exceptus ſit, narrari vix poteſt; quantam eſſe neceſſe eſt laetitiam et gratulationem noſtram in reditu ad has terras Principis deſideratiſſimi, Georgiae Auguſtae dilectiſſimi olim alumni, nunc praeſidii et decoris ſummi, quo nos maiore modo ſi gloriamur, nos recte meritoque id facere etiam inuidentiſſimi fatebuntur. Exoramus numen O. M. vt, cum pace Europae reddita, cumque reditu Sereniſſimi Principis, antiqua terrarum Hannoueranarum proſperitas, per bellorum contagem valde attrita et imminuta, nobis reſtituatur, vtque iſte reditus bonum ſit augurium boni frugum prouentus, ſolidae tranquillitatis, fortunaeque ſtabilis pacisque ſecurae.

Proſperet

Proſperet numen curas et conſilia eorum, qui in ſummis dignitatibus conſtituti noſtris rebus provident; fortunetque ſtudia noſtra in tuenda Georgiae Auguſtae dignitate occupata, vna cum veſtris, Commilitones, ſtudiis in fingendis locupletandisque ingeniis, copiis doctrinae fructuoſae parandis, et animis ad recta conſilia, virtutes, vitam, futurasque munerum vices, rite informandis collocatas. Ita vere locum habebit quod poeta ait: *ſunt hic ſua praemia laudi!* hoc eſt virtuti ac merito. Vt enim propitium numen ſucceſſus det proſperos: primo loco, vt iis digni habeamur, allaborandum eſſe intelligitis.

P. P. in Georgia Auguſta M. Iunio cIↃIↃccciI.

II.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GEORGIVS FRID. DE MARTENS
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS CIƆIƆCCCIII.
REGIS NOSTRI INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI CIƆIƆCCCIV.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Ab *Ordine Theologorum* propoſita erat quaeſtio: *Quum de pleromate multa occurrant in libris ſacris; digna eſt, quae iterum exagitetur, quaeſtio de gnoſi biblica.*

*biblica. Inquiratur itaque in gnoſeos ſacrae veritatem, eius notiones vniuerſas, cum in vetere, tum in nouo teſtamento et apocryphis, totiusque doctrinae nexum cum ſententiis eorum, quos Gnoſticos adpellat hiſtoria eccleſiaſtica ſeculi primi et ſecundi.*

"Incurrebat in oculos, omnem quaeſtionis ambitum in tres deſcribendum eſſe partes; primam *philoſophicam*, vel criticam, quae ambiguam gnoſeos notionem ad certos limites reuocaret; alteram *exegeticam*, quae loca ſcripturae ſacrae, quibus ea Deum, mundum, Chriſtum, ipſamque adeo eccleſiam, implere dicitur, excuteret, et cum gnoſeos, vel emanatismi placitis contenderet; poſtremam denique *hiſtoricam*, quae in Gnoſticorum eccleſiae primaeuae doctrinam, eiusque cum ſcripturae ſacrae imaginibus dictisue nonnullis nexum, inquireret. Monitum erat in praelectionibus:

*Quanto exquiſitiori ad hanc quaeſtionem feliciter tractandam opus ſit doctrina, eo maiorem gloriam exſpectaturam eſſe victorem.*

Hanc itaque ſententiam, quae concertantium aemulationem excitare atque incendere, non autem reprimere vel exſtinguere debebat, prae ſe ferens, vnus tantum fuit e commilitonibus, qui, victoriam ſine puluere reportaturus, in arenam deſcenderet. Diſputauit nimirum, in prima praeſertim commentationis ſuae parte, de gnoſi in vniuerſum, copioſe atque docte, eaque ſpem praebuit, fore, vt ſecundam adhuc, atque tertiam, in quibus profligandis ardor primus aliquantum refrixiſſe videri queat, reuocata in opus inceptum diligentia, feliciter abſoluat."

Reſignata, quae addita fuit libello, ſchedula nomen prodiit Horn: idem Io. Horn, *Verdenſis*, qui ſuperioribus annis duas palmas conſecutus erat.

Ad habendam orationem ſacram praemio regio ornandam propoſita erat quaeſtio ex 1. epiſtola Pauli ad Corinthios c. VIII. v. 7. deriuata:

*Quantopere nobis cauere debeamus a iudicio conſcientiae errantis?*

*Wie ſehr wir uns vor den Ausſprüchen eines irrenden Gewiſſens zu hüten haben.*

Redditae ſunt Seminarii homiletici directori orationes quinque, quarum indoles ſingularis propediem in commentatione theodiſca recenſebitur. Poſt delectum ab Ordine factum, ſingularumque orationum, iam publice habitarum virtutes exploratas, praemio dignus iudicatus eſt:

Georgius Ernestus Plate, *Gottingenſis, Seminarii Homiletici nunc quoque Semin. Philologici Sodal.*;

proxime autem ab eo abfuiſſe decretum eſt:

Christophor. Frideric. Westphal, *Gottingenſem, Semin. Hom. antea Semin. Philog. Sodalem.*

Ab *Ordine Iureconſultorum* quaeſtio pronuntiata erat:

*Vt exponerentur principia de re iudicata eiusque effectu in cauſis criminalibus, vt et de remediis quae contra ſententias criminales competunt.*

"Exhibitae ſunt commentationes quinque, his inſignitae ſymbolis:

I. *Cedant arma togae, cedatque laurea linguae.*

II. *Neque enim laetabitur vnquam, nec moerebit nimis, quod ſemper in ſe ipſo ſpem reponet ſui.*

III.

III. Τὸ δὲ τυχεῖν,
Πειρώμενον ἀγωνίας
Παραλύει δυσφρόνων.

IV. *Satius eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.*

V. *Non tam perficiendi ſpe, quam exponendi voluntate.*

"Inter has commentationes, eam, quae ſub N. III. memorata eſt cum ſymbolo Το δε τυχειν cet., reliquas antecellere cenſuit Ordo, tum ſtudio et induſtria in conquirendis materiarum copiis, maxime ex ipſis fontibus, ſpeciatim iuris Romani, tum et iudicii acumine, et dictionis genere; quamquam nec in ea deſint culpanda, nimirum quod auctor paſſim nimis diffuſus et abundans fuerit, nominatim in tractandis remediis aduerſus ſententias criminales, contra in definiendis principiis de re iudicata eiusque effectu nimis parcus, quodque erronea nonnulla principia, circa vſum hodiernum iuris Romani, et in effingendo peculiari remedio reuocationis ex articulo 91. Conſtitutionis criminalis Carolinae, poſuerit.

Proxime ad hanc commentationem accedere viſa eſt Ordini illa, quae ſub Nr. V. cum ſymbolo: *non tam perficiendi ſpe* cet. nominata eſt. In eius auctore laudanda quidem eſt diligentia adſidua, ſcrutatio atque meditatio accurata, et apta quaeſtioni propoſitae tractationis diſpoſitio. Tamen vero haec commentatio, priori, non modo, quod ad fontium ſtudium et vſum, itemque quod ad iudicii vim attinet, ſed etiam ideo poſtponenda, quod orationis concinnitate careat, ac ſubinde ab obſcuritate, et offenſionis in alios ſpecie liberari nequeat.

Quae cum ita ſint, vnanimi arbitrorum conſenſu praemium adiudicatum eſt auctori commentationis tertio loco poſitae, cum inſcriptum eſt ſymbolum: Το δε τυχειν."

Reſoluta ſcheda apparuit auctorem eſſe

EDUARDUM SCHRADER, *Hildeſienſem,*

eundem qui iam ſuperiore anno praemio ab Ordine Iuris conſultorum ornatus fuerat.

Eius autem, qui *acceſſiſſe* ad primariam laudem iudicatus eſt, nomen eſt

FRANCISCUS BERNHARDUS GERICKE, *Hildeſienſis.*

"Propoſuerat *Ordo Medicus* quaeſtionem:

*Quaenam ex neglectu doctrinae medicae de Criſibus in morbis metuenda ſint detrimenta?*

Non niſi vna commentatio Ordini eſt reddita cum dicto: *experientia et ratio ducant.* Etſi auctor huius commentationis ad plura adhaeſit, quae cum quaeſtione haud ſunt coniuncta: ea tamen, quae ad quaeſtionem ipſam ſpectabant, docte ac ſcite expoſuit, ita vt, quid de ſumma rei iudicandum ſit, facile inde intelligi poſſit: digna itaque commentatio habita eſt, quae praemio regio ornaretur: cuius auctorem edidit ſcheda reſignata

WILHELMUM LIEBSCH, *Peina Hildeſienſem.*

*Ordinis philoſophici* quaeſtio:

*Deſcriptio Caucaſi, ſeu regionum inter Pontum Euxinum et mare Caſpium, Armeniam et Campos Siracicos patentium, gentiumque Caucaſiarum ex Strabone libro XI. comparatis ſcriptoribus recentioribus,*

*ribus, inprimis Güldenſtedt et Reineggs, qui de his terris accuratius expoſuerunt.*

Exhibitae ſunt Ordini Commentationes tres: prima cum dicto: *Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra:* ab auctore illa profecta eximii ingenii, de quo, ſi maior rerum vſus maturitatem addiderit, praeclara quaeque expectare licet, adminiculis, quae habuit, vſus eſt ſatis dextre, et expoſitione rerum ſe commendauit commoda et perſpicua. Pari fere inter ſe Marte congreſſae ſunt duae caeterae commentationes; inſignita quidem dicto altera: *Certandum eſt: nulli veniunt ſine marte triumphi; et niſi certandi nulla corona datur;* tertia autem dicto: *Tantum aeui longinqua valet mutare vetuſtas.* Iam tertia haec haud dubie loco principe eſt habenda, ſi lectionis copiam et doctrinam ſpectes; maiorem forte ac locupletiorem quam aut quaeſtio aut ordo philoſophorum deſiderabat; eruditionis igitur ſpecimen propoſuit auctor praeclarum; admiramur ſtudium ardens, euagatum vltra ea ipſa, quae ad quaeſtionem et ad Strabonis interpretationem et geographicam illuſtrationem faciebant. Diuerſam expoſitionis rerum, etſi minore cum doctrina, laudem habet commentatio ſecundo loco memorata, inſcripta: *Certandum eſt.* Quaeſtionem auctor accurate conſtitutam animo nunquam dimiſit, ſeuero cum delectu ex iis quae collegerat ea tantum appoſuit, quae ad Strabonem illuſtrandum et ad geographiam declarandam vim habere poterant; obſeruata diſpoſuit induſtrie lucido ordine, et perſpicua aptaque dictione; de commerciis Caucaſiarum gentium in fine nonnulla

 adiecit,

adiecit, quibus etſi ſint quae addi poſſint, pauca tamen reperias quae detracta eſſe malis. Probatum igitur eſt in hac ſcriptione iudicium in rerum dilectu, ſollertia in diſpoſitione et recta ac candida dictio: cenſuitque ideo Ordo ampliſſimus, has laudes, in iuuenilibus conatibus raro obuias, mereri, vt praemio ornaretur commentatio haec inſcripta *Certandum eſt;* ampliſſima tamen doctrinae et induſtriae laude relicta alteri commentationi, digniſſimae vtique quae typis excudatur. Victrix ſcriptio auctorem habet

GEORGIUM HENRICUM LÜNEMANN, *Gottingenſem,*
*Seminarii Regii Philologici Sodalem.*

Recitatis his nominibus eorum, qui palmas ac praemia reportauerant, pronuntiatae ſunt quaeſtiones ab Ordinibus Academiae in annum proximum, Saeculi quartum, propoſitae:

"Ab iis, qui de praemio anni 1804 reportando concertaturi ſint, requirit

ORDO THEOLOGORVM:

*Vt accurate examinetur ac ponderetur, quantum valoris ac momenti tum in adſtruenda veritate hiſtoriae Chriſti, tum in demonſtranda authentia et integritate librorum N. T., teſtimonia aduerſariorum, qui fidem chriſtianam, et haereticorum etiam, qui fidem catholicam in tribus primis ſeculis impugnarunt, habeant et habere poſſint.*

Orationis ſacrae autem argumentum, e loco Pſalm. XXXIII, v. 13 - 15. deriuandum, hac propoſitione continetur:

*De*

*De veritate prouidentiae diuinae e vitis clarorum, magnorumque hominum adſtruenda.*

*Von der Gewiſsheit der göttlichen Vorſehung aus dem Leben groſser und ausgezeichneter Menſchen.*

"In annum proximum ab ORDINE IVRECONSVLTORVM conſtituta eſt quaeſtio:

*Exponantur effectus actuum iurisdictionis voluntariae et mixtae in alieno territorio ſecundum principia iuris ciuilis, publici Germanici, et gentium.*

"ORDO MEDICORVM deſiderat commentationem:

*De aëre, aquis et locis Goettingenſibus.*

Ab ORDINE PHILOSOPHORVM:

*Quae ſunt ea, quibus ſyſtema dynamicum in phyſica diſciplina iure meritoque praefertur atomiſtico ſyſtemati?*

P. P. in Georgia Auguſta d. IV. Iunii cIɔIɔcccIII.

III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
# GEORGIVS FRID. DE MARTENS
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS cIↃIↃCCCIV.
GEORGII III.
PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↃIↃCCCV.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

---

Quum anno ſuperiore hoc idem ſollenne agebatur, vt conſtituta academicae iuuentuti praemia ex Ordinum academicorum ſententia diſtribue-

ſtribuerentur, multorum animos metus inceſſerat, ne vltimum illud eſſet ſollenne, quod Georgiae Auguſtae fato conceſſum eſſet. Et erat rerum, in quibus tum verſabamur, ea conditio, vt ancipiti metu trepidari poſſet. Recordantur forte, qui iſti ſollenni coetui interfuerunt, quae tum erat animorum infractio ac demiſſio, qui vultus, qui ſermones; bene meminimus et ipſi, inter quas ſollicitudines metusque, inter rerum incerta, crebros rumores, nuntios ſiniſtros, illud tempus exegimus. Copias hoſtiles terrarum Hannoueranarum fines intraſſe; noſtras copias ad arma vocatas exiiſſe; eſſe publice legatos, qui de conditionibus cum hoſte agerent, in quas ad incolumitatem terrarum Hannoueranarum conueniri poſſet; duriſſimas eas fore, cum, per fata iniqua, ab ea parte, quae armis ſuperior erat, eae dicerentur, facile poteramus augurari; de copiarum noſtratium fortuna, de virorum fortiſſimorum ſalute, anxia nos tenebat ſollicitudo. Peracta tamen a nobis ſunt eius diei ſollennia animis firmatis et ad pietatem compoſitis, ſuſceptaque ſunt vota pro patria et pro patre patriae indulgentiſſimo, cuius natali celebrando ſollenne illud erat indictum; et, quae conſtituta ſunt eius munificentia praemia, ſunt addicta merentibus et ſoluta. Proximis diebus cum nuntiatum eſſet, Hannoueram vrbem a copiis Francicis eſſe occupatam, decreta eſt legatio ad ſummum exercitus Francici in his terris ducem, virum illuſtrem, *Eduardum Mortier*, his ipſis, quos agimus, diebus inter Mareſchallos Imperii Francorum adſcriptum. Vt tanto maior legationis

eſſet dignatio, haud dedignatus eſt eam obire ipſe Prorector noſtrae Academiae Magnificus *de Martens*, cuius merita de rep. noſtra academica temporibus hisce difficillimis tanta ſunt, vt, niſi gratiſſimis animis digna laude ea praedicemus, officio noſtro ac fidei deeſſe videri debeamus; ea enim cum prudentia et induſtria commodis publicis prouidit, ea cum vigilantia et ſagacitate, quod factu opus eſſet, diſpexit, et cum celeritate, ipſo rerum agendarum articulo et momento, peregit, vt ſeruatae reip. academicae meritum haud minima ex parte eius operae, conſiliis, prudentiae, debitum ſit. Niſi enim vir grauiſſimus rerum agendarum vſu imbutus academiae gubernacula tenuiſſet, his procellis iactata resp. noſtra ſtatum tenere vix potuiſſet; quandoquidem, vrgente rerum diſcrimine, ex formula ſolita, et per conſultantium ambages et moras, nihil recte peragi poteſt; verum momento, et opportunitate oblata, e veſtigio conſilia prudenter capta ad actum ſunt deducenda et fortiter ac conſtanter perficienda. Prorectori in legatione modo memorata comes ex Profeſſorum numero delectus eſt vir illuſtris, *Blumenbach.*

Curata quidem erant iam ante hos dies alia, quae prouidis ſtudiis ad placandos deuinciendosque Francorum animos vim habere poterant; inprimisque curatum, vt ſummi Francorum Conſulis, nunc Imperatoris Francorum, propitiam haberet voluntatem academia, vtque ab eo ſecuritati et tranquillitati, noſtrarumque rerum incolumitati, iuſſu et edicto conſuleretur; horum tamen conſiliorum exitus ante plurium dierum decurſum

reſciſci

reſciſci haud poterat. Propiora loco et tempore erant ea, quae a legatis reducibus expectabantur.

Cum ita inter ſpem metumque haereremus, rediere legati Hannouera vrbe, et ſperatis laetiora renuntiarunt; admiſſi illi et excepti cum facilitate et comitate (d. XII. Iunii) a ſummo copiarum duce *Eduardo Mortier*, reſponſum et pronuntiatum acceperunt: "*Vniuerſitatis Gottingenſis dignationem habitum iri reſpectu curaque rerum omnium, quae ad eam vllo modo ſpectare poſſint;*" adiectum quoque, licere, ſi e re noſtra viſum eſſet, ephemeridibus Hamburgenſibus haec ipſa pronuntiata inſerere. Mox compertum eſt, dignationem Georgiae Auguſtae habitam eſſe tantam, vt, antequam preces noſtrae ad ſummum rerum Francicarum arbitrum eſſent perlatae, ſtatim in ipſis Conuentionis Suhlingenſis conditionibus (d. III. Iunii) quibus de ſumma rerum conſtituebatur, ſcriptum eſſet: "*relinqui vniverſitati Gottingenſi reditus quibus illa aleretur.*" Ita academiae neceſſitatibus commodisque proſpectum erat. Premebat tamen animos tacita anxietas, ne, diſpoſitis per loca idonea militum turmis, praeſidium in vrbem agrumque Gottingenſem introduceretur: quo facto verendum erat, ne de ſecuritate et tranquillitate academiae, eoque ipſo de frequentia ad nos commeantium, actum eſſet.

Iam antea per eos dies, quibus hoſtem ad fines Hannoueranos aduentare nuntiatum erat, Curatorum academiae, etſi innumeris ſollicitudinibus diſtrictorum, prouida cura, ad incerta euenta parata erant rerum noſtrarum praeſidia alia: cautum erat de penſionibus ſemeſtribus praeſenti pecunia ante diem

diem numerandis; inſtitutis publicis erat ſubuentum aſſignatis in menſes proximos erogationibus, nihilque omiſſum, quo malorum inſtantium metus minui, ingruentium leuari, damna ſarciri, ſaltem differri poſſent; aliarum rerum agendarum conſilia ſalubria erant impertita. Quae ſi animis repetimus, nam memoria excidere nunquam poſſunt, quis eſt, qui ad omnem boni rectique ſenſum adeo occalluiſſe videri debeat, vt, tanta in nos cumulata bona, virorum ſummorum tam paternam noſtri curam, recolendo, non grato animi affectu moueatur. Niſi enim tales viros noſtrae incolumitatis prouidos academia habuiſſet: verendum erat, ne inter tantos terrores omnis res academica, ſubductis iis, quibus ſuſtinenda erat, vel ipſo metu euentorum, labefactaretur.

Anxiis curis diu iactati, quae fortuna foret precum noſtrarum, Pariſios ad ſummum Conſulem, nunc potentiſſimum Francorum Imperatorem, delatarum, vna cum litteris ad alios viros gratia et auctoritate valentes, de impetranda academiae noſtrae ſecuritate et tranquillitate; ecce ſub exitum M. Iunii litterae allatae ſunt ſummi rei bellicae adminiſtri, *Alexandri Berthier*, manu ſcriptae, vna cum litteris *Eduardi Mortier*, quibus nuntiatum eſt, *a ſummo Conſule, nunc Francorum Imperatore, Academiam noſtram in tutelam reip. Francicae eſſe receptam, cumque ea omnia Academiae inſtituta et academiae Ciues; ipſum ſummum Conſulem vetare, in ſtudiis noſtris pacate et tranquille proſequendis vllo armorum ſtrepitu nos turbari;* ſignificauit ſimul ſummus copiarum in his terris dux litteris ſuis pro-

cliuem

ciuem voluntatem ad exſequendum hoc ſummi Conſulis mandatum, fecitque fidem promiſſis per totum annum, quo rerum ſummae in his terris praefuit; cognouimus quoque mite eius humanumque ingenium, cum aliquanto poſt M. Nouembri (d. XXI. XXII.) vrbem academiamque noſtram inuiſeret nobisque eius conſpectu adituque frui liceret.

Nunc itaque res noſtra academica in ſaluo tutoque verſari videri potuit; ſupererat tamen ſollicitudo de praeſidio Francorum vrbi Gottingae imponendo, militumque turmis per principatum Gottingenſem disponendis; qua ex re magnus erat metus, ne caſu conſilioue tranquillitas turbaretur victusque parandi facilitas interciperetur; nam rerum vendibilium pretia, annonae difficultatem, hoſpitiorum locaria augeri, ciuium, cumque his profeſſorum, rem familiarem atteri, aduenis militibus aedes ciuium inſidentibus, manifeſtum erat. Exemtus eſt hic quoque ſcrupulus animis noſtris infixus: impetratumque eſt, ne in terras Gottingenſes vllus eſſet copiis militum, qui ceteras terras tenebant, aditus; ſatisque factum ita votis noſtris, pro praeſenti rerum conditione; neque quicquam inde eſt detractum, niſi quod, cum, inſtigante homine ſeditioſo, eſſent, qui tributa impoſita ſoluere obſtinate recuſarent, eſſentque motus orti, ſuppeditata eſt opportunitas, vt in has quoque Principatus Gottingenſis partes copiae praeſidii loco mitterentur; prouiſum tamen eſt academiae tranquillitati, ne in propioribus vrbi locis vicis agrisque militaria ſigna conſpicerentur;

ita

ita nos calamitatis publicae, qua Hannoueranae prouinciae afflictae contabeſcunt, minima pars per totum hunc annum attigit.

Neque fortunam mutauit diſceſſus ſummi copiarum ducis, *Eduardi Mortier*, qui in Franciam rediit, nuncque ad ſummos militiae honores eſt euectus; omnia acta et commoda noſtra rata habuit, litteris ad nos datis humaniſſimis animos erexit, tum ipſa re academiae incolumitatem praeſtitit is, qui in ductu ſummo copiarum Francicarum ſucceſſit, *Deſſolles*, vir humanitate et integritate laudatiſſimus, ingenio litteris liberalioribus exculto conſpicuus. Memorandum quoque eſt aliud nomen noſtra laude digniſſimum, viri polita cultura et morum facilitate eximii, *Werle*, e praefectis ſummis copiarum Francicarum per Principatum Gottingenſem, cuius litteris, adſpectu, ſermone, mirifice nos recreatos ſenſimus: interdixit ille ſevere, et diligenter cauit, ne milites propius, quam neceſſe eſſet, ad agrum vrbis, in praeſidiis collocarentur, aut vrbem intrarent, niſi hoſpitum iure ac more, ſine omni moleſtia noſtra.

Conſtituta hunc in modum reſpublica noſtra, fortunae ſecundae aura afflante, eluctata erat haud vnius ſcopuli minas et vada: cum in aliud illa diſcrimen incidit, ingruente ab aquilone tempeſtate; qua, etiam tranquillis rebus, affligi illa potuiſſet, praeſentibus vero rebus facile tota ſubmergi videri potuit. Dum enim per Ruſſiam, ſapientiſſimi Imperatoris ſtudio et liberalitate mirabili, nouae academiae condebantur, inuitabanturque e Germania lautis conditionibus viri docti ad

nouas

nouas cathedras et profeſſiones diſciplinarum; dum porro in ipſa Germania ſubitae rei academicae viciſſitudines multis mutationibus locum faciebant: euenit, id quod facile praeuideri poterat, vt ex noſtra inprimis academia complures ſollicitarentur, vt fortunas ſuas alio transferrent. Conatuum ſucceſſus ſpem calamitas noſtrarum terrarum fecerat, propoſitis inſuper conditionibus ad ſpeciem opiparis et lautis. Metus itaque inceſſerat haud leuis, ne contubernium noſtrum vltra modum minueretur, ornamentis ſuis ſpoliaretur academia, praeferrenturque a multis noua ſpecioſa antiquis vſu probatis; et ſane, diſceſſu plurium e noſtro collegio vno tempore, eoque tam iniquo, facto, actum erat de ſplendore academiae noſtrae. Seruauit eam nunc quoque propitium numen; nam cum ſecuritas et tranquillitas academiae, ſummi Conſulis, nunc Imperatoris Francorum, iuſſu edicta, innotuiſſet, moxque ab omni praeſidii militaris metu liberati eſſemus: reſtinctus eſt impetus incerta experiundi; aliorum fides et religio academiaeque noſtrae amor aduerſis in rebus praeclare enituit. Vel ſic tamen malum longius ſerpere potuiſſet, niſi virorum ſummorum, quorum conſiliis et curis ſalutem noſtram acceptam debemus, nunc quoque prudentia admirabili effeciſſet, vt conſilia disceſſus a pleriſque abiicerentur.

His iterum recognitis, grato pioque ſenſu permoti ſummum rerum noſtrarum moderatorem deum O. M. precibus religioſe factis adoramus, et pro patria patriaeque parente ei ſupplicamus. Hanc enim libertatem affectuum noſtrorum in Regem

gem indulgentiſſimum nullo iuſſu, nullo interdicto, compreſſam aut coercitam videmus; id quod ipſa huius diei, natalis Georgii III. celebritas teſtatum fecit; pietatem noſtram erga nutritorem noſtrum palam profiteri, et cum praemiorum, quae hoc ſollenni aſſignanda eſſent, memoratione, liberalitatem quoque munifici principis, litterarum et Georgiae Auguſtae amorem, meritis laudibus praedicare, et enumerare licet, qua indulgentia, cura et caritate, eam per tot annos complexus ſit, quibus copiis litterariis, ſcientiarumque inſtrumentis, eam inſtruxerit. Quod hos ſenſus, quos natura et fides officiumque inſtillant, palam profiteri licet, hoc ad ea acceſſit, quibus Francos cultiſſimae et politiſſimae gentis nomen et gloriam merito ſibi vindicare fatendum eſt. Quo enim alio tempore hoc factum nouimus, vt inter arma et belli terrores litterarum bonarum officinis ita prouideretur, ne detrimentum caperent; contra vero, ſecuritas et incolumitas imperaretur et ediceretur, relictis intactis iis, vnde alerentur, conceſſis ſtipendiis, ſalariis, inſtitutis; quae omnia aliis temporibus in bellicos vſus verſa et conſumta, iure belli tolli et euerti ſolebant: vnde bellorum calamitatibus ne in pace quidem medela reperiri poterat.

Cum piis votis factis progreſſi ſumus ad ea, quorum cauſſa ſollenne huius diei indictum erat; recitataeque ſunt primo loco quaeſtiones ab Ordinibus academicis anno ſuperiore propoſitae, quibus qui ſcriptis traditis inter ceteros apprime ſatisfeciſſent, nunc praemia, non tam operae remune-

randae,

randae, quam incitandae induſtriae et acuendi ſtudii cauſſa, adiudicarentur.

Ab *Ordine Thelogorum*

"fuerat poſtulatum: *Vt accurate examinaretur ac ponderaretur, quantum valoris et momenti tum in adſtruenda veritate hiſtoriae Chriſti, tum in demonſtranda authentia et integritate librorum N. T., teſtimonia aduerſariorum qui fidem chriſtianam, et haereticorum etiam, qui fidem catholicam in tribus primis ſeculis impugnarunt, habeant et habere poſſint.*

"Vnus ſaltem inuentus eſt, qui diſcuſſioni non adeo quidem facili nec tamen nimis impeditae ſeſe immitteret, ſed parum abfuit, quin vnus ille, de cuius commentatione Ordini exhibita iudicium ferri poteſt, efficeret, ne plures deſiderarentur, etſi laetiſſimum nobis eueniſſet, ſi plures ipſi ſimiles in certamen prodiiſſent. Ille enim in tractanda materia ita verſatus eſt, vt non ſolum in ſumma cauſa conſtituenda, quae a multis, quod mirati ſumus, ne perſpecta quidem videtur, ſed etiam in disquirenda et diſputanda tantum acuminis atque ingenii, quantum diligentiae, eruditionis et lectionis comprobaret: quae quidem eo maiore laude digna nobis viſa ſunt, quo certius plura alia in Commentatione obuia primam iuuenis auctoris necdum ſedatae inueſtigationi adſueti operam prodere videntur. Quamuis itaque non pauca ex iſtis hac ipſa etiam excuſatione egeant, nec excuſari adeo feſtinata ſtyli negligentia ſemper poſſit, impetrare tamen a ſe vix Ordo potuiſſet, quo

 minus

minus auctorem huius Commentationis praemium etiam ſine concurſu meruiſſe pronuntiaret, niſi alia ſeſe ratio obtuliſſet, ea, quae inſtituto noſtro, quae ipſis noſtris literis, et quae auctori etiam debentur, conciliandi. Cum enim — quod honeſtiſſimum de auctore poſſumus iudicare — talis ille nobis videatur, qui non de praemio ſolum concertaturus, nec laudis modo, ſed litterarum quoque amore ardens in certamen deſcenderit, ſatis ei factum exiſtimamus, ſi viam oſtenderimus, qua et illis inſeruire, et ſe ipſum digniorem adhuc praemio poſſit exhibere: quod quidem prorogata in ſequentem annum quaeſtione, nouo certamini, in quo ipſi iterum concurrere licebit, hoc modo materiam praebitura, obtineri poſſe non nouo prorſus exemplo confidimus."

Sermonis e ſuggeſtu aedis ſacrae habendi argumentum e loco Pſalmorum XXXIII, v. 13-15. eliciendum hac propoſitione continebatur:

*De veritate prouidentiae diuinae, e vitis clarorum magnorumque hominum adſtruenda.*

*Von der Gewiſsheit der göttlichen Vorſehung aus dem Leben groſser und ausgezeichneter Menſchen.*

"Inter decem Orationes ſacras Ordini exhibitas, de quibus alio loco ſententia ferenda eſt, praemio ille dignam iudicauit eam, quae verbis inſignita:

Φανερωσον σεαυτον τῳ κοσμῳ! —

auctorem habuit

CHRISTIAN. HENRIC. AUGUST. GERMAR,

*Wernigerodenſis:*

Proxime

Proxime vero ad hanc acceſſiſſe eam declarat, quam ſententia notatam:

*Longum iter est per praecepta, breue et efficax per exempla:*

exhibuit Ge. Aemil. Guil. Arnold, *Lippenſis*, et ab hoc ſecundo loco Jo. Chr. Frid. Holle, *Gottingenſis*."

Ab *Ordine Iureconſultorum* conſtituta erat quaeſtio:

*Exponantur effectus actuum iurisdictionis voluntariae et mixtae in alieno territorio ſecundum principia iuris ciuilis, publici Germanici, et gentium.*

Mirari licet, ne vnum quidem in concertationem prodiiſſe.

*Ordo Medicorum* deſiderauerat commentationem:

*De aëre, aquis et locis Gottingenſibus.*

Ad tractandam hanc quaeſtionem Medici Ordinis tres libelli in concertationem prodierant: *primus* cum verbis: *Quicquid igitur viſa* etc. delineationem exhibet omnium earum rerum, quae in tali propoſito in conſiderationem venire poſſunt, ipſum propoſitum auctor perſequutus haud eſt, corporis valetudine impeditus; itaque nec de praemio conſequendo cogitauit; commendanda tamen eſt viri docti induſtria et debita laude ornanda; etſi fatendum eſt magnum volumen prodituruṃ fuiſſe, ſi opus ipſum perfeciſſet, non ſcriptionem in certamen mittendam: cuius fines intra paucas numero plagulas continendos eſſe iam ſuperioribus annis identidem edictum eſt, ita vt ab ea lege

X 2 recedi

recedi haud poſſit. *Alter* libellus inſcriptus: *non primi poſſunt eſſe omnes.* Commentatus eſt auctor de ſingulis rebus, quae in quaeſtione propoſita continentur, cum aliis quoque quae aut animadverterat aut obſeruauerat, cum iudicio recto et induſtria: operi tamen compoſitione et oratione idonea elaborando non ſatis curae adhibuiſſe viſus eſt. *Tertius* tandem libellus verbis inſignitus: *habet profecto Gottinga ſaluberrimam coeli temperiem* etc. rerum ad quaeſtionem ſpectantium locuplete penu, iudicii ſubtilitate, tractatione et oratione comta eminet; rerum copiis cum dilectu adhibitis, commode digeſtis, multis acute obſeratis, quae ad ſitum vrbis, incolentium victum, vitam, moremque ſpectant. Huic itaque ſcriptioni praemium, et cum praemio laudem aliquam praecipuam decreuit Ordo Medicus; libellum autem, altero loco paullo ante memoratum ſecundo quoque loco haberi voluit. Remoto ſigillo ſolutaque charta apparuit nomen

Carolus Julius Pickhard, *Holzmunda-Brunſuicenſis.*

## Ab *Ordine Philoſophorum:*

*Quae ſunt ea, quibus ſyſtema dynamicum in phyſica diſciplina iure meritoque praefertur atomiſtico ſyſtemati?*

Neque de hac quaeſtione, qui in certamen ſe demittere auderet, fuit.

Temporum iniuria eueniſſe credimus, quod certantium ſtudia per hunc annum refrixerunt,

ſpemque

ſpemque concipimus fore vt in futurum certamen illa iterum incaleſcant, generoſoque ardore, laurea, quae induſtria et doctrina eminentibus conſtituta eſt, potiundi inflammentur. Ea ſpe recreati euulgauimus Quaeſtiones in IV. Iunii anni *quinti* huius ſaeculi propoſitas:

Ab ORDINE quidem THEOLOGORVM:

repetita prioris anni quaeſtione, iterum poſtulatur:

*Vt accurate examinetur ac ponderetur, quantum valoris et momenti tum in adſtruenda veritate hiſtoriae Chriſti, tum in demonſtranda authentia et integritate librorum N. T., teſtimonia aduerſariorum qui fidem chriſtianam — et haereticorum etiam, qui fidem catholicam in tribus primis ſeculis impugnarunt, habeant et habere poſſint?*

Orationis ſacrae argumentum ex loco Matthaei XI. v. 29. petendum, oſtendat:

*Eam, quam doctrina Chriſti poſtulat, humilitatem iuſtam ac liberalem ſui ipſius aeſtimationem non excludere.*

*Daſs die wahre chriſtliche Demuth mit einem edlen Selbſtgefühl gar wohl beſtehen könne.*

"ICTORVM ORDO ſuperioris anni quaeſtionem iterum proponit, his quidem verbis:

*Exponantur effectus actuum iurisdictionis voluntariae et mixtae in alieno territorio ſecundum principia iuris ciuilis, publici Germanici et gentium.*

"MEDICORVM ORDO quaeſtionem proponit:

*An principii azotici ſiue nitrogenii, atmoſphaerico aëre nunquam non inhaerentis, dum hic per reſpirationem atque exhalationem corpus animale intrat, nihil in eius interioribus deponatur?*

"PHILOSOPHICVS autem ORDO pro quaeſtione hoc propoſuit:

*Vt religionum Latii veteris domeſticarum notitiae e libris Faſtorum Ouidii eruantur et ex aliis ſcriptoribus illuſtrentur.*

*Conſulantur inprimis Varronis fragmenta cum Feſto; Arnobius, Lactantius div. Inſtit. I, 20. Auguſtinus de Civ. Dei lib. IV. VI. VII. Macrob. Saturn. I, 7 ſq. Pro fundo eſſe poſſunt diſputata in Excurſu IV. ad lib. VIII. Aeneidis.*

Litteraria haec certamina ingeniorum, de laude profectuum in litteris inter ſe certantium, non niſi pace haberi poſſe videntur; eſt itaque admodum memorabile, licere nobis tale certamen indicere ac proponere inter armorum motus et terrores. Tanto notabilius hoc ipſum certamen, et reportandam ex eo victoriam tanto memorabiliorem fore putare licet. Agite itaque, quotquot veſtrum, Commilitones, eos iam in ſtudiis feciſtis progreſſus, vt virium pericula facere poſſitis; reputate et memori mente tenete, conatus veſtros tanto magis conſpicuos fore, redditurosque eſſe conſpicuos vosmet ipſos, et academiam noſtram, ſi quando tempus ipſum memorabitur, quo omnia haec

haec ſunt peracta. Quanto tamen inſignius eſſe putabimus ſollenne hoc anno futuro, ſi, reddita tum pace et tranquillitate publica priuataque, cum pacis bonis reſtitutis, metu armorum depulſo, hilaritate animos omnium relaxante, promiſſa certamini huic praemia perſoluentur. In hoc tempus vitam noſtram, et, quotquot noſtrum ſunt vita iam vergente, noſtram ſenectam, vtinam ſeruet numen propitium! Quae vota noſtra illud, vt rata habeat, pie precamur, et, meliora ominando, euentura eſſe confidimus. Ergo, o boni, *reuocate animos maeſtumque timorem mittite; forſan et haec olim meminiſſe iuuabit. Durate et vosmet rebus ſeruate ſecundis.*

P. P. in Georgia Auguſta d. IV. Iunii cIↃIↃCCCIV.

* * *

Cum id, quod sub initium huius prolusionis p. 313. 314. narratum est, euentum sit ad omnem posteritatem memorabile, quanta cum humanitate et clementia a copiis hostilibus Vniuersitas nostra litteraria a terroribus minisque sit liberata, moxque ab *INVICTO HEROE* in tutelam recepta: ad pietatem gratamque memoriam pertinere visum est, vt ipsae litterae, quibus tum recreata est vrbs et academia, hoc quoque loco exhibeantur.

*Beylage zu den Götting. gel. Anzeigen 102. Stück.*

Göttingen den 20. Juny 1803.

Auf die erste Nachricht von dem Einrücken französischer Truppen auf Hannöverischen Gebiet, hatte die Universität sowohl durch den Hofrath von Martens, als jetzigen Prorector, als durch den Geh. Justizrath Heyne, als Mitglied des National-Instituts, sich schriftlich unmittelbar an den ersten Consul gewandt, und

deſsen Schutz für die Univerſität und deren Mitglieder erbeten. Der erste Conſul hat hierauf durch den Kriegsminiſter folgendes Schreiben an den General Mortier, Oberbefehlshaber der franzöſiſchen Truppen, unterm 10. Juny erlaſsen:

Copie.

Paris le 21. Prairial an 11 de la République Française.

Le Miniſtre de la Guerre.

Au Général *Mortier*, Lieutenant-Général Commandant en Chef en Hanovre.

L'univerſité de Gottingue, Citoyen Général, a rendu dans tous les tems les plus grands ſervices aux ſciences et aux lettres, et l'inſtitut national de France lui a donné des marques particulières de ſon eſtime en nommant aſſocié l'un des membres de cette univerſité. L'intention du Premier Conſul est que vous accordiez une protection ſpéciale à ſes établiſſemens et à tous ſes membres; faites leur connaitre que le bruit des Armes ne doit point interrompre leurs paiſibles occupations, et que la nation française honore les gens de lettres et les ſavans de tous les pays.

Je vous ſalue.

Signé:

*Al. Berthier.*

Der General Mortier, welcher ſchon vorher der an ihn abgeſandten Deputation der Univerſität die kräftigste Verſicherung des Schutzes ertheilet hatte, hat hierauf unterm 16. Juny folgendes Schreiben an den Prorector erlaſsen:

République Françaiſe.

Armée d'Hanovre.

Au Quartier Général à Hanovre le 27. Prairial an 11.

*Edouard Mortier* Lieutenant-Général Commandant en Chef.

Au Recteur de l'univerſité de Gottingue.

En donnant à Meſsieurs vos députés l'aſsurance de la protection ſpéciale que j'accorde à l'univerſité de Gottingue

tingue je leur exprimois avec d'autant plus de plaisir mon intention personnelle, qu'en cela je ne faisois que prévenir celle du Premier Consul, ainsi que vous en jugerez par la lettre du Ministre de la Guerre dont je vous envoie copie, et par celle qu'il ecrit à Mr. Heyne l'un des membres de votre université.

J'ai l'honneur de vous saluer

*Ed. Mortier.*

Das in dieſem Briefe erwähnte Schreiben des Kriegsminiſters an den Geh. Justizrath Heyne iſt folgenden Inhalts:

Paris le 21. Prairial an 11 de la République Française.

Le Ministre de la Guerre.

à Mr. *Heyne* membre de l'université de Gottingue et associé de l'institut national de France.

Le Premier Consul, Monsieur, sçait apprecier les services que l'université de Gottingue a rendus aux lettres et aux arts, et les droits qu'elle s'est acquise à la reconnoissance des savans. Que le bruit des armes n'interrompe pas vos paisibles et utiles occupations. L'Armée Française accordera une protection spéciale à vos établissemens; Son général en a reçu l'ordre et aura un grand plaisir à l'exécuter. Vous pouvez en donner l'assurance à tous les membres de votre université que le Premier Consul honore d'une grande estime et particulierement à Mr. de Martens son Prorecteur.

Agréés l'assurance de la Consideration la plus distinguée.

*Al. Berthier.*

IV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
# HENR. AVG. WRISBERG D.
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS cIↃIↃCCCV.
GEORGII III.
BRITANNIARVM REGIS INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↃIↃCCCVI.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

---

Adiecta commentatio
*de Alexandro M. id agente, vt omnem terrarum orbem commerciis mutuis iungeret.*

---

Ita ferre naturam humanam, vt, caeteris amiſſis vel ereptis, cariora ſint ea, quae relicta ſunt, vulgare

vulgare eſt dictum. Quod ſi ita ſe habet, conſentaneum eſſe videtur, vt eorum, quae amiſimus, deſiderio ſublato, ſolatia tanto facilius admittamus, iacturas et damna aequiore animo feramus, et in iis, quae in poteſtate habemus, quorumque fructus integer eſt relictus, acquieſcamus. Contrarium tamen morem plerumque obtinent homines, nam amiſſorum deſiderio contabeſcentes, bonorum, quibus abunde frui licet, ſenſum habent nullum aut exiguum, contra in amiſſorum contemplatione defixis animis, bona, quae pro ſolatio eſſe et amiſſorum deſiderium leuare poterant, ſpernunt, verbis eleuant et cum indignatione damnant, non ſine ingratae mentis peruerſaeque obſtinationis nota. In hunc animi morbum, Ciues, iniquis his calamitoſisque temporibus ne incidamus, ſedulo nobis eſt cauendum. Non eſt huius loci ac temporis, Hannoueranarum terrarum miſerari fortunam, vrbes agrosque ſtipendiis, tributis, commeatibus, penſionibus per biennium iam toleratis, ad noua imperata defetiſci, exhauſto penu, cella, horreo, patrimonio, re familiari non modo attrita, ſed abſumta, aere alieno ingraueſcente, fide vacillante, cum viribus auxilia quoque virium reparandarum deficere; acceſſiſſe anni tempeſtates iniquas, agros fallaces, amnium eluuiones, ſpes quoque ereptas; vnde auctae ſunt annonae difficultates, vendibilium caritas, rerumque ad vitam tolerandam neceſſariarum immodica pretia, animi tandem adeo fracti, vt meliorum vota vix concipere audeant. Inter haec, Ciues, grata mente reputemus, per hos eosdem duo annos, etſi cala-

mitate

mitate publica haud prorſus intacti fuerimus, nos tamen, fide promiſſorum integra, publica ſecuritate, otio, ſtudiorum praemiis, reditibus, commodis ſaluis, egiſſe. Quod ſi ex facultatum noſtrarum incolumitate partem aliquam ad ſubleuandos populares oneri ferendo impares erogamus, quis non officium et humanitatem id poſtulare videat! Tota republica in ſummas anguſtias adducta, dum omnium ordinum et claſſium, omnis cenſus, homines, egena quoque plebs, ſtipem conferre cogitur, quenquam vnum, fortunis integris, omnino fortunae publicae exſortem eſſe velle, non modo inciuile, ſed etiam inhumanum cenſendum eſt. Cum, more ſollenni, armis motis, primi bellorum impetus in inſtituta publica, inprimis litteraria, erumpere ſoleant: rara fortunae indulgentia inſtitutis noſtris academicis ſaluis et intactis fruimur. In tanto humanitatis ſaeculi noſtri cultu dudum exſpectatum erat, ab Europae principibus prouiſum iri, vt bellorum furores a Muſarum ſacris arcerentur. Seruata eſt haec gloria aetati noſtrae, vt belli aſperitatem humanitate ſua temperet imperium Francicum, habita hac ſacrario noſtro Muſarum religioſa reuerentia. Duces quoque, quotquot ad ſummam rerum in his terris adminiſtrandam miſſi ſunt, hac humanitatis et facilitatis laude conſpicui fuerunt, inque his cum maxime veneramur ducem ſummae dignitatis et virtutis Bernadottum, incolumitatem noſtram ſtrenue tuentem, ita vt laudibus ſuis eximiis nouum hoc litterarum noſtrarum ſeruatarum decus adiungere haud dedignetur.

Quidni

Quidni vero, exemplo hoc ſemel a Francis propoſito, expectemus, fore, vt cetera quoque regna Europae, nouae huius laudis aemula, litteras bonas ac diſciplinas ſtudio pari tueantur, quarum cultu latius diffuſo tandem effectum erit, vt bellorum furores mitigentur. Calamitates enim belli omnino vnquam tolli ne ſperemus, vetat ingenita humano generi feritas. Etſi nec eo adducimur, vt aſſentiamur viris doctis, qui, bellis ſublatis, omne humanum genus, virtutis et induſtriae tanquam neruis inciſis, in inertiam et torporem prolapſurum eſſe pronuntiant. Laudantur ſane et multis verbis praedicantur commoda, quae bella feruntur attuliſſe litterarum ſtudiis per noua gentium commercia et per litteras ipſas in populos rudes et barbaros a victore illatas; Culturae ingeniorum, meliorisque doctrinae ſacrorum per bella aliamque vim hoſtilem inter Saxones, Slavos aliosque barbaros prima habuiſſe ſparſa ſemina. Verum perturbata ſunt hominum de his iudicia parumque ſubtilia *a*). Negari quidem nequit, eueniſſe interdum, vt populi feri a victoribus meliore litterarum cultu expolitis rudimenta nonnulla acciperent; eueniſſe quoque, vt victores barbari melioris humanitatis cultum a victis adſciſcerent: cuius fortunae exempla praebent Romani a Graecis, Mogoli a Sinis, Arabes a Syris et Byzantinis doctiores litteras adoptantes: non tamen haec

*a*) Enucleauit et illustrauit hanc sententiam sagaciter, et ad animum meum vere ac recte, Vir doctus in *Magazin encyclopédique* anni 1806. Tom. III. p. 377.

haec belli munera, non magis quam victoris conſilio deſtinata beneficia; ſed *pacis bellum excipientis* nonnunquam fructus fuiſſe dixeris, dum nouo rerum ordine ſubſequente ad artes et litteras in vitam hominum reuocandas, non modo opportunitas ſe offert, ſed et neceſſitas vrget et flagitat. Quanto meliore conditione haec bona, ſi qua ſunt, per incolumitatem, pacem et ſocietatem communicari poterant! magno emtam dixeris rem bonam cum hominum ſtrage et terrarum vaſtitie, erepta libertate ac proſperitate, extinctaque virtute innata, oblatam; nam, quotquot victi litteras pro ſolatio accepere, ſeruiles quoque mores induerunt. Ereptis aut turbatis legibus, inſtitutis, religionibus, litteris patriis, populi victi cultum priſtinum amittunt, nouum ab alienigenis et exteris illatum reſpuunt, ſi vi obtruditur, nullo cum vero fructu accipiunt. Quid vero, ſi a victore dominatio aut imperium militare conſtituitur? tum bonorum ſtudiorum et litterarum doctarum curſum inhibebit ne an habenas immittet? Fac tamen, ita eueniſſe aliquando, vt vitae et litterarum cultura per victorem impertiatur victis: vel ſic litterarum politiorum munera non per ſe expetenda dixeris, ſed propter bona, quae ex earum cultura ad vitam melius, cum dignitate et iucunditate, inſtituendam poſſunt manare: quae bona ſi intercluſa et negata fuerint, quis tandem aut honos aut quae iucunditas litterarum eſſe poteſt? Quanto optabilius eſt, procul a litterarum corruptelis in honeſtate rudi et priſcis patrum inſtitutis illiteratum conſeneſcere!

At

At enim laudant victorias Alexandri, quibus per omnem Aſiam, et ſi, placet, per omnem terrarum orbem ſparſa ſunt bonarum litterarum, Graecarum ſcilicet, ſemina. Quam vere hoc dictum ſit, nunc non eſt diſputandi locus; innumeris tamen generis humani calamitatibus, quas illae victoriae pepererunt *b*), ipſo cauſſarum nexu et ordine, etiam bonum aliquod fuiſſe admixtum haud mirabimur; quod tamen ipſum multo meliore conditione aliis viis parari potuiſſet. Recte vtique obſeruatum eſt, per magnas inter bella rerum molitiones, neceſſitates, diſcrimina, ad cladium reparandarum prudentiam, ad noua ſubſidia et remedia exputanda, acui hominum ingenia, ſicque excitatas et collectas vires rebus compoſitis etiam ad pacis artes tanto felicius excolendas vigere ac feruefcere; etſi nec obliuiſcendum eſt, innumera mala, ex ipſo bello nata, vna cum iſtis bonis, ipſam pacem corrumpere.

Cum tamen res humanae non ad noſtrum arbitrium procedant, ſed viciſſitudinibus et caſibus aliis ex aliis natis bona et mala miſceantur: bene nobiscum actum putabimus, dum modo per artes bellicas artes pacis non omnino extinctae fuerint, ſique inter has belli procellas et in hac patriae clade litterae noſtrae incolumitatem et dignitatem retinent. Non itaque ea tantum, quae votis noſtris haud reſpondent, recenſebimus, verum aſſumemus quoque in computum ea, quae fortuna aliqua propitia non ſperantibus obtulit.

Refe-

*b*) Vid. Excurſum.

Referemus autem inter ea hoc quoque, quod hunc diem natalitiis ſollennibus Regis GEORGII III. conſecratum ſolita pietate celebrare, antiquamque religionem ac pietatem, qua eum proſequimur, publice declarare, bonaque vota pro eo concipere licet: ea eſt Potentiſſimi Imperatoris moderatio, vt nec officiorum ſanctitatem a nobis violari nec pietatis ſenſum extingui velit; dum ex humanitate et aequitate veriorem ſibi, quam ex iuſſorum acerbitate, gloriam ad poſteritatem manaturam eſſe intelligit.

Quandoquidem autem huius diei ſollennia inprimis in hoc continentur, vt praemia Regis GEORGII III. munificentia conſtituta iis ex noſtris Ciuibus diſtribuantur, qui ſtudiorum ſuorum profectus ſcriptis in certamen miſſis et Ordinum Vniverſitatis iudicio probatis luculenter teſtatos fecerint: primo loco quaeſtiones in hunc diem pronuntiatas et certaturis propoſitas recitabimus; ſubiicientur iudicia ordinum de commentationibus; tandemque quaeſtiones in annum futurum praeconio noſtro edicentur.

"Ab *Ordine Theologorum* anno iam cIↄIↄcccIII propoſita fuerat quaeſtio:

*Quantum valoris et momenti tum in adſtruenda veritate hiſtoriae Chriſti, tum in demonſtranda authentia et integritate librorum Noui Teſtamenti, teſtimonia aduerſariorum, qui fidem chriſtianam, et haereticorum, qui fidem catholicam tribus primis ſeculis impugnarunt, habeant et habere poſſint?*

"Cum

"Cum autem anno ſequenti de praemio decernendum eſſet, nonniſi vnus erat, qui certamini ſeſe offerebat. Hic quamuis talem ſe monſtraret, qui ſolus etiam et ſine puluere coronari poſſet, tamen ordo noſter, quia videbatur iſte praemio adhuc digniorem ſeſe reddere poſſe, maluit ipſum ad nouum certamen inuitare, aliisque Commilitonibus denuo occaſionem, vires ſuas in quaeſtione propoſita exercendi, praebere. Repetita igitur eſt prioris anni quaeſtio. Duo iuuenes in certamen deſcenderunt. Alter commentationem ſuam his verbis inſigniuerat:

*Et refellere sine iracundia et refelli sine pertinacia parati sumus;*

alter vero his:

*Cuius regio, illius religio.*

Vterque ſuam nobis eruditionem ac diligentiam ſatis comprobauit. Prior autem quaeſtionis propoſitae vim ita perſpexit et aſſequutus eſt, vniverſam materiam tam caute et circumſpecte tractavit, tantamque in iudicando maturitatem et ſubtilitatem, tantam denique fontium antiquitatis chriſtianae cognitionem demonſtrauit, vt facile eundem agnoſceremus, qui iam priori anno de praemio concertare vellet. Neque tamen non, alter inſignem rerum, de quibus agebatur, et inprimis linguae graecae notitiam oſtendit et cum laude in quaeſtione difficili et impedita verſatus eſt, Priori itaque praemium decretum, alter vero proxime ad illum acceſſiſſe iudicatus eſt."

Scheda ſoluta lectum eſt nomen:

LUDOVICUS HENRICUS PLANCK, *Gottingenſis.*

 Secundo

Secundo autem loco ad laudem inſignem acceſſit
IOANNES IACOBUS SACK, *Hannoueranus*.

"Orationis e ſuggeſtu aedis ſacrae habendae argumentum, ex loco Matth. XI, 29. petendum, hoc propoſitum erat, vt oſtenderetur,

*Eam, quam doctrina chriſtiana poſtulat, humilitatem non excludere iuſtam ac liberalem noſtri ipſius aeſtimationem.*

*Daß die wahre chriſtliche Demuth mit einem edlen Selbſtgefühle gar wohl beſtehen könne.*

Quinque exhibitae nobis ſunt orationes,

I$^{ma}$ inſignita verbis gallicis:

*Tel brille au second rang, qui s'eclipse au premier.*

II$^{da}$ verbis Petri:

*ὁ ϑεος ὑπερηφανοις αντιτασσεται, ταπεινοις δε διδωσι χαριν.*

III$^{tia}$ Iohannis:

*αληϑευειν εν αγαπῃ.*

IV$^{ta}$ Claudiani:

*Inquinat egregios adiuncta superbia mores.*

V$^{ta}$ hisce:

*Nescia virtus stare loco.*

Haec quinta, quae laude ſua minime carebat, quia tamen ſerius, quam per leges inſtituti licebat, oblata nobis erat, non potuit in concertationem venire. Ex reliquis *prima*, *tertia* et *quarta* iudicio ordinis dignae exiſtimatae ſunt, quae e ſuggeſtu dicerentur. Auctor *primae* commendabat ſe dicendi genere populari et perſpicuo, tractatione materiae vere chriſtiana et ſacris litteris conſentanea, oratoris habitu ſuaui, amabili, facili, facundia, et actionis dignitate. Auctor *tertiae*, contentus ea laude, quod in iis eſſet, qui ad orationem publice

publice habendam admitterentur, propter cauſas, quas non potuimus reiicere, de ipſo praemio noluit concertare. De ipſo igitur iudicare non eſt huius loci. Auctor *quartae* caput rei, de qua agebatur, omnium optime expoſuit, vniuerſam quaeſtionem ſagaciter et ingenioſe excuſſit, honorem religionis chriſtianae in commendanda humilitate egregie vindicauit, et tanquam orator ardorem et grauitatem, vim atque dignitatem, animumque, quamuis ſemel haereret, praeſentem demonſtrauit. Huic itaque decreto ordinis adiudicatum eſt praemium, alter vero, auctor ſcilicet primae orationis, ad eum quam proxime acceſſiſſe exiſtimatus eſt. Prior eſt

GEORGIUS EMILIUS GUILIELMUS ARNOLD, *Lippenſis*, qui iam ſuperiori anno primum poſt victorem locum occupauerat, poſterior autem IOHANNES IACOBUS SACK, *Hannoueranus*."

"Ab *Ordine Iureconſultorum*

repetita prioris anni quaeſtione poſtulatum erat:

*Exponantur effectus actuum iurisdictionis voluntariae et mixtae in alieno territorio, ſecundum principia iuris ciuilis, publici germanici et gentium.*

Ad quaeſtionem magni momenti non niſi vnus ſubeundi certaminis periculum fecit; qui commentationem bonae frugis quidem pleniſſimam, eruditionis et acuminis ingenii teſtem, obtulit, verbis Ciceronis inſcriptam:

*Et refellere sine iracundia, et refelli sine pertinacia parati sumus.*

 Sed

Sed in exponendis iis, quae in tractanda quaeſtione primum locum faciunt, ita verſatus eſt auctor; vt dubitare liceat, quin ſenſum et intentionem eius ſatis perſpexerit. Etenim primario ſibi inquirendum ſumſit, quatenus vel iudex iurisdictionis voluntariae actus in alieno territorio ſuſcipere poſſit: vel ſubditis ea de cauſa iudicem alienum adire liceat; neglectis fere, ſiue leuiter tactis iis, quae *de effectu eius quod actum ſit, praeprimis ex principiis iuris publici germanici et gentium* curatius exponenda erant. Qua de cauſa Ordo iuridicus praemium auctori tribuere non potuit; laudem tamen diligentiae et lectionis comprobatae nullo modo denegabit,"

"Ab *Ordine Medicorum* propoſita erat quaeſtio:

*An principii azotici ſiue nitrogenii, atmoſphaerico aëri nunquam non inhaerentis, dum hic per reſpirationem atque inhalationem corpus animale intrat, nihil in eius interioribus deponatur?*

Difficultati et ſubtilitati, quam ipſi quaeſtioni a deſideratiſſimo collega conceptae ineſſe diffitendum non eſt, tribuimus, quod vnica ſaltem ordini oblata ſit commentatio inſcriptis verbis Lucretii:

— *quodcunque fluit de rebus, id omne aëris in magnum fertur mare; qui niſi contra corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis, omnia iam reſoluta forent vt in aëra verſa.*

Et huius auctor commentationis ipſam quidem quaeſtionem neutiquam expediuit ſed maximam partem in medio reliquit, attamen ea quae hactenus a chemicis et phyſiologis in vtramque partem circa eam diſputata et indagata ſunt, eximia diligentia

gentia congeſſit, lucido ordine et cum iudicii acumine diſpoſuit, paſſim etiam modeſta epicriſi in ea animaduertit, in vniuerſum vero laudabiles conatus ſcripto ſuo ordini ita probauit, vt hic nullus haeſitauerit, quin vnanimi conſenſu praemium Regium eidem decerneret."

Scheda ſoluta recitatum eſt nomen

FRANCISCUS SCHMITZ, *Agrippinas.*

## *Philoſophorum Ordo*

certantium ſtudiis hoc agendum propoſuerat:

*Vt religionum Latii veteris domeſticarum notitiae e libris Faſtorum Ouidii eruerentur et ex aliis ſcriptoribus illuſtrarentur.*

Ne euagaretur ſtudium certantium ad aliena, quae talis ſcriptio capere nequiret, cautum erat diligenter. Rem iudicii et interpretationis eſſe volebamus, non lectionis infinitae, aut ſedulitatis male collocatae in locis congerendis: erant *veterum Latinorum religiones*, *non Romanorum*, erant *religiones domeſticae*, paucae numero, *non aduentitiae*, quae eſſent commemorandae. *Vna* Ordini exhibita eſt *commentatio* docte et laborioſe confecta; incredibili et aerumnoſo cum ſtudio congeſtas vidimus eruditae operae copias e lectione varia, indagatione indefeſſa, erutas; praeſcripta in fronte ſunt verba Ciceronis:

*Et refellere sine iracundia, et refelli sine pertinacia parati sumus.*

Nihil a ſe deſiderari voluit iuuenis egregiis litteris inſtructus, a quo talis commentatio ſcribi potuit, praeterquam iudicii maturitatem in tot tantisque

 copiis

copiis digerendis, delectuque facto rite disponendis, et orationis Latinae elegantiam. Cum de priſci Latii religionibus fragmenta, quae extant, eſſent colligenda et illuſtranda, ille, praemiſſa de vniuerſa Romanorum mythologia diſputatione, Romanorum religiones, ſacra et ritus, omnium aetatum ad Theodoſium vsque Imperatorem expoſuit, tum enarrationem valde doctam de diis maiorum et minorum gentium adiecit: quae omnia materiam libelli non aſpernandi praebere poſſint, quaeſtioni autem propoſitae tantum ex parte ſunt conſentanea. Grauiter itaque tulit Ordo ſpectabilis, tam eruditae induſtriae ne praemium aſſignari poſſit, leges certaminis conſilium inſtitutumque vetare.

Adhuc actum eſt de praeteritis ac praeſentibus; progrediamur ad futura, bonis cum votis proſequenda, et pronuntiemus *quaeſtiones* in IV. Iunii anni futuri commilitonum certantium ſtudiis propoſitas:

Ab ORDINE THEOLOGORVM poſtulatur, vt

*Doctrinae de iureiurando in eccleſia chriſtiana hiſtoria exponatur.*

*Die Geſchichte der Lehre der chriſtlichen Kirche von dem Eidſchwur.*

*Orationis ſacrae* argumentum autem hoc eſto, vt ex loco 2 Petr. II, 5 - 7. oſtendatur

*Quantum fides in Ieſum Chriſtum ex ſenſu ſcripturarum ſacrarum valeat ad virtutem humanam promouendam.*

*Der hohe ſittliche Werth des Glaubens an Jeſum nach dem Sinne der heiligen Schrift.*

In

In annum futurum IVRECONSVLTORVM ORDO quaeſtionem proponit:

*Quae ſint iure nouiſſimo hereditatis ciuilis et bonorum poſſeſſionis tum conuenientiae, tum differentiae principes.*

*Die vorzüglichſten Uebereinſtimmungen und Unterſchiede, die ſich auch im neuern Rechte zwiſchen Civil-Erbfolge und* bonorum poſſeſſio *finden.*

A MEDICORVM ORDINE noua quaeſtione edicuntur haec:

*Cum certo conſtet, quaedam tum alimentorum tum medicaminum genera, eorumue partes, per vaſa abſorbentia ipſi ſanguinis fluento admiſceri, alia contra, quae ab his quaſi reſpuuntur, nunquam eidem hac via affundi;* deſiderat Ordo medicus *plenum, quantum fieri poteſt, et accuratum recenſum eorum, quibus, ſiue tubo alimentario ſint ingeſta, ſiue communibus corporis integumentis applicata, ingreſſus in ſyſtema vaſorum ſanguiferorum aut conceſſus a natura, aut negatus ſit.*

*Da es durch zuverläſſige Erfahrungen entſchieden iſt, daſs* gewiſſe *Nahrungs- und Arzney-Mittel* (oder doch Beſtandtheile derſelben) *mittelſt der einſaugenden Gefäſse zur Blutmaſſe gelangen,* andere *hingegen von jenen Gefäſsen nie aufgenommen, folglich auch dem Blute durch dieſen Weg nie beygemiſcht werden;* ſo wünſcht die mediciniſche Facultät *eine möglichſt vollſtändige und genaue Beſtimmung derjenigen Stoffe, welchen der Zutritt zum Blute, ſeys durch den Speiſe-Canal oder durch die Ab-*

*Abſorption von der äuſsern Haut, entweder geſtattet oder aber verſagt iſt.*

ORDO PHILOSOPHORVM in IV. Junii anni proximi eandem *iterum* quaeſtionem proponit, idemque, quo ingenia veſtra exerceatis, ſtadium aperit, in quo a linea aberrauerat commilito veſter, a quo profecta erat commentatio, de qua paullo ante eſt actum; eundem tamen iuuenem doctum hortamur cum maxime, vt a ſe ſcripta diligenter retractet, aliena reciſa in aliud tempus ſeponat, ſeruatu autem digna luculento ordine disponat et oratione bene latina enuntiet. Id igitur curatum eſto,

*Vt religionum Latii veteris domeſticarum notitiae e libris Faſtorum Ovidii eruantur, et ex aliis ſcriptoribus illuſtrentur.*

Legendi itaque ſunt primo loco, docto cum ſtudio, libri Faſtorum, enotanda ea, quae ad religiones veterum Latinorum, hoc eſt ad eorum mythos et ſacra ac ritus, ſpectant; iudicium ad ea illuſtranda eſt adhibendum, comparandis iis quae ab aliis ſcriptoribus tradita ſunt, et ſupplendis inde iis, quae ad iuſtam notitiam rei, de qua quaeritur, facere poſſunt. Conſulenda eſſe iam olim diximus Varronis fragmenta, cum Feſto; loca Arnobii, Lactantii, Auguſtini de Civ. Dei, Macrobii; et pro fundo eſſe poſſe diſputata in Excurſu IV. ad lib. VII. (non lib. VIII) Aeneidis.

Simul tamen cum hac quaeſtione iterum propoſita ORDO PHILOSOPHORVM promulgat in

in annum proximum quaeſtionem aliam, iis forte, quae hoc ipſo tempore philoſophorum et theologorum, de interpretatione doctrinae ſacrae et religionum allegorica, diſputationibus cum maxime agitantur, lucem aliquam allaturam. Iubentur ſcilicet de praemio certaturi

*Interpretationis allegoricae Philonianae principia et elementa ex ipſo Philone elicere et declarare.*

*Es ſoll aus den Schriften des Philo ſelbſt dargethan werden, worauf die von ihm angenommene allegoriſche Erklärung der heiligen Schriften gegründet iſt.*

Et haec quidem de certaminibus noſtris litterariis ad veſtra bonarum litterarum ſtudia incendenda inſtitutis dicta ſunto: quae non modo victoribus, ſed iis quoque, qui victi ex arena diſcedunt, honorifica et ſalutaria ſunt: nemo enim hoc certamen ſine laude ingreditur, et hoc ipſo inter ceteros eminet, quod ingenii doctrinae et animi ſatis habuit ad congrediendum. Vtinam ſimilia his eſſent imperiorum de principatu certamina, victis victoribusque flebilia, etiam iis qui e proximo ſpectant, aut, qui ne ſpectare quidem vellent, damnorum et calamitatum contagione luctuoſa, quorum numero noſtrates primo loco afflictos attritosque numeramus. Inter haec quandoquidem praeter vota nihil nobis relictum eſſe videmus, his ipſis votis ita vtamur, vt ſummo vniuerſi moderatori permittamus, quid de rebus noſtris ſtatuat quibusque modis fortunae publicae labefactatae ſuccurrat: quandoquidem nos miſeri mortales ne

 quidem,

quidem, quid rebus noſtris ſalubre ſit, ſatis recte nouimus; vtinam incendium hoc toti terrarum orbi exitioſum maturis conſiliis extinguatur, rebusque compoſitis animisque placatis ſaluberrima pax ſtrages generi humano paratas anteuertat! Ita quoque GEORGII III. Patris patriae ſenectus, laeta pace refocillata, integra valetudine nouisque viribus effloreſcat! reique publicae reſtitutae auſpicia, ab eius curis conſiliisque profecta, votorum noſtrorum compotes nos faciant!

P. P. in Georgia Auguſta d. IV. Junii cIɔIɔcccv.

---

## Excurſus

### *de Alexandro magno id agente, vt totum terrarum orbem mutuis commerciis iungeret.*

Reuocant ea, quae de litteris et artibus per arma inter populos propagatis iactantur, in animum narrata de Alexandro magno, dum viri docti, quanta generi humano bona victoriis eius ſint parta, magnifice praedicant, et nos ipſi praedicauimus: diuerſiſſimarum ſcilicet gentium mutua commercia, Graecorum humanitatem, litteras et artes ad extrema Aſiae propagatas, eoque, meliori aliquando e Palaeſtina proditurae diuinae humanaeque ſapientiae, omni humano generi communicandae, viam patefactam. Magna ſane haec ac praeclara, quae nec omnino neges iure praedicari;

cari; cum terris enim et populis in ditionem redactis commercia mutua iungi, artium quoque et litterarum notitias inuicem impertiri, facile expectes; dubites tamen, an per arma eſſe parata recte dici poſſint ea, quae non niſi ſerius, rebus in melius mutatis, nec regum conſiliis, aut voluntate et opera, vel cogitatione et animo, ſed ipſo rerum curſu, ſunt ſubſequuta; tum iſta ipſa, alia via ac ratione, absque caede et ſanguine cenſeas multo melius ac ſalubrius ipſo cauſſarum euentorumque nexu fuiſſe euentura. Certe non bene belli furoribus tribuuntur ea, quae non niſi iis ſopitis, armis poſitis, et recreatis pace populis, euenire potuere; belli terroribus commercia populorum tolli, certe nulla lege aut conſilio rite iungi, nec niſi rebus pacatis ſtabili foedere coire, manifeſtum eſt. Nec pronuntiandum erat, ad humanitatis cultum feros et barbaros populos non niſi ferro et igni adduci poſſe; meminerimus ſaltem maiores noſtros per Germaniam non per arma, quibus noua ſacra iis obtrudebantur, ſed per monachos balbutientes litterarum rudimenta accepiſſe. Quod ſi omnino non niſi per belli furores ac ſtrages litterarum commercia ad alios populos poſſunt propagari: melius populos litterarum bonis carere dixeris. Alexandrum vtique eo tempore, quo arma in Perſas mouerat, de vtilitatibus ad litterarum vitaeque cultum ſerius inde manaturis cogitaſſe, nemo cum fide tradidit; quae cauſſae et conſilia eum, et patrem Philippum, etiam antea Graecos, ad expeditionem generi humano parum proficuam impulerint, ſatis conſtat. Ipſo rerum progreſſu

greſſu alia, vt fit, ex aliis nata, quam vtilitatem habeant, animaduerſum eſt; in ipſis rerum exordiis ea eſſe prouiſa, temere vulgo credi ſolet. Nec multo diuerſum eſt iudicium prudentiorum de inſeſſis ab aduenis Europaeis orbis alieni terris ſub colore ac titulo ſpecioſo melioris vitae cultus per ſalutares religiones quaeſiti, cum in aperto ſint veriores cauſſae a dominandi libidine, expilandi terras cupiditate, et mercantium auaritia profectae. Omnino quicquid praeclari inſtituti, operis et ſtudii aut conſilii, in genere humano eminet, ſi vere vtilitatis publicae cauſſa fuit ſuſceptum, in vmbra et obſcuritate meditatum et deſignatum ſubnaſci, aegre et aerumnoſe proficere, ſolet. Quae magnis et intenſis viribus in antiquitate publice acta ſunt, videmus pleraque ad mala aut inferenda aliis, aut a ſe depellenda fuiſſe peracta.

Verum de Alexandro traduntur alia his etiam maiora, quae ab eo meditata eſſe feruntur; aiunt enim eum omnem terrarum orbem victoriis voluiſſe peragrare, vt commerciis mutuis omnes gentes iungeret et ad vnum eundemque vitae cultum adduceret; dignum ſane Alexandri animo ingenioque conſilium! Ita ſcilicet fuiſſet armis effectum, quod perſuaſione, foedere, philoſophicis ſomniis, haud effectum iri in aperto eſt, vt, dum vnus aliquis omnes terras in ditione habuiſſet, orbem terrarum pax aeterna bearet! Fuere quoque qui non ad hominum, ſed ad rerum commercia, hoc eſt ad mercatum per omnes terras ex victoris arbitrio conſtituendum, conſilia Alexandri ſpectaſſe

ſpectaſſe putarent *c*); ita ſub coloniarum nomine facile credas certa mercatus fora eum condere voluiſſe, quorum metropolis deſignata eſſet Alexandria. Si hoc audias, in opinionem quoque venias, non alio conſilio Tyrum fuiſſe exciſam, et bellum aduerſus Carthaginienſes paratum. Extollunt itaque maximis laudibus mirabile viri ingenium conſiliorumque ſapientiam, et ſagacitatem regis mercatorum lucra per exercituum virtutem venantis; talem enim Alexandrum ſuae quoque aetati fore exoptatiſſimum; ſcilicet iuſtum et aequum viſum, omnes alios populos libertate, partis induſtriae fructibus, copiis opibusque, priuare, commercia eorum ſuo arbitrio circumſcribere, ad mercatoriam auiditatem iura populorum et commoda refingere. Egregium vero conſilium, exſcindere Tyrum, vrbem iam praeclaris ad mercatum inſtitutis inſtructam, vt dominatio noua per Aſiae continentem armis pararetur, mole ſua haud dubie paullo poſt corruitura! His aliisque cum antiquiorum tum recentiorum commentis prauis que hominum iudiciis de magnis imperiis, eorumque ad generis humani felicitatem vtilitatibus, admiratione que eorum, qui talia imperia condiderunt, non modo hominum de Alexandro iudicia, verum ipſa fama de Alexandri meditatis ita eſt obſcurata, vt, antequam quicquam tuto poſſit pronuntiari, primo loco, quo auctore, qua fide, quoue

c) In his inprimis *T. Pownal Treaty on the studium of antiquities* p. 89-95. qui mirifice iactat *the universal imperium of this great Statesman Prince*, suorum scilicet popularium inceptis praeludentem.

quoue iudicio haec tradita et accepta ſint, diſpiciendum eſſe videatur. Interea alterum, quod Graeciam ex Alexandri expeditione in Aſiam mala innumera, calamitates et damna ad ſeram vsque poſteritatem, accepiſſe ſatis conſtat, quas vtilitates perceperit, nondum quisquam docuit. Macedonia autem ipſa, ad priſtinam conditionem anguſtam redacta, bellis, caedibus, tributis attrita tandem iis, quos inter barbaros numerabat, Romanis in praedae partem ceſſit.

Fundus itaque, ſi diligenter quaeſiueris, omnis narrationis eſt apud Diodorum *d*), qui memorat: "*in commentariis poſt mortem regis vulgatis fuiſſe perſcripta, quae ipſe adhuc exſequenda conſtituerat;* in his fuiſſe *claſſem ingentem in Phoenicia, Syria, Cilicia et Cypro aedificandam ad expeditionem in Carthaginienſes et ceteros, qui littoralem Africae et Hiſpaniae vicinasque ad Siciliam vsque regionem incolebant; porro vt iter per Africae maritima ad Herculis columnas expeditum redderetur, vtque pro tantae claſſis modo portus et naualia locis opportunis exſtruerentur.*" Ex his ſatis

*d*) Diodor. XVIII, 4. Ἐφημερίδες hae fuerintne priuata opera an regis iussu perscriptae nemo docuit. Grauiora vtique ex iis mallemus seruata, quam quae de insanis in Hephaestionis et Alexandri funera impensis factis, aut de Alexandri temulentia copiose sunt enotata. A Diodoto Erythraeo et Eumene Cardiano Ephemerides seu scriptae seu in ordinem redactae sunt: (ἃς ἀνέγραψαν) ap. Athen. lib. X. p. 434 B. Fuit et Strattis Olynthius, qui περὶ τῶν Ἀλεξάνδρου ἐφημερίδων βιβλία πέντε scripsit, apud Suidam h. v.; quo sensu hoc accipiendum sit, obscurum est. Epitomen a Strattide factam videtur censere Vir Ill. *Sainte Croix Examen critique des historiens d'Alexandre.* Ed. II. p. 481.

ſatis intelligitur, non de Occidente in ditionem redigendo, aut de omnium populorum inter ſe iungendis commerciis, ſed de *bello Carthaginienſibus inſerendo* Alexandrum cogitaſſe: quos, cum Perſis inde a Darii Hyſtaſpis et Xerxis temporibus adverſus Graecos ſocietate iunctos, Graecas ciuitates Siciliae et Italiae ſaepe bello aggreſſos, Tyro, colonia, deleta ſibi infeſtos, et Alexandriae, nuper a ſe in Aegypto conditae, clandeſtino odio imminentes facile ſuſpicari, nouoque adeo bello ex India redux deſignare potuit. Sequitur tanquam ex commentariis proditum: "*vt ciuium in nouas vrbes commigratio, et hominum ex Aſia in Europam et rurſum ex Europa in Aſiam translatio fieret, et, per connubia et neceſſitudines, continentes orbis maximas concordia mutua et cognationis amicitia inter ſe contineret,*" haec tamen ad iſtam tanta molitione paratam expeditionem referri haud poſſunt; ſpectant enim ad eas, quae iam bello peragratae erant, Europae Aſiaeque terras et ad Graecorum Perſarumque commercia artiore vinculo copulanda.

Quae modo dicta ſunt, fundum habent idoneum. Addita ſunt alia a ſcriptoribus partim *ex re et iudicio ducta*, partim *ex incertis rerum euentis, quae contingere forte potuiſſent*, aut *ex ſeriorum ſaeculorum noſtraeue aetatis viciſſitudinibus fortunae coniectata.* Sane ſi Carthaginienſes claſſe viciſſet, in promtu erat augurari, fore vt omnem Africae oram quae in Carthaginienſium ditione erat, ſubiugaret, et cum ea Iberiam Siciliamque Carthaginienſium virium robur. Iam videte, ex his quae alia Alexandri animo deſignata ediderunt ſcriptores

et

et poſt eos viri docti noſtrae aetatis. Vt taceamus ineptias Curtii, iter Alexandrum terreſtre per Africam facturum fuiſſe narrantis *e*), narrant porro eum Iberiae iam victorem terreſtri itinere per Galliam et Italiam, in qua cum Romanis erat ſigna collaturus, traiectu in Epirum facto, in Macedoniam rediturum fuiſſe, conditis per omnes terras locis munitis ſub coloniarum nomine, et praeſidiis idoneis relictis, forisque et mercatibus inſtitutis, quibus cum extremis Aſiae oris mutua commercia exercerentur. Incredibiles hi auſus viris doctis debentur, non ſcriptorum fidei; modeſtior ipſe Curtius, qui omnia in maius efferre ſolet (lib. X, 1, 18.), voluiſſe ait *ex Ibero claſſe praetervehi Alpes Italiaeque oram, vnde in Epirum breuis curſus eſt.* Alexandrum debellata Carthagine, eodem quo in Aſia more, per Africae, et Iberiae forte, oram colonias fuiſſe conditurum, eaque re populorum commerciis viam aperturum, credere licet; mercatorum auiditati ſatis eſt nouas terras monſtraſſe et aditum muniiſſe; hoc, non alio modo, Romani mercatorum ſagacitati profuere ſimulque geographiae conſuluere (conf. Polyb. III, 59.): mercaturae autem, per omnes terras lucri ſui alimenta explorantis, fundamenta iacere, aut humanitatis litterarumque Graecarum culturam propagare Alexandrum voluiſſe, quo tandem argumento, qua fide conſtat! Ex noſtrorum temporum curis

*e*) Curtius X, 1, 17. Carthagine victa eum *Numidiae solitudinibus peragratis Gades dirigere voluisse.* Sane classe aditurum fuisse vrbes orae maritimae, saltem potiores aut obsequium negantes, facile credas.

curis et ſtudiis haec et alia antiquiora tempora transferuntur; iſtis aetatibus virtutis fama, gloria nominis, et dominandi inſatiabilis cupido, ingenia magna incendebat. Alexandrum autem multo magis inſtigabat vanitas aemulandi Bacchum et Herculem et perſuaſio de ortu ab Hercule et Ioue ducto. Mercatus commoda victorias ſequebantur, inter belli cauſſas et praemia haud erant; praeda diteſcere in laude habebatur bellantibus: cauponari per arma et nouas lucri cupidini inexplebili vias parare, ſi Carthaginienſes, et forte Ptolemaeos, conſiliis ex ipſa re natis, exceperis, aliis aetatibus fuit relictum. Qui autem principes prudentius per pacis artes regni opes augebant, magis id curae habebant, vt interiore regni cultu, quem agricultura et artium vtilium induſtria affert, diteſcerent, quam vt cultu externorum populorum adſcito et luxu peregrino in ſuos populos illato ſuperbirent. Adeo generoſiore ſpiritu et afflatu aliquo ipſa antiquiorum hominum vitia calebant. Itaque imperii proferendi et dominationis extendendae cupidine, forte et odio in Carthaginienſes incenſum Alexandrum arma mouiſſe, in exploratis habebimus; cetera habeamus in iis quae coniectare licet, non pro certis pronuntiare; inque his forte haec quoque: non ſine reſpectu ad Carthaginienſes in confiniis Aegypti haerentes Alexandriam in ipſis Aegypti finibus et ad mare fuiſſe conditam, regi tamen ex Aegypto in vlteriora Aſiae profecturo, iam hoc ad prouidendum ſatis cauſſae fuiſſe, vt, praeter Memphin et Peluſium, vrbe maritimo in loco poſita, praeſidia idonea et liberos ex hac

vrbe commeatus et commercia cum Macedonia et Syria haberet; porro coniectare licet ipſa loci opportunitate ductum Alexandrum forte ad caſus futuros incertos animum aduertiſſe. Quae vero praeterea paſſim memorant eum ad vrbem condendam adduxiſſe, ea hominis diuinitus afflati eſſent, qui iam tum loci opportunitatem ad commercia per omnem terrarum orbem iungenda proſpiceret *f*). Multa huiusmodi noſtri homines memorant, humanae ſagacitatis exempla, quae non niſi ſerius per noua et inexpectata euenta, fortuna miris modis caſus variante, in hominum animos venire potuerunt, quae tamen in ipſis rerum primordiis, tenuibus plerumque et fortuitis, iam prouiſa et meditata eſſe venditant, dum ſibi ipſi placent,

*f*) Incredibile est quam late euagati sint commentis suis viri docti, in his *T. Pownal* l. c. p. 89. Alexandrum Alexandria condenda iam tum destinasse nouam vrbem omnis mercaturae per orbem terrarum metropolin, ita vt illa haberet *ingentis pyramidis speciem trinis suis lateribus Gades, paludem Maeotidem et Indiae extrema spectantis*. Satis magnam laudem Alexandri esse putabimus, quod *animaduertit portum naturaliter tutum, emporium egregium, campos circa totam Aegyptum frumentarios immanis fluminis Nili magnas vtilitates;* etiam antea eius prudentiae in diiudicando situ locorum vrbi condendae idoneo, cum Dinocrates ad eum detulisset efformatum cogitatione opus montis Atho in statuae virilis speciem, cuius manu laeua sustineretur ciuitas, dextra manus teneret pateram, quae exciperet omnium fluminum, quae sunt in eo monte, aquam, vt inde in mare profunderetur. *Delectatus Alexander ratione formae, statim quaesiuit, si essent agri circa, qui possent frumentaria ratione eam ciuitatem tueri.* Legantur haec et reliqua apud Vitruvium lib. II. praef.

placent, quod aliis acutius vident: non aliter ac Romani, qui ſuae vrbis primordia terrarum imperium, opportunitate loci tanquam augurio, portendiſſe iactabant. Quum incognita terrarum pars occidentalis per Columbum et alios in notitiam Europae adducta eſſet, neminem meminimus de mutatione omnium per Europam imperiorum exinde prouentura cogitaſſe; auro et expilandis incolis omnes inhiabant. Ipſae rerum viciſſitudines, nexus et ſucceſſus, pleraque ex proximo aliquando oſtendunt: quae animaduertere et in ſuam vtilitatem, aut, quod praeſtat, in commoda publica, vertere, ſagacitatis ſatis magna laus eſt *g*). Nec tutiore iudicio viri docti Alexandrum iam tum, cum Macedoniae finibus egrederetur, totius terrarum orbis imperium mente ac ſpe concepiſſe pronuntiant. Enimvero ad arma Perſis inferenda

Z 2 excitati

*g*) Est quidem aliud futura etiam longinqua prospiciendi genus, quod ex similibus obseruatis ductum haud magni acuminis vim desiderat. Eiusmodi est praedictio, Imperii Othmannici, viribus indies magis fractis, excidium magnam rerum conuersionem esse sequuturam; itidem, quando Africae borealis ora in ditionem victoris ex Europa venerit. Ita quantam rerum vicissitudinem allatura esset Aegyptus ab aduenis ex Europa occupata, dudum erat perspectum; quantopere autem ea consilia adiutura et turbatura esset Melitae opportunitas, qui prouiderit, non reperimus. Americam aliquando rerum summam esse adepturam, et accelerari hanc conuersionem nostrorum temporum fatis, vulgare est indicium. Illud tamen omnium temporum et historiarum fide satis constat, magna imperia disparibus prouinciis coagmentata, mole sua mature ruere; atque hoc de Alexandri victoriis in confesso est.

excitati dudum fuerant Graeci, cum ii qui ex Aſia veniebant, luxum aulae, infirmitatem regni, ſocordiam cum ſuperbia docerent; in his inprimis illi, qui ex Aſia cum Xenophonte redierant (cf. Plutarch. Artax. p. 1021 ſq. c. 20.). Perſas a Graecis armis eſſe aggrediendos et vltum eundum eſſe iniurias ab iis Graeciae illatas, a multo inde tempore demagogorum clamoribus fuerat perſuaſum; perſtrepit talibus clamoribus Panegyrica oratio Iſocratis; Philippus rem facile ſucceſſuram eſſe intelligens ex perſpecta imperii Perſarum ignauia (v. Polyb. III, 6, 8 ſqq.), belli apparatus prouiderat. Ab his initiis progreſſus eſt Alexander ad liberandas Aſiae vrbes a Graecis habitas, Perſasque ab omni Graeciae inuadendae conſilio in perpetuum abalienandos; quod ſi intra hoc prudenter et feliciter effectum ſe continuiſſet, dignum vtique laude et nomine facinus patraſſe diceres; at aliis ex conſiliis ab ipſo ſucceſſu ductis, peruenit ad ea, quae in egreſſu ex Macedonia animo iam praecepta et explicita eum habuiſſe perſuadere ſibi velle arduum eſt, tandemque ad eam veſaniam progreſſus eſt, vt ea aggrederetur, quae nec exitum nec effectum habere poterant, ſi vero habuiſſent, nullum fructum habuiſſent, toti vero terrarum orbi nil niſi caedes, vaſtationes, ruinas, allatura fuiſſent; nec ipſe vllum laborum fructum, nullam laudem, ablaturus fuiſſet, quam vt terris deſertis et hominibus in ſolitudine efferatis imperaſſet.

Verum vt multa alia, quae effecta ab ipſo non ſunt, Alexandro tanquam ante quam vita excederet prouiſa et meditata tribuerentur, opportu-

portunitatem attulere narrationes nonnullarum rerum quae paullo ante eius mortem contigerunt. Inter legatos, qui ei Babylonem proficiſcenti occurrerunt, vt victorias gratularentur, narrantur (v. Arrian. VII, 15.) fuiſſe non modo ex Italia *Bruttii* et *Lucani* (qui per Alexandrum Epiri regem ad honorem Macedoni Aſiae victori habendum excitari potuere) verum etiam *Etruſcorum*, tum et *Gallorum* et *Iberorum legati*. Tam longinquarum terrarum extremi Occidentis legationes in Aſiam miſſae iis aetatibus, quibus hae gentium et imperiorum pactiones et legationes nondum frequentabantur, merito mirationem faciunt. Quod ſi vere ea tradita ſunt, videri poteſt fama de bello in Carthaginienſes mouendo iam tum increbuiſſe, odiisque ex Carthaginienſium dominatione maris interni, mercatoriaque ſuperbia et auaritia, incenſos populos, erectis ad vltionem et libertatem animis, ad Alexandrum conuertiſſe. Ipſi quoque Carthaginienſes ſuſpicione et metu ſuſpenſi legatis miſſis partim regis conſilia ſpeculari, partim muneribus auertere *h*). Poſſit aliquis Roma-

*h*) V. Iustin. XXI, 6. cum Gellio XVII, 9. med. c. et ex Iustino Oros. IV, 6. Arrian. VII, 15. *Λιβύων τε πρεσβεῖαι ἐγένοντο* etc. *καὶ* Καρχηδονίους τότε *πρεσβεύειν λέγεται.* Libyes, Libyophoenices dicti ap. Diodor. XVII, 113, fuere Afri a Carthaginiensibus ditione ac seruitute habiti. *Κέλται* nisi cum Iberis iunctim memorati essent, possint esse Galli qui ſinitima Thraciae versus Istrum iam tum occupauerant: quos etiam Diodorus l. l. memorat. Omnis haec inprimis de Iberis et Gallis memoratio est obseruatu digna, cum de Carthaginiensium rebus

Romanorum quoque legationem ad Alexandrum, etſi parum probabilem Livio viſam (IX, 18.), ex dictis tueri, tanquam ab odio in Carthaginienſes profectam; iſta tamen aetate inter illos populos foedere iunctos inimicitiae nullae viguiſſe memorantur. Poſſit alius aliam cauſſam legationis ex eo petere, quod apud Strabonem (lib. V. p. 354 B p 232.) Alexander ad Romanos memoratur miſiſſe qui conquererentur de Oſtienſibus ſocios ſe Tyrrhenis praedonibus praebentibus. Falleretur tamen, qui id ſtatueret; nam Alexander ille fuit Moloſſorum ſeu Epiri rex, qui in Italiam eſcenſionem fecerat, mox etiam pacem cum Romanis (apud Livium lib. VIII, 24. 13. 17. et Iuſtinum XII, 2.), paullo poſt ad Pandoſiam interfectus, Olymp. CXII, 1. ante C. N. 332.

Acceſſit

bus per antiquiora tempora tam pauca sint memoriae tradita. Intelligitur enim, iam ante Amilcaris traiectum in Hispaniam, primo bello Punico confecto, (ante C. N. 236. Ol. 136, 1.) eas Carthaginiensium opes in illa fuisse, vt Iberi aliena auxilia circumspicerent, grauante iam Carthaginiensium dominatione; annis ante Barcam supra octoginta octo (a. C. 324.). Is igitur in Hispania id tantum egit, vt imperium Carthaginiense proferret; quod iam ante non contemnendum fuisse vel sic facile credideris, quia, Tyro ab Alexandro excisa, Phoenicum colonias in eorum ditionem cessisse haud dubites, et inde eos a Gadibus et maritimis locis ad interiora processisse. Memorantur aliquoties copiae ex Hispania collectae a Carthaginiensibus ad bella in Sicilia gerenda, vt Ol. 92, 3. vt Egestanis opem ferrent, Annibale Gisconis duce, Diodor. XIII, 44. 54. add. XVI, 54. Ol. 96, 1. Ad antiquiora tempora spectat, quod de auxilio Gaditanis consanguineis misso narrat Iustin. XLIV, 5.

Acceſſit ad ea, quae Alexandrum ante obitum deſtinaſſe exſequenda narrant *i*), aliud, quod ad Orientem ſpectabat. Parauerat proximis ante fata diebus claſſem ad Arabiam inuadendam, miſſis iam antea, qui ſinum Perſicum et Arabiae extrema explorarent: haec quidem cum fide tradita eſſe videntur; ad Perſiam tutandam, antequam ad alia peragenda diſcederet, haud parum intererat, vt maritima ab hac parte explorata haberet et firmaret. Arrianus etiam memoriae traditum narrat, voluiſſe Alexandrum oram ſinus Perſici maritimam et inſulas coloniis frequentare; Porro, vt ex Ariſtobulo Strabo narrat XVI. p. 1078. A (p. 741.) Alexandrum (Babylone), ipſum nauigantem et nauigium gubernantem, foſſas Euphratis et Tigridis inſpexiſſe easque multitudinis comitantis opera expurgaſſe et ora quaedam obſtruxiſſe, alia aperuiſſe; cumque foſſam quandam ad paludes et lacus, qui ſunt verſus Arabiam, tendere animaduerteret, habentem os intractabile (*δυσμεταχείριστον*) et obſtructu difficillimum, propter cedentem et mollem terram: aliud nouum os aperuiſſe XXX a priore ſtadiis, capto loco petroſo atque traducto alueo; ea autem propterea feciſſe, vt ſimul praecaueret, ne Arabia omnino difficilis eſſet ingreſſu propter lacus et paludes, cum iam tum propter aquarum copiam inſulae faciem haberet; *habebat enim in animo regionem eam occupare, iamque ad hoc et claſſem et ſtationes parauerat*, nauigiis (*ὁρμητήρια τὰ πλοῖα* appellat) partim in Phoenicia Cyproque con-



*i*) Arrian. VII, 19. extr. 20. et inde Ste Croix p. 486.

conſtructis, quae, diſſolubilia et clauis compacta, per ſeptem ſtadia Thapſacum portata poſtea Babylonem flumine delata ſunt; partim in Babylonia aedificatis, ex hortorum et lucorum cupreſſis; ibi enim materiae inopia eſt. Etſi vel hoc ſufficere poterat, quod nauigationem ex ſinu Perſico et Euphratem ad ſuperiora Meſopotamiae loca expeditiorem reddere in primis conſiliis habere debuit rex: ea autem nauigatio et ante eum et poſt eius mortem viguit: Gerrhaeorum partes in ea ex Ariſtobulo memorat Strabo p. 1110. D. Ceteroqui ea, quae modo memorata ſunt, memoria et animo tenere noſtri Othmani, ſibique prouidere debent, partim ſi hanc terrarum ad Euphratem partem, ne paludibus obruatur, ſeruare, partim Mechabitas ab ora habitabili ſi excludere volent. Videte iam alia ab aliis cumulata: quorum partem Strabo eodem loco ſubiicit. Aiunt, inquit, eum hanc cauſſam bello praetendiſſe, quod ex omnibus gentibus ſoli Arabes nullam legationem ad regem miſerant neque quicquam officii aut honoris ei detulerant; famam quoque fuiſſe, voluiſſe ſe hac in Arabes expeditione Baccho aequare *k*). Ipſi Arriano ſatis cauſſae eſt viſum, quod inſatiabili proferendi regni cupiditate incenſus, etiam laudata Arabiae opulentia incitatus, arma parare potuit. Apud Strabonem alia fama fuiſſe memoratur (lib. XVI, extr. add p. 1070 C.), voluiſſe eum in Arabiam ſedem imperii transferre. Quid

*k*) Verba Strabonis eod. p. 1078. c.

Quid autem ſtatuas de Plutarcho *l*) aſſerente, eum Arabiam et Africam circumnauigare et per fretum Gaditanum in mare internum ingreſſum redire in Macedoniam inſtituiſſe. Tolerabile erat, ſi dixiſſet, eum Arabia deuicta per ſinum Arabicum in Aegyptum tetendiſſe, e qua expeditionem aduerſus Carthaginienſes erat facturus, claſſe interea in Phoenices, Syriae et Cypri portubus parata. Etiam Curtius (X, 1, 17) minus portentoſe Alexandrum ait ſtatuiſſe *omni ad orientem maritima ora perdomita* ex Syria *petere Africam Carthagini inſenſum.*

Miſerat quoque Heraclidem vnum e ducibus in Hyrcaniam ad aedificandam claſſem in mari Caſpio, cuius notitia necdum certa habebatur (Arrian. VII, 16.). Neſcio an fuerint qui eum putarent cogitaſſe de commerciis per hoc quoque mare et per Pontum Euxinum cum India iungendis; nam creditum eſſe video aſſeuerari *m*), "voluiſſe Alexandrum per Pontum Euxinum et paludes Maeotides peruenire ad ſeptentrionem Europae, et Italiam ac Siciliam inuadere, Aſiae cum Europa iunctae Inſulas Britannicas adiungere, et ſuper omnia nouas terras exquirere." Adeo portentum aliud ex alio fingere placuit; procliui ad miracula amplectenda ingenio humano, cumque ſemel de

 inſatia-

*l*) Plutarch. in Alexandro p. 702. D. (c. 68.) *ὥρμησεν αὐτὸς πλεύσας κατὰ τὸν Εὐφράτην στόλῳ μεγάλῳ, εἶτα παρὰ τὴν Ἀραβίαν καὶ τὴν Λιβύην παρακομισθεὶς διὰ στηλῶν Ἡρακλείων ἐμβαλεῖν εἰς τὴν ἐντός.*

*m*) V. C. *Sainte Croix* p. 482. Arriano quidem auctore laudato, nec tamen ſatis cum fide.

inſatiabili gloriae cupiditate, qua ille inflammatus erat, vulgo conſtitiſſet, pari audacia rhetorica ſcriptores in eum abſurdiſſima quaeque cumularunt, ita vt ne omnium quidem terrarum imperio expletum conqueſtum narrarent, quod vnus tantum mundus victori pateret *n*).

Quorſum tamen in comminiſcendis nouis temerariis factis et conatibus, quos heroi Alexandro affingerent, operam vanam effuderunt ſcriptores: cum ſatis inſaniae in ipſis eius factis geſtisque ſeſe offerat ei, qui res humanas ex vero aeſtimet, non ex opinionum humanarum vanitate.

*n*) *Vnus Pellaeo iuueni non sufficit orbis* etc. Iuvenal. X, 186. et, *Oceano classes inferre parabat* etc. Lucan. X, 136. cf. DE STE CROIX p. 416. 417. Similia de Caesare apud Plutarch. Caes. p. 735. B. et de Pyrrho ap. eund. p. 391. neque res est ingenii magni aut vasti, quod putant multi, similem temeritatem animo concipere. Veriora tradita sunt de Mithridatis conatibus, ex Maeotide in Istri ostia classe ducta, arma in Italiam transferendi.

V.

## V.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
# THEOPHILVS IACOB. PLANCK
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. III. AVGVSTI ANNI HVIVS CIↃIↃCCCVI.
FRIDERICI WILHELMI III.
REGIS PRVSSORVM INDVLGENTISSIMI
SOLLENNE NATALITIVM
INDICTO
CONSTITVTA EX EIVS MVNIFICENTIA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. III. AVGVSTI ANNI CIↃIↃCCCVII.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

---

Praeconium faciendum eſt, Cives, victorum in certamine litterario Auguſti die III. habito, praemiorumque in aliud certamen anni futuri in-

dicen-

dicendorum. Quandoquidem enim recepti ſumus in ſinum ac tutelam Regis Potentiſſimi, Indulgentiſſimi, Friderici Wilhelmi III. cuius ſummum litterarum bonarum ſtudium inſtitutionisque publicae ſollicitudinem mirabilem multis exemplis teſtatam vidit aetas noſtra: in tanta rerum conuerſione, propitia aliqua fortuna vobis obtigit, vt pulcherrimum certaminum litterariorum inſtitutum, tantum abeſt vt antiquaretur, nouo potius ſplendore, noua lege, nouis auſpiciis eluceſceret. Regis enim indulgentiſſimi munificentia *academiae noſtrae iura ac decora, commoda et priuilegia, cum ſcientiarum et litterarum inſtitutis et apparatibus, ſubſidiis ſtipendiisque, vnde iis omnibus ſuſtentandis ſumtus ſuppetunt, eorumque fundo ac ſorte intacta relicta, et a domanio fiſcoque ſeparata, per regiam ſanctionem ita ſunt firmata, vt nihil iis ſit derogatum, nihil detractum ac deminutum; conſtituto quoque in his prouinciae Hannoueranae terris Curatorio perpetuo; et dato, qui academiae prouideat ſummoque loco praeſit, viro laudatiſſimo, Illuſtri ab Ingersleben, Regis potentiſſimi redituum curandorum Collegio a conſiliis principe loco, et Praeſide prouinciali*, cuius eximiam humanitatem, beneuolentiam, prouidentiamque circumſpectam, cum ſummo rerum noſtrarum ſtudio coniunctam, iam in ipſis muneris auſpiciis, quae vtinam fauſtiſſima ſint, erectis animis ſatis perſpeximus. Quae omnia cum ad mentes noſtras, omni anxietate liberandas, incredibilem vim habeant, easque grata regiae munificentiae veneratione perfundant: beneficiis his in nos collatis decretisque laetamur acceſſiſſe quoque hoc, quod conſtitutum

tutum eſt, vt certamen litterarium veſtris, Commilitones, ſtudiis propoſitum et ſuperiore anno in IV. Iunii indictum, nunc iisdem conditionibus ac praemiis, quae pronuntiata fuerant, Auguſti die III. Regis indulgentiſſimi natali, poſſet committi.

Quae cum ita eſſent, Commilitones, nos ſortis, loci, fortunaeque noſtrae memores, regiam indulgentiam animis gratis, et ad obſequium iuſtum deuinctis, ſumus venerati, natalitiumque ſollenne Regis Friderici Wilhelmi III, ſummis virtutibus ornatiſſimi, debita pietate gratulati, et fauſtiſſima quaeuis feſtis vocibus a ſummo rerum moderatore impertienda precati; officio autem noſtro in hunc diem impoſito ita cum maxime ſatisfaciendum eſſe putauimus, vt, certaminis legibus ante oculos poſitis, iudiciis ſententiisque ex iuſto aequoque ferendis, praemiisque religioſe aſſignandis, nouisque quaeſtionibus docte prudenterque proponendis, teſtatum faceremus, nos inſtituti huius praeclari vtilitates bene perſpectas, totque annorum experientia vſuque cognitas, in praecipuis, quibus Georgia Auguſta eminet, decoribus numerare, ideoque illud, vt alia omnia, quae ad ciuium noſtrorum commoda fortunasque ſpectent, quae ſtudia incendant, ingenia expoliant, mores fingant, litterarum bonarum amore imbuant, deſidiam et inertiam exterminent, curae cordi ſtudioque cum maxime habere.

Vos autem, Commilitones, ex dictis intelligite et ſedulo perpendite, quam praeclare commodis veſtris fortunisque prouiſum ſit, in hoc quoque, quod in his ipſis ſollennibus, regio nomini

mini natalique conſecratis, ſtudiorum veſtrorum ratio habetur, et, ſi modo ſint inter vos, qui ad maiora adſpirent, laudis famae ac fortunae veſtrae tanquam fundamenta iacta ſunt. Quisquis enim curriculi academici bene peracti, ingenii doctrinaeque ſuae, ſpecimina futurorumque profectuum certa pignora hoc certamine ediderit, ſi auſpiciis fauſtis prudentia ac virtus porro adfuerit, de futuro fortunae curſu non habet quod trepidet. Licet enim ſine inuidia profiteri, victores ex hoc certamine academico per ſuperiores annos diſceſſiſſe plures, nunc inter viros litteratos aut in rebus agendis ſpectatos, nominis celebritate claros; nec quemquam facile poſſe memorari, qui non muneri publico admotus ingenii doctrinaeque praemia conſequutus ſit. In tanta enim eorum, qui litterarum ſtudiis ſeſe addicere ſolent, multitudine, ſi quod vitae negotium grauioris momenti occurrerit, incredibile eſt, quanta ſit ingeniorum rebus cum virtute intelligentia et induſtria peragendis idoneorum penuria. Idque per omnia officiorum publicorum non modo ſed et vitae litterariae in diſciplinis litterarumque rudimentis tradendis, ita ſe habere teſtantur viri in rerum vſu verſati; eos enim, qui tanquam in transcurſu et aliud agendo doctrinae ſtudia leuiter deguſtent, eſſe numero ſatis multos, qui autem ex diſciplinarum fontibus ſalubres vitalesque hauſtus largos imbiberint, paucos, et ſingulis fere annis rariores ac pauciores. Ad eorum itaque, qui horum certaminum opportunitatem ingenii doctrinaeque vires explorandi et acuendi haud aſpernati ſunt, nomen, locum, ac laudem,

laudem, adſpirate et vos, Commilitones, inflammatis ſtudiis, tentando ingenia exſerite, doctrinam promite, fortunae oblatas vices cupide arripite, totiusque vitae curriculo, inſigniore cum laude et dignitate inter alios peragendo, hoc certamine praeludite. Ita aliquando honoribus meritisque conſpicui, quo animo, qua recordationis iucunditate, quo gratae pietatis ſenſu Georgiae Auguſtae, almae altricis veſtrae, bona praedicabitis, eamque amoris affectu, tanquam nutritii nutricem ſuam ac parentem, proſequemini!

Accedendum nunc eſt ad ipſam certaminis fortunam praeconio noſtro edicendam.

"Ab *Ordine Theologorum* poſtulatum fuerat

*Vt doctrinae de Iure iurando in eccleſia chriſtiana hiſtoria exponeretur;*

ſed qui argumento non nimis difficili tractando parem ſe confideret, nullus ex noſtris iuuentus eſt; quod quidem modeſtum de ſe ipſis iudicium in multis approbamus, at in omnibus locum habuiſſe et dolemus et dubitamus.

Orationi ſacrae propoſitum erat argumentum ex II. Petr. I, 5-7. petendum:

*Quantum fides in Ieſum Chriſtum ex ſenſu literarum ſacrarum valeat ad virtutem humanam promouendam?*

*Der hohe ſittliche Werth des Glaubens an Jeſum nach dem Sinne der heiligen Schrift.*

Oblatae ſunt *quatuor* Orationes,

*prima* quidem verbis inſignita: *Longum iter est per praecepta, breue et efficax per exempla.*

*ſecunda*

*ſecunda* verbis Iacobi inſcripta: Ἡ πιστις ἐαν μη ἐργα ἐχῃ, νεκρα ἐστι καθ' ἑαυτην.

*tertia* cum verbis Simeonis: *Herr! nun läſſeſt du deinen Diener in Friede fahren nach deinem Wort.*

*quarta* verbis Chriſti conſpicua: *Ich bin der Weg, die Wahrheit und das Leben. Niemand kommt zum Vater, denn durch mich.*

Cum vero auctores *primae* et *quartae Orationis* ſphalmate typographico, quod in programma ſuperioris anni irrepſit, ſed ſtatim in publicis noſtris ephemeridibus correctum fuit, decepti in textum minus aptum et conuenientem incidiſſent, fieri non potuit, vt propoſita materia eo ab eis modo tractaretur, qui iudicium comparatiuum admitteret. Ferri itaque ſententia de *ſecunda* tantum et *tertia* potuit, atque ex his *tertia* quidem ita diſpoſita, elaborata ac pronunciata viſa eſt Ordini, vt dignam eam praemio regio, nec vero alteram etiam priuandam laude publica iudicaret."

Auctor *Orationis praemio ornatae* inuentus eſt:
IOANNES IACOBUS SACK, *Hannoueranus*,
auctor alterius, quae proxime ad iſtam acceſſit,
GEORGIUS OTTO DIETRICUS KÖNIG, *Cellenſis*.

"Ab *Ordine Iureconſultorum* propoſita erat quaeſtio:

*Quae ſint, iure nouiſſimo, hereditatis ciuilis et bonorum poſſeſſionis, tum conuenientiae, tum differentiae principes?*

Exhibitae ſunt Ordini *commentationes quatuor* hiſce ſymbolis inſignitae:

I. *Αιεν ἀριστευειν και ὑπειροχον ἐμμεναι ἀλλων.*
II. *Dubitare et aliquid neſcire auſi ſunt.*
III. *Speremus, agamus.*
IV. *In magnis et voluiſſe ſat eſt.*

Quae

Quae quamquam omnes diligentiae, ingenii et doctrinae luculentum praebent teſtimonium, auctoribusque ſuis in laudem cedunt, ita tamen inter ſe diſtinctae ſunt, vt ſuum cuiuis pretium ſtatuere non ſit difficile. Quae enim *quarto* loco indicata eſt, auctorem quidem habet proprio iudicio vtentem, ſed neque ſcribendo ſatis exercitatum, neque doctrinae copia ſatis inſtructum. Maiorem laudem merentur auctores *primae* et *tertiae* commentationis, quorum *ille*, quae propoſuit, magna quidem iudicii ſagacitate adornauit, ſed non vbique pari perſpicuitate explicauit; *hic* contra ambitum quaeſtionis et ſingula eius momenta conſideratius expendit, praetereaque non ſolum diſpoſitione rerum perapta, verum etiam perſpicua earumdem tractatione magnopere ſeſe commendat. Omnium autem laudem exſuperat auctor commentationis *ſecundae*, qui non ſolum hiſtoriae et iuris cognitione eximia eminet, verum etiam in explicatione quaeſtionis propoſitae ſermone vſus eſt concinno et puro, ordine dilucido et plano, iudicio ſubtili et ſubacto. Admirati ſumus auctoris induſtriam indefeſſam et operam doctam in explorandis inueſtigandisque his, quae pertinent ad quaeſtionis partem hiſtoricam et litterariam; et quamuis hoc ipſo tractatio, quae pro inſtituti ratione paucis plagulis comprehendi poterat, in ſpiſſum volumen excreuerit, nimio tamen hoc eruditionis adparatu auctorem praemio defraudandum non eſſe cenſuit Ordo ICtorum, eamque ob rem praemium regium *huic*, *proximum* autem poſt hunc locum auctori commentationis *tertiae* addixit."

Aſſignatum eſt praemium
GEORGIO GUILELMO PLANCK, *Gottingenſi.*
Acceſſit proximo ad primum loco
EDUARDUS GMELIN, *Gottingenſis.*

"Ab *Ordine Medicorum* edicta erat quaeſtio:

*Cum certo conſtet, quaedam tum alimentorum tum medicaminum genera, eorumue partes, per vaſa abſorbentia ipſi ſanguinis fluento admiſceri, alia contra, quae ab his quaſi reſpuuntur, nunquam eidem hac via affundi; deſiderat Ordo medicus plenum, quantum fieri poteſt, et accuratum recenſum eorum, quibus, ſiue tubo alimentario ſint ingeſta, ſiue communibus corporis integumentis applicata, ingreſſus in ſyſtema vaſorum ſanguiferorum aut conceſſus a natura, aut negatus ſit.*

Oblatae ſunt Ordini ſcripta quatuor his ſententiis inſignita:

I. Ου τοις αθυμοις ἡ τυχη ξυλλαμβανει. Sophocles.

II. *Veniam pro laude peto, laudatus abunde non faſtiditus si tibi lector ero.* Ovid.

III. *Ipsa rei intelligibilitas non est nisi aduentus et approximatio veritatis intellectus et intellecti, siue alteritatum in relatione destructio.* von Helmont.

IV. *Selig sind die da arm an Geiste sind etc.* Evang. Matth.

Scriptorum horum tria, No. II. III. et IV. ſerius, quam dies conſtitutus fuerat, tradita ſunt: ſpreta lege, quae iterum iterumque in programmatibus memoriae fuit infixa et tantum non inculcata: *Si qui ingreſſuri ſunt, iubentur commentationes ſuas reddere ante Kalendas Apriles. Declaratur publice ab Ordinibus, perituram eſſe operam, eiusque fructum,*

*eorum,*

*eorum, qui ſerius in certantium numero nomina profitebuntur et commentationes tradent.* Commentatio tamen *loco ſecundo* memorata in decurſu Aprilis, *quarta* verbis, vt diximus, germanicis inſcripta, in curſu Maii tradita; quae quidem omnino non potuit admitti, cum perſcripta ſit ſermone vernaculo: cui in certamine hoc doctioribus propoſito nullus prorſus eſt locus: id quod docuere verba legis certaminibus olim ſcriptae: *oratione vti licebit alia nulla quam latina, vernacula excluſa eſto omnis: hoc expreſſe ex Regia auctoritate pronuntiatur.*

Quae autem loco ſecundo memorata eſt, inſcriptis verbis: *veniam pro laude peto*, auctoris ingenium non infelix prodit quidem; ipſe tamen profitetur temporis operae impenſi breue ſpatium ſibi ſuppetiiſſe: idque multo magis teſtatum facit ipſa ſcriptio, ſumma incuria exarata, ſphalmatibus foedata, nec ſine moleſtia et offenſa oculorum, quibus legenda illa offerebatur. Peccatum itaque in hoc quoque eſt in legem certaminis, qua in hunc modum eſt ſancitum: *Si qui in commiſſionem deſcenſuri ſunt, mature cogitent de exemplari ſcripturae et apographo nitide et diligenter facto, vt lectio ne ſit impedita et moleſta. Saltem cauere par eſt ne iudices moleſtia ac faſtidio ex lectione enecentur.*

Iam Commentatio *tertio loco* annumerata, inſcripta verbis: *ipſa rei intelligibilitas* etc. capita tantum nonnulla quaeſtionis, etſi ſatis grauia illa, attingit, inque his locum de chylo, quem tam ſollerter et ſubtiliter pertractat, vt egregia laude digna viſa ſit.

 Reſtat

Reſtat *commentatio primo loco* laudata et graeco verſu Sophocleo inſcripta, quae non modo omnes certaminis leges diligenter obſeruauit, verum etiam internis dotibus, ipſaque tractatione reique quaeſitae expoſitione et illuſtratione tam inſigni modo ſe Ordini Medicorum commendauit, vt vnanimis ſuffragiis ei praemium ſit decretum."

Praemium cum laude obtinuit

Io. Frid. Lucretius Albrecht, *Hildeſienſis.*

## *Ordo Philoſophorum*

duas quaeſtiones in hunc annum propoſuerat, alteram *ordinariam*, alteram ex ſuperiore anno iterum in certamen miſſam. *Ordinaria* erat, vt iuberentur concertaturi

*Interpretationis allegoricae Philonianae principia et elementa ex ipſo Philone elicere et declarare.*

Tres fuere, qui in certamen deſcenderent, ſcriptis in hunc modum inſignitis, vt *prior* commentatio inſcripta eſſet verbis, *παντα δοκιμαζετε*, *altera* dicto, *dubitare et aliquid neſcire auſi ſumus*, tertia verbis: *Perſium non curo legere, Laelium Decimum volo.* In ſinu laetati ſumus inueniri in ciuitate hac noſtra litteraria iuuenes, qui ſtudiorum profectibus valerent ſatis idoneis, vt argumento doctiori conatus ſuos applicare auderent; nec infeliciter ſunt auſi, etſi viribus disparibus; *primus* quidem, qui, *παντα δοκιμαζετε*, adſcripſerat, doctiorem ſtudiorum orbem ita emenſus eſt, vt Platone et Philone deguſtato Iudaicae quoque antiquitatis notionem qualemcunque adiungeret; *tertius*

*tertius* autem maturioribus iam doctrinae copiis inſtructus, etſi Iudaicae antiquitatis ſcientiam exquiſitiorem deſiderabamus, a Therapeutis progreſſam ex Orientis et Graeciae philoſophiae riuulis confluxiſſe allegoricam Iudaeorum, inprimisque Philonis, interpretandi ſectam, bene perſpexit, oratione quoque latina perſpicua ac probabili ceteris praeferendus; is tandem, qui *ſecundo* loco eſt memoratus, cum dicto: *dubitare et aliquid neſcire auſi ſumus*, ea eminet doctrinae copia, lectionis Philonianae vſu tam familiari, ea artis hermeneuticae praeceptorum ſcientia; inprimisque allegoriae principia, cauſſas et rationes ita habet perſpectas, vt laudem integram et pulcherrimam conſequutus eſſe videri poſſet, ſi bonis rerum ſententiarumque copiis ſtudium quoque ſtyli addidiſſet: quo ipſo euenturum fuiſſe viſum eſt, vt ſubtilioris quoque ac ſeuerioris iudicii veſtigia apparerent clariora. Quas ſcriptionis dotes etſi non aequo animo deſiderauit Ordo philoſophicus, iis tamen doctrinae copiis, ea ingenii facilitate, quamuis interdum ſolutae et perfunctoriae operae propiore, inſtructum vidit eſſe libellum, vt praemium quaeſtioni propoſitum promtis ſuffragiis ei decerneret; *tertiam* autem Commentationem ei adiungeret proximo loco comitem, et laude ſua commendatam.

Victrix commentatio habuit auctorem
LUDOVICUM HENRICUM PLANCK, *Gottingenſem.*
Nomen eius, qui *Acceſſiſſe* proximo loco viſus eſt, euulgabitur, cum primum, quod valde optamus, innotuerit.

Altera quaeſtio, quam ſuperiore anno iterum propoſitam diximus, ſpectabat

ad religionum Latii veteris domeſticarum *notitias e libris Faſtorum Ouidii eruendas et ex aliis ſcriptoribus illuſtrandas.*

Iterum proceſſit in arenam et certauit, etſi nullo aduerſario aduerſus eum prodeunte doctus auctor Commentationis ſuperiore anno exhibitae, iisdem, quibus antea, verbis inſcriptae: *dubitare et aliquid neſcire auſi ſumus;* et reſciſſis iis, in quae intemperantius erat euagatus, diſpoſitis ſubtilius aliis, meliore quoque dilectu et ſagaciore iudicio expoſitione facta, nullam niſi forte orationis Romanae nondum perbene elaboratae, reprehenſionem reliquit, laudem vero emendatiore hoc ſcripto conſequutus eſt tantam, vt palma ei, etſi ſine puluere, negari nequiret. Decretum itaque ei eſt praemium, quod ex ſuperioribus annis, commiſſa ſine victore pugna, in futurum certamen ſepoſitum erat.

Auctorem eſſe compertum eſt

Ernestum Spangenberg, *Gottingenſem,* cuius induſtriam, pietatem in parentem et modeſtiam, optimo cuique publice commendatiſſimam eſſe volumus."

Intelligitis ex dictis, Commilitones, quam procliui ſimus voluntate et ſtudio in commendandis et ornandis laudibus veſtris; videtis quam faciles ſimus in excuſandis conatibus, virium maturitate et doctrinae apparatu nondum ſatis inſtructis. Credere itaque licet virtutis pulchritudine laudis-

laudisque dulcedine contactos plures inter vos eſſe, qui latentes igniculos ſentiant incaleſcere, ſimilis laudis cupidine animos exardeſcere, ingenia gloriae ardore inflammari; quis enim natura eſſet tam proiecta et ignaua, quin nomine ſuo cum laude memorato non exſultet! ſuae virtutis praeconium vt aliquando conſequatur, haud in votis habeat! *) Vt igitur iis qui tam erectis ſunt ingeniis, vt et ipſi laudum circumſpiciant materiam, agedum pronuntiabimus in annum futurum, ſeptimum ſaeculi, nouas quaeſtiones, quibus expediendis matura ſtudia, ingenii ſollertiam, doctrinae accuratae copiam, approbare viris eruditis poſſitis. Accipite itaque argumenta ex ſtudiorum veſtrorum areolis decerpta, in quibus tractandis et bene latine exponendis manifeſtare poteritis parentibus, patriae, fortunae veſtrae fautoribus, quo cum fructu veſtro ſcholas docentium frequentaueritis et, quandoquidem iſtarum ſterilis eſt opera niſi priuati ſtudii acceſſerit fecunditas, qua cum aſſiduitate ſtudia priuata cum publicis auditionibus coniunxeritis.

Ab *Ordine* quidem *Theologorum* poſtulatur:

*Vt ex documentis a Gregorio I. Pontifice Romano relictis, eiusque potiſſimum Epiſtolis, accurate quantum fieri poteſt, deſcribatur ſtatus ſundorum et patrimoniorum quae ad eccleſiam Romanam ſub finem*



*) Antisthenes philosophus cum vidisset adolescentem luxuriosum acroamatibus voluptariis deditum, ait: *miserum te, adolescens, qui nunquam audisti summum acroama, laudem tuam!* Vet. Schol. Horatii Serm. II, 2, 94.

*Sec. VI. pertinebant, tum quoad prouincias, in quibus ſita erant, tum quoad reditus inde coactos, tum quoad modum qui in reditibus dispenſandis et fundis adminiſtrandis obtinuit.*

Orationis autem ſacrae argumentum hoc eſto, vt ex Iohannis Cap. XX. 29. oſtendatur:

*Quid interſit inter fidem, quae non ſolo ſenſuum teſtimonio nititur, et fidem, quam vocant, caecam.*

ſiue

*Der Unterſchied zwiſchen dem Glauben ohne zu ſehen und zwiſchen blindem Glauben.*

Ab *Ordine Iureconſultorum* quaeſtio proponitur:

*An ſeruitus in faciendo conſiſtat, tum ſecundum ius Romanum, tum ſecundum ius Germanicum.*

Ab *Ordine* autem *Medicorum* quaeritur:

*Quid ſexus conferat ad morborum ortum et indolem, ipſorum genitalium morbis exceptis.*

*Ordo* tandem *Philoſophorum* ſtudia veſtra, Commilitones, quotquot in antiquorum populorum hiſtoriis monumentisque illuſtrandis linguarumque veſtigiis perquirendis verſamini, *ad doctiores notitias linguae Clticae*, reuocat, quandoquidem etiam inter Gallofrancos ad Celticas litteras excolendas virorum doctorum Societas coiit. Galliam in tres partes, Aquitanicam, ſ. Armoricam, Celticam et Belgicam, fuiſſe diuiſam, et a diuerſis populis, *Aquitanis, Celtis et Belgis* habitatam, ex ſcriptoribus antiquis nota res eſt: eos populos *lingua,*

*lingua, inſtitutis, legibus,* inter ſe diſcrepaſſe, diſerte pronuntiat Caeſar de B. G. pr. conſentiunt Strabo, Livius, Mela, Plinius, (loca v. ap. Schoepflin Vindic. Celt. p. 27 ſq.) et inde recentiorum doctiſſimus quisque, nuper quoque Mannert (Geograph. P. II. p. 15 ſqq.) Celtas, qui primi innotuerant, Romani appellarunt Gallos, nomen Κελτῶν frequentarunt Graeci, quod poſtea ad omnes Gallorum incolas fuit propagatum; ſerius quoque lingua Celtica credita communis fuiſſe totius Galliae, atque inde confuſa eſt omnis Galliae antiquitas, neque diligentius inueſtigatum, quid Aquitanis ac Belgis proprium, et qui vtrisque ſermo fuiſſet.

Veſtigia tamen trium linguarum etiamnum extare Büttnerus olim noſter, et Illuſtris Collega de Schlözer (Allgem. Nordiſche Geſchichte [1771] p. 338 - 344.) animaduerterant, *Aquitanicae* quidem in lingua Vaſconum (ſ. Basquorum, Baſculorum, des Basques) cis et vltra Pyrenaeos montes; *Belgarum* eorumque linguae in Cambria, (ſ. Principatu Walliſiae, Wales) in qua Belgarum reliquiae, Cymry ſe appellant; ſuperſunt quoque veſtigia in Britannia Galliae; *Celticae* autem in lingua Galic inter incolas Scotiae ſeptentrionalis Hiberniae et Hebridum. Similia ex parte iam a Schöpflino erant tradita (l. c. p. 39. m. a. 1754) add. Notata ad *Guthrie* hiſt. vniuerſ. To. III. p. 973. 978. (1766) verſ. germ. Ignoratis his ſeu neglectis perſtitere plerique ſcriptores exteri in nomine Celtarum, linguae Celticae et Celticae

 antiqui-

antiquitatis, latius et promiſcue contra hiſtoriae fidem et critices ſubtilitatem adhibendo.

Vt itaque error ille animis virorum doctorum penitus euellatur, quaeſtionis loco ab Ordine Philoſophorum proponitur:

*Vt trinarum iſtarum linguarum Vaſconum, Belgarum et Celtarum, quarum reliquiae in linguis Vaſconica, Cymry et Galic ſuperſunt, comparatione ſollerter inſtituta diſcrimen et diuerſa cuiusque indoles doceatur.*

Quod ſi feliciter effectum fuerit: de Celtica omnino antiquitate veriora a viris doctis traditum iri credere licet. Effici autem id poterit, cum trium linguarum extent grammaticae et lexica, e quibus earum natura et forma, ſeu *mechanismus*, facile poſſit cognoſci, cum aliis linguis notioribus comparari, et ad grammaticae generalis praecepta referri; omnium autem ſtudiorum fundus eſto grammatica, quae nihil aliud eſt quam logica ad ſermonem applicata, quam nemo accurate doctus poteſt ignorare.

Vt vero norint erectioris indolis iuuenes, qui ad hanc concertationem accingere ſe volent, quae ſint conatuum ſubſidia circumſpicienda: ſatis erit, praeter iam memoratos viros doctos, alios inſpicere qui ab iis laudati ſunt, tum Herderum (Ideen. Th. IV. p. 6 - 17.) Götting. Gel. Anzeigen 1806. p. 384. Add. Meuſel. Biblioth. hiſt. Vol. V. P. I. ſaltem inde a p. 320 - 323. antiquiora enim quae ibid. inde a p. 309. excitantur nolimus conſuli;

ſuli; nam perturbant potius iudicium quam rem dilucidant; tum Vol. VII. P. I. p. 113. Ita nec Commilitonum ſtudia distrahi volumus ad legenda ea quae de Oſſiani poematibus et ſermone Herſico ſunt diſputata; etſi diſceptatio de iſtorum veritate ex opera veſtra certiora argumenta mutuari poterit.

Atque his peractis mandato praeconio rite defuncti eſſe videri poteramus. Reſtabat quod diei ſollenne, quod officium et pietas, poſtulabant, vt, ad bona vota piasque preces conuerſi, ab humanis ad diuina erigeremus animos, liberata curis mortalibus pectora religioſis ſenſibus imbueremus, pioque affectu animis induto Numen ſempiternum, exſuperantiſſimum, quod hoc vniuerſum vi ſua moderatur, ſupplicibus manibus mentibusque precaremur, vt, quo nutu ipſos naturae tumultus terroresque comprimit, eodem foedas tempeſtates ac procellas, quae per omnem terrarum orbem ſtrages et excidia late inferendo graſſantur, componat, fluctusque decumanos, quibus iactata miſere Germania nunc penitus ſubmergitur, reſidere iubeat, ne, libertate publica ſublata, liberalis hominum ſenſus cultusque omnis extinguatur, virtus Teutonum auita, conſiliorum probitas, morum honeſtas prorſus exoleſcat; nec popularium ingenia ad ſeruile obſequium depreſſa, inertia et languore diffluentia, ad inania et friuola ſtudia prono curſu, quo iam coepere, ferantur; ſenſu veri ac recti in animis obſcurato, errorum tenebris offuſcentur; litterarum ſacrarum, eruditique religioſae doctrinae ſtudii honos tollatur; tandemque

vbi

vbi luxuries perditorumque morum ſanies omnem publicam priuatamque vitam contaminauerit, nutrita in tali contubernio barbaries omnia tanquam eluuie vaſtata euertat. Huic generis humani ſtragi et omnis virtutis excidio quibus modis ac conſiliis occurrendum ſit, cum aeternae ſummi numinis menti vnice pateat: nos in eius ſapientia, amore generis humani, et in recti verique aeternis conſiliis legibusque acquieſcimus, pieque precamur, vt dei O. M. curae ac tutelae conſecrata ſit vita Friderici Wilhelmi III. cuius paratiſſimam ad pacem conglutinandam voluntatem toties teſtatam vidimus. Faxit numen, vt haec optimi regis conſilia et reducendae tranquillitatis publicae ſtudia fauſto euentu illuſtrentur!

PP. in Georgia Auguſta d. III. Auguſti cIↃIↃCCCVI.

---

# VI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
# IO. PETR. WALDECK
CVM SENATV
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO XXIII.
IN A. D. IV. IVNII ANNI HVIVS cIↃIↃCCCVII.
INDICTO
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
SIMVLQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. IV. IVNII ANNI cIↃIↃCCCVIII.
ADMITTI VOLENT
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Certamina noſtra litteraria, Commilitones, tum per ſe inter academiarum Germaniae memorabilia referenda ſunt, et referentur per futuras aetates; tum vero ea, ex temporum viciſſitudinibus, inter quas celebrata fuere, multa habuere memoratu digna; quae tamen curioſius enarranda in

in alia tempora ſeponimus. Peracta enim ſunt ea certamina inde a primis incunabulis multos per annos inter gratulationes publicas, cum grata ac pia memoratione munificentiae auctoris horum ſollennium, et inter hilaritates, quarum recordatione tacita etiamnum animus exultat. Succeſſere tempora, quibus modo inter varias curarum et ſollicitudinum vices, modo, diſcuſſis bellicis terroribus, et recreatis per caſus inopinatos animis, celebratum eſt hoc ſollenne. Translatum idem mox a die ſuo et legitimo in diem alium, ſeruato tamen certaminis inſtituto, ne quid academiae noſtrae exiſtimationi decederet. Nunc per nouas fortunae, natas alias ex aliis, viciſſitudines reuocatum eſt ſollenne noſtrum ad diem ſuum, Iunii quartum, diem noſtrae academiae feſtum, ſacrum et hilarem, per omne, quod victuri ſumus, aeuum pie et religioſe colendum. Verum de his agendi, aut animi ſenſa ac cogitata vlterius oratione exponendi, nec locus nunc eſt nec tempus. Eloquentiae *mutae* genus eſſe aiunt, omni verborum copia et grauitate diſertius ſignificantiusque, ſi ipſo ſilentio plura, quam quae oratione reddi poſſint, declarantur. Meminimus quoque inter nouem Muſas eſſe vnam, quae digitum labiis admouet. Cohibeamus igitur nos in iis, quae coetus huius ſollennis cauſſis conſiliisque ſunt conſentanea, recitemus quaeſtiones ſuperiore anno ab Ordinibus Academiae propoſitas, memoramus ſcripta, quae concertatione ſunt commiſſa, tandem iudicia ab Ordinibus de iis pronuntiata ſubiungamus.

"Ab

"Ab *Ordine Theologorum* poſtulatum fuerat,

*Vt ex documentis a Gregorio I. pontifice Romano relictis, eiusque potiſſimum epiſtolis, accurate quantum fieri poteſt deſcribatur ſtatus fundorum et patrimoniorum, quae ad eccleſiam Romanam ſub finem Seculi VI. pertinebant, tum quoad prouincias, in quibus ſita erant, tum quoad reditus inde coactos, tum quoad modum, qui in reditibus diſpenſandis et fundis adminiſtrandis obtinuit.*

"Haec quaeſtio cum nec nimia difficultate laboraret, nec ex multorum ſed vnius fere autoris libris petenda eſſet, nec denique ſua iucunditate ſuoque momento careret, eo magis mirati ſumus, nullum fuiſſe, qui doctrinae ingeniique vires in ea exercere vellet."

"Orationis ſacrae argumentum propoſitum erat hoc, vt ex Ioh. XX, 29. oſtenderetur:

*Quid interſit inter fidem, quae non ſolo ſenſuum teſtimonio nititur, et fidem, quam vocant, caecam.*

Oblatae ſunt ordini noſtro orationes *quatuor:*

I. inſignita verbis: *Si me deficiant vires, audacia certe Laus erit —*

II. his: *Πας ὁ πιστευων ου καταισχυνθησεται.*

III. his: *Εστι δε πιστις ελπιζομενων ὑποστασις, πραγματων ελεγχος ου βλεπομενων.*

IV. denique hisce: *Plurimum mali credulitas facit, ne audiendum quidem est.*

Omnes ita comparatae erant, vt dignae iudicarentur, quae e ſuggeſtu aedis ſacrae haberentur. Sua autem vnusquisque orator peculiari laude eminuit. Primus ea, quae de vera fidei natura acute medi-

meditatus et ſecum commentatus erat, memoria fideliſſime tenens, promte et ſine vlla haeſitatione recitauit, oratione vſus eſt rebus ipſis ſemper accommodata, et actionis dignitate haud parum ſeſe commendauit. Auctor ſecundae elegantia orationis, ſublimitate ſenſuum, ardore, et tractatione materiae laudabili ac bene diſpoſita enituit. Tertius quaeſtionem propoſitam ſolerter inueſtigauit et orationis quadam ſuauitate et lenitate inſignis fuit. Acceſſit denique quartus, qui caput rei, de qua agebatur, curatius reliquis expoſuit, dicendi genere vſus eſt populari et perſpicuo et, iam antea cognitam nobis, de rebus diuinis accommodate et ſubtiliter dicendi facultatem denuo comprobauit. Huic itaque eo magis praemium a nobis decretum eſt, cum iam ſuperiori anno proxime ad primam laudem acceſſiſſe iudicatus ſit. Is vero eſt

GEORGIVS OTTO DIETERICVS KÖNIG, *Cellenſis*."

"Ab *Ordine Iureconſultorum* propoſita erat quaeſtio:

*An ſeruitus in faciendo conſiſtat tum ſecundum ius romanum, tum ſecundum ius germanicum?*

Exhitae ſunt ordini duae commentationes, hiſce ſymbolis inſignitae:

I. Ου τοις αϑυμοις ἡ τυχη συλλαμβανει.

II. *Et refellere ſine iracundia, et refelli ſine pertinacia parati ſumus.*

Harum commentationum, quamquam neutra plene ſatisfecerit ordini, vtraque tamen aequis iudicibus laude non indigna viſa eſt. Vicit autem in concertatione commentatio ſecundo loco nominata, ob ingenii, quae praebet, documenta, et ſermonem cultio-

cultiorem, quo conſcripta eſt; ideoque vnanimi arbitrorum conſenſu praemium addictum eſt auctori commentationis ſecundae, quae inſcripta eſt:

*et refellere ſine iracundia, et refelli ſine pertinacia parati ſumus.*

Huic tamen *auctorem primae commentationis proxime acceſſiſſe* iudicatum eſt."

Reſciſſa ſcheda commentationis victricis inſcriptum legimus nomen:

Chr. Fr. Lvd. Iohannknecht, *Herzbergenſis.*

"Ab *Ordine Medicorum* quaeſitum erat:

*Quid ſexus conferat ad morborum ordinem et indolem, ipſorum genitalium morbis exceptis.*

In florentibus his ſcientiae medicae ſtudiis in Georgia Auguſta mirationem facit neminem in tanto numero extitiſſe, qui de quaeſtione ex media diſciplina petita laborare in animum induceret."

"Ab *Ordine Philoſophorum* propoſita quaeſtio his verbis erat enuntiata:

*Vt trinarum linguarum*, Vaſconum, Belgarum et Celtarum, *quarum reliquiae in linguis* Vaſconica Cymry et Galic *ſuperſunt*, *comparatione ſollerter inſtituta, diſcrimen et diuerſa cuiusque indoles doceatur.*

Exhibita eſt Ordini non niſi vna commentatio inſignita dicto Pindarico:

ἑτέροις ἑτέρων ερως εκνιξε γε Φρενας.

ea tamen cum induſtria elaborata, vt vel per ſe ſpectata haud vulgari laude digna videri debeat.

Diuerſae enim ſtirpis trinas iſtas linguas eſſe, nunc in ea declaratum eſt partim etymologice, vocabulis earum inter ſe comparatis, et quidem numeralibus, numinibus rerum in vita, etiam rudiore, obuiarum, aduerbiis, praepoſitis, poſtpoſitis, et coniunctionibus; partim grammatice, conſiderata vocum flexione, articuli, declinationis, coniugationis: deſideratur par opera in verbi ſubſtantiui comparatione. Inueſtigata illa ſunt adhibitis linguarum iſtarum libris grammaticis, quos habemus, Vaſconicae, auctore Larramendi, Cymricae Davis et Galicae auctore Shaw. Digna itaque viſa eſt commentatio praemio quaeſtioni propoſito.

Reſignata ſcheda lectum eſt nomen docti auctoris:

Ge. Avg. Fr Goldmann, *Mündera-Hannoveranus,*
*Seminarii philologici Sodalis.*

Debito victoribus honore hunc in modum perſoluto, reſtat vt quaeſtiones praeconio noſtro pronuntiemus in annum proximum, ſaeculi octauum, propoſitas:

"Ab ORDINE THEOLOGORVM
poſtulatur, vt inquiratur:

*An miracula Ieſu Chriſti ad cauſas naturales ita reuocari poſſint, vt tum de ipſis cauſis certo conſtet, tum narrationibus euangeliſtarum vis haud inferatur, tum denique ipſius Ieſu ſanctitas et fides intacta maneat.*"

"*Orationis ſacrae* argumentum autem hoc proponitur, vt

de

*de religione et eccleſia chriſtiana aeternum duratura*

*Von der ewigen Dauer des Chriſtenthums und der chriſtlichen Kirche*

ex Matth. XVI, 15 - 18. agatur."

"ORDO IVRECONSVLTORVM

proponit quaeſtionem:

*Si ex cambio agitur, in territorio, vbi ius cambiale particulare non extat, an et quatenus deciſio petenda ſit tum ex propria natura negotii cambialis, tum ex legibus cambialibus extraneis, et quidem tam in genere quam habita ratione ſingularium cuiusque cauſae circumſtantiarum?"*

"Ab ORDINE MEDICORVM edita eſt quaeſtio:

*Vterus humanus, quoad ſubſtantiam vtrum ſit neruoſus nec ne."*

"ORDO PHILOSOPHORVM pro quaeſtione ponit:

*Vt ex noto Strabonis loco libri III., comparatis Diodori et Plinii locis, memorabilia de metallifodinis antiquis Hiſpaniae ſtudioſe conquirantur, docte et perſpicue exponantur, atque ex metallurgiae recentioris doctrina commode illuſtrentur.*

Quae ſi facta fuerint, licebit quoque inſpicere virorum doctorum recentioris aeui de iisdem metallifodinis diſputata: quorum notitia petentibus in promtu erit."

Studiis veſtris, Commilitones, quae ſint alimenta et incitamenta propoſita, videtis; vt iis

virtus veſtra acuatur et ad praeclaram aliquam laudem conſequendam inſtigetur, huius ipſius certaminis lege et fortuna tanquam exemplo ac ſpecimine propoſito effectum eſſe videtur. Interea ſollenne noſtrum incolumi et ſalua Georgia Auguſta eſſe celebratum, gratis piisque animis laetamur, fortunaeque noſtrae auctores vt omni felicitatis genere cumulet numen O M. precamur, animos autem ex praeteritorum temporum fortuna, quae nobis obtigit, fiducia nunc recenti firmamus, confiſi fore vt porro quoque labores noſtros iuuentutis florentiſſimae vtilitatibus conſecratos fauſto ſucceſſu ſecundet dei O. M. prouidentia.

PP. in Georgia Auguſta M. Iunio cIↄIↄcccvII.

VII.

VNIVERSITATIS ACADEMICAE GOTTINGENSIS
PRORECTOR
# IO. GODOF. EICHHORN
CVM SENATV
ANNIVERSARIVM SOLLENNE LXXI.
SIMVLQVE
CIVIVM SVORVM
QVI
IN CERTAMINE LITERARIO
IN A. D. XVII. SEPTEMBR. A. CIƆIƆCCCVIII.
## REGIS CLEMENTISSIMI
MVNIFICENTIA CONSTITVTA
*PRAEMIA*
ORDINVM ACADEMICORVM IVDICIO REPORTARVNT
NOMINA
TANDEMQVE
COMMENTATIONVM
QVAE
AD CERTAMEN IN A. D. XVII. SEPT. CIƆIƆCCCIX.
ADMITTENTVR
ARGVMENTA
AB ACADEMIAE ORDINIBVS PROPOSITA
PROMVLGAT.

Si quid eſt, Commilitones, quod animum erigere, et ad fiduciam certamque in dei bonitate ſpem firmare poſſit: eſt vtique dubiarum rerum melior quam pro ſpe euentus, aut ſaltem

ille pro metu leuior. Quod ſuperioribus annis ſperare vix auſi eramus, vt hoc ſollenne litterarium hoc quoque anno laetis animis perageremus, Regis noſtri clementiſſimi indulgentia et liberalitate votis noſtris obtigit; videmus id ſplendori ſuo reſtitutum, fauſtaque regni Weſtfalici auſpicia, decoribus ſuis et laudibus iam inſignia, laetos porro noſtrarum rerum progreſſus portendere. Quod ſi amor amore prouocatur, experimentis mutuis mutua caritas et affectus increſcit, fiduciaque et fide arctius conſtringitur: quidni pronuntiemus, his paterni in nos animi pignoribus affectus noſtros amoris, caritatis et fidei erga Principem optimum, mirifice inualeſcere radicesque tanto altius agere. Quo magis enim de ſalute noſtra, de rerum noſtrarum integritate et ſtabilitate, de ornamentorum noſtrorum incolumitate confidimus, tanto ardentius eſſe neceſſe eſt ſtudium, amorem et pietatem ad demerendum Regem optima quaeque meditantem, et prouidentem, vt ea ad effectum ducantur, Ita id quod fatalis neceſſitas iniunxerat, in fidum obſequium, caritatem, et voluntatem ſponte ſuſceptam, nullo vnquam iuſſu et imperio extorquendam, verti neceſſe eſt.

Peragimus itaque ſollenne hoc noſtrum anniverſarium LXXI. et fauſta Vniuerſitatis noſtrae academicae auſpicia recolimus, animis ab anxietate et nimia ſollicitudine ſolutis, fruimur bonis noſtris praeſentibus, et cum fide et religione proſequimur munerum ſtudiorumque noſtrorum rationes; quandoquidem hoc modo nos aſſequi videmus hoc, quod cum maxime cupimus, vt a beneuo-

neuolentiſſimo Principe tanta benignitate, clementia et indulgentia indigni ne habeamur. Spectatiſſimorum per omnes cultiores Europae populos virorum notitia, fauore et ſtudio, vniuerſitas noſtra digna habita eſt ſuperioribus annis; ſingulari aliquo diuinae prouidentiae munere, inter inſequutas fortunae vices et caſus varios, laudis ſuae deminutionem illa eſt experta nullam; nunc autem, praeſidiis ſtudiorum noſtrorum a Rege florentiſſimo ſuppeditatis, nouo ardore inflammati diu noctuque memores erimus, tanquam in oculis et in conſpectu totius Europae cultioris nos viuere et agere, fructus nouos ingeniorum et ſtudiorum a nobis expectari, diligente opera maturandos, noua litterarum incrementa, nouas ſcientiarum copias, a nobis ſperari, cum ciuibus noſtris, cum popularibus et exteris communicandas; ita demum nos ſapientiſſimis Regis conſiliis ſatis facturos eſſe perſuaſum habebimus.

Vos autem, Commilitones, animis hoc infixum habete, primaria fidei, diligentiae et ſtudiorum noſtrorum ſpecimina exiſtimatum iri vos ipſos, ſi, diſciplinae noſtrae innutriti, rerum vtilium notitiis locupletati, quum a nobis hinc diſceſſeritis, ad officia vitae et munera obeunda abunde inſtructi, rerum agendarum gerendarumque curis admoti, dignos vos iudicio ac ſpe de vobis concepta praeſtiteritis; multoque magis, ſi ad praeclara quaeuis, et laude digna, paratis animis, ſi ſenſu et amore honeſtatis, recti pulchrique, a pueritia imbuti, et per litteras bonas ad omnem humanitatem exculti, indolis excellentia, modeſtia,

verecundia et probitate fueritis conſpicui; ſi, inquam, ad omnia, quae humanae naturae dignitatem et honeſtatem arguunt, informati, et vltra vulgus, ſenſibus vnice ſeruiens, ad ſenſum veri boni ac pulchri fueritis expoliti; vnde intelligatur ipſa re, vos aliquando Gottingae vixiſſe, et Gottingenſis academiae bonis praeclaris recte vſos eſſe.

Ad hanc laudis meliorisque alicuius exiſtimationis cupiditatem excitare vos debet huius ipſius diei certamen ſollenne litterarium; quis enim veſtrum non aliquam ſuae ipſius exiſtimationis apud ciues et exteros acceſſionem ex eo oriri ſenſit, quod cum iis vixerat, qui laude digni habebantur et viris probis probabantur? Sic noto illo dicto poteritis nouo ſenſu vti: *Etiam ego fui in Arcadia!* Hoc idem eueniſſe vidiſtis, quoties vos in tali academia, in tali contubernio, cum talibus amicis et ſodalibus, vixiſſe narraueratis, qui ingenii, doctrinae, virtutis eximiae laude, florebant; inque his etiam eos, qui, quo tempore vos ſtudiorum veſtrorum tirocinium in academia noſtra ponebatis, iam in ſtudiis ſuis hos profectus fecerant, vt de praemiis propoſitis certare auderent? Quanto maior voluptas debet eſſe eorum, qui, iis praemiis potiti, ex diſciplina noſtra progreſſi, aliis in locis, inter ciues ſuos, inter populares, praemiis acceptis fidem faciunt, vbi ad vitae officia et negotia euocati fuerint!

Laudis enim praeclarae amore et ſtudio pectus nullum paullo generoſius vacare poteſt, neque ſapiens quisquam laudis honeſtae cupiditatem improbabit, aut reprehendet, ſi quem veram laudem merito

merito ſuo conſequutum geſtire, et, tacite ſaltem, in votis habere viderit, vt bene parta laus in aliorum notitiam veniat, multo magis, vt publice illa pronuntietur. Nota eſt Themiſtoclis vox *a*), *qui, cum ab eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentiſſime audiret, reſpondit: eius, a quo ſua virtus optime praedicaretur.* Vnde apud Plutarchum neſcio quis, ad iuuenem aliquem dixiſſe fertur: *o infelicem te, adoleſcens, qui tuae laudis nullum vnquam praeconium audiueris!* ſcilicet dummodo ea laus ſit vera, non fucata, nec ad adulationem compoſita, quae potius dehoneſtare ſolet quam illuſtrare.

Sane quidem laudis et gloriae amor poteſt eſſe immodicus, poteſt in vitium, in dedecus, in nefas verti; poteſt eſſe exitioſus et deteſtabilis; quis neget? verum nos de laude ex bonis litteris, ex rectis honeſtisque ſtudiis et artibus, conſequenda agimus, ad hanc excitare, hac inflammare volumus pectora veſtra, Commilitones: hactenus ipſum laudis ſtudium in laudis parte ponitur; excederet autem verae laudis nomen naturam et modum, ſi ad vanitatem, arrogantiam et ſuperbiam deflecteret, ſi a ſanitate in morbum animi verteret; cui medicina parata eſt non modo in philoſophorum ſcriptis *b*), verum in ipſa vita, hominumque vſu, parto ſcilicet, per ventoſam loquacitatem aut altum ſupercilium, aliorum contemtu, odio et deriſione. Contra laudis bene partae et cum modeſtia con-



*a*) Cicero pro Archia 9.

*b*) Secundum illa Horatii: *Laudis amore tumes: ſunt certa piacula* etc.

iunctae magna vis eſt ad beneuolentiam amoremque aliorum conciliandum, inuidiam auertendam; quodque multo magis optabile habendum, ad animum optimi cuiusque ad ſimilem virtutem laudemque excitandum; idque inprimis locum habere neceſſe eſt in iuuenili pectore, vt indolem, tardam quoque, erigat, celeriorem inflammet, ad parem laudem conſequendam et ad ſuperandum aemulos ſtimulet. Recte vtique; etiamſi ii, qui iam annis, vitae vſu, philoſophorum auctoritate, prudentum praeceptis, edocti, ad laudem inter vulgus obtinendam refrigeſcere ſoleant, et magis ſtudeant, vt honeſtatem cum bona exiſtimatione, obtineant, vitae dignitatem ſeruent, et viris laudatis ſe probent.

Quapropter inter praeclara Vniuerſitatis Gottingenſis inſtituta haud infimum tenere locum recte putamus certamen litterarium ad igniculos ingenii, virtutis, doctrinae, in iuuenilibus pectoribus eliciendos, excitandos et inflammandos: idque tum aliis plurimis exemplis, tum hac ipſa certaminis commiſſione, in qua verſamur, apparuit; nam inter tot tantasque temporum procellas, fortunarum priuatarum ruinas, animorum ſollicitudines, fuere tamen, qui ſtudium operamque ad quaeſtionum argumenta excutienda, meditanda et expedienda, conuerterent, ita vt ſollenne hoc non omnino, quod verendum erat, nulla diligentiae et doctrinae profectuum meſſe in medium prolata tranſigendum eſſet.

His quidem melioris ſapientiae praeceptis monitisque iam ſatis muniti, ad ipſa acta ſollennium commemoranda accedimus, et, quae de ſtudiorum,

rum, ingenii et diligentiae veſtrae, Commilitones, ſpeciminibus iudicia Ordinum academiae pronuntiata fuerint, publice edicemus.

Quaeſtio propoſita erat

"Ab *Ordine Theologorum*
huiusmodi, vt inquirere ille iuberet:

*An miracula Ieſu Chriſti ad cauſas naturales ita reuocari poſſint, vt tum de ipſis cauſis certo conſtet, tum narrationibus evangeliſtarum vis haud inferatur, tum denique ipſius Ieſu ſanctitas et fides intacta maneat."*

Praeter expectationem tamen Ordinis accidit, vt, ſuspenſis ſeu praeſentium rerum ac fortunarum difficultate, ſeu incertae ſortis ac vitae ſollicitudine, animis, nemo eſſet, qui ad disquiſitionem non adeo difficilem nec tam arduam aggredi auderet. Melius ſibi ſuisque rebus conſuluere ii, qui orationis ſacrae e ſuggeſtu habendae pericula fecerant. Erat autem *Orationis ſacrae* argumentum hoc propoſitum, vt

*de religione et eccleſia chriſtiana aeternum duratura*
*Von der ewigen Dauer des Chriſtenthums und der chriſtlichen Kirche*

ex Matth. XVI, 15 — 18. ageretur: idque argumentum orationis ad populum habendae grauitate ſua et dignitate ſatis commendabile ita eſt tractatum, vt decertantes omnes laude cuique debita ornare poſſet Ordo Theologorum, eam vero orationem, quae auctorem habuit

ERNESTVM FRIDERICVM GROTE, *ex Ducatu Bremenſi, antea inter Seminarii Philologici Sodales adſcriptum,*

etiam

etiam praemio dignam poſſet iudicare. Itaque ei publice praemium aſſignatum, ac pronuntiatum eſt, proximo ab eo loco ad laudem praecipuam *acceſſiſſe* eam orationem, quae a

Georgio Ernesto Henrico Mehlis, *Calenbergenſi*, ſcripta et habita eſt.

"*Ordo Iureconſultorum*

propoſuerat quaeſtionem:

*Si ex cambio agitur, in territorio, vbi ius cambiale particulare non extat, an et quatenus deciſio petenda ſit tum ex propria natura negotii cambialis, tum ex legibus cambialibus extraneis, et quidem tam in genere quam habita ratione ſingularium cuiusque cauſae circumſtantiarum?*"

Nec ad hanc quaeſtionem quisquam auſus eſt accedere, etſi nec voluntatem nec conatum nonnullis defuiſſe nouimus; verum per incerta temporum praecipitato ſtudiorum curſu, vt quam primum ex Academia diſcederent, a conſiliis et voluntatibus fuere deiecti.

"Ab *Ordine Medicorum*

edita erat quaeſtio:

*Vterus humanus, quoad ſubſtantiam vtrum ſit neruoſus nec ne?*"

Traditae ſunt Ordini commentationes duae:

Altera habet verba inſcripta:

*Oportet iuuenem medicum ipſum suo marte aliqua sibi comparare, neque omnia ex alienis commentariis depromere.*

Altera

Altera cum ſymbolo:

*Multa hoc primum cognouimus saeculo; multa venientis aeui sciet populus, nobis ignota.* Senec. Q. VII.

"Prioris commentationis auctor ſummam quaeſtionis propoſitae ſedulo ſecutus, acute et perſpicue, diligenter et iuſto ordine, argumenta congeſſit, comprobandis vteri neruis inſeruientia. In humanis quidem cadaueribus disquiſitiones anatomicas inſtituere ipſi non contigit; in beſtiis autem vtero gerentibus matricis neruos inueſtigans, quos inuenit, delineatos propoſuit.

Poſterioris commentationis auctor ſatis quidem diligentiae in elaboranda illa adhibuit, neque vero aequaliter; omittens quippe in parte hiſtorica, quae addenda fuerant; proferens, quae aut commemoratione vix indigebant, aut leuiter modo erant attingenda. Humani vero vteri ab ipſo diſſecti neruos adumbratione exhibuit."

Ordo Medicorum itaque priorem commentationem praemio a Rege conſtituto dignam pronuntiauit, cuius auctoris nomen reſignata ſcheda proditum eſt:

Ioannes Fridericvs Osiander, *Wirtembergenſis.*

Poſteriori autem commentationi verbis: "*Multa hoc primum* etc." inſignitae laudem proximi a victrice loci attribuit: cuius auctor nomen profeſſus eſt

Georgivs Spangenberg, *Gottingenſis.*

"*Ordo Philoſophorum*

pro quaeſtione poſuerat:

*Vt ex noto Strabonis loco libri III., comparatis Diodori et Plinii locis, memorabilia de metallifodinis antiquis*

*antiquis Hiſpaniae ſtudioſe conquirantur, docte et perſpicue exponantur, atque ex metallurgiae recentioris doctrina commode illuſtrentur.*".

Prodiere in arenam duo iuuenes virtutis et doctrinae laude conſpicui, quorum ſcripta his verbis inſignita fuere:

*alterum* verbis: *Nulla dies sine linea.*

*alterum* dicto: *Nihil simul est inuentum et perfectum.*

Cum vtraque commentatio ſua laude digna eſſet, altera quidem *Nulla dies* etc. doctrinae diligentia maiore, altera, *Nihil ſimul eſt* etc. ſcientia rei metallicae vberiore; etſi neutra deſideriis Ordinis omni ex parte reſponderet: Ordo conſultum eſſe duxit, praemium ex aequa parte diſtribuere, et vtrique concertanti dimidium praemii adiudicare. Prodiere ſchedis apertis nomina: prioris auctor

Io. Chr. Iac. Bethe, *Gottingenſis*, *Seminarii philologici Sodalis*,

alterius:

Henricvs Chrphor. Roloff, *Magdeburgenſis*, *medicinae et rerum naturae perſcrutandarum ſtudioſus.*

Habetis igitur, Commilitones, quod diligentiae veſtrae et ſtudiis in poſterum nouos aculeos addere poſſit. Videtis Regem indulgentiſſimum vota veſtra ac noſtra, liberalitate et beneuolentia, vere regia, et animi generoſiſſimi et litterarum laudis amantiſſimi teſtimonio luculentiſſimo, annuiſſe, deſtinata perfeciſſe. Veſtrarum nunc eſt partium Regis voluntati et deſideriis ſatisfacere ſtudiorum incrementis laetiſſimis, dignosque vos hoc beneficio praeſtare. Vt vero hoc in poſterum

per

per has quoque concertationes litterarias rite a vobis curari poſſit: recitatae ſunt *c*) et nunc pronuntiabuntur *quaeſtiones ab Ordinibus in futurum annum*, redituris ſollennibus anniuerſariis Vniuerſitatis, praemiis ſuis ornandae, conſtituto in ſingulas commentationes victrices XXV aureorum ducatorum (hoc eſt 290 Franc. 75 Cent.) pretio.

Poſtulat ORDO THEOLOGORVM: vt

*ex hiſtoria et ſcriptis Apoſtolorum notentur et diſtinguantur tempora, in quibus cognitioni, cuius elementa a Chriſto hauſerant, nouae aliquid vel purioris, vel clarioris, vel vberioris etiam, lucis acceſſit.*

*Aus den Schriſten und der Geſchichte der Apoſtel die Epochen zu beſtimmen, in welchen die Religions-Erkenntniſs, deren Elemente ſie aus dem Unterricht Chriſti aufgefaſst hatten, am merklichſten bey ihnen aufgeklärt, gereinigt, und erweitert wurde.*

*Orationis* vero *ſacrae* argumentum hoc proponitur:

*Vt ex Ioannis XIV, 6. declaretur, quo ſenſu, quoue modo purior quaedam, atque efficacior, dei cognitio per Chriſti doctrinam inter homines ſit propagata.*

*Aus Joh. XIV, 6. iſt zu zeigen, in wie fern reine und wirkſame Gottes-Erkenntniſs den Menſchen durch die Lehre Jeſu mitgetheilt worden iſt, und fortdauernd mitgetheilt wird.*

Ab ORDINE IVRECONSVLTORVM conſtitutum eſt pro quaeſtione, vt

*Exponatur diſtinctio inter titulum et modum adquirendi, quem vocant.*

*Aus-*

*c*) Vulgatae iam sunt Gött. Gel. Anz. 1808. 111. St. p. 1106.

*Auseinanderſetzung des Unterſchieds zwiſchen* titulus *und dem ſo genannten* modus adquirendi.

Ab ORDINE MEDICORVM:

*De viſus vitio, quod vulgo* Mouches volantes *vocatur.*

*Von dem Geſichtsfehler der* Mouches volantes.

A PHILOSOPHORVM ORDINE

haec ſunt pronuntiata:

*Conſtat, ex veterum teſtimoniis, tam Jaxartem quam Oxum quondam in mare Caſpium influxiſſe; ex communi vero recentiorum opinione, vtrumque fluuium in mare Aral ſe exonerare. Optat igitur Philoſophorum Ordo, vt loca maxime illuſtria de Jaxarte et Oxo diligenter inter ſe conferantur; vtque certius, quam factum eſt, determinetur, quo tempore, quoque caſu vel qua cauſſa horum fluminum oſtia obturata, et quinam illi fluuii ſint, quos vir fide digniſſimus,* Bruce, *ſuis ipſe oculis vidit, cum orientalem maris Caſpii oram perluſtraret* (Memoirs of *Peter Henry Bruce* Esq. — containing an account of his Travels — (1723) London 1782. p. 311 ... 318. Conſulatur praeterea *Journal of Travels* by *A. J. Hanway*. Lond. 1754. Vol. I. cap. 20. 24. 59. et tabulae ad p. 87 et 237.) add. *Geograph. Ephemeriden Weimar* 1804. p. 397.

*Da, der Ausſage der alten Schriftſteller zufolge, der Jaxartes und der Oxus einmahl in das Caspiſche Meer ſich ergoſſen haben ſollen, jetzt aber beide ſich in den See Aral verlieren: ſo wird als Frage aufgegeben: Die vorzüglichſten Stellen vom Jaxartes und Oxus genau zu vergleichen, und genauer zu beſtim-*

*beſtimmen, wenn und durch welchen Zufall oder Veranlaſſung ſich die Ausflüſſe der gedachten Flüſſe verſtopfet haben; und ob es diejenigen waren, welche Bruce bey ſeiner längs der Oſtküſte des Caspiſchen Meeres auf Befehl Peters des Groſsen gemachten Seereiſe wahrnahm?*

His rite peractis, reſtabat, vt pia vota ac preces conciperentur: id quod factum eſt pro fide, religione et pietate noſtra, animis ſenſibusque ad numen Exſuperantiſſimum conuerſis, vt Regem ſacratiſſimum, qui nos tantis hisce beneficiis beauit, ſeruet, valetudine integra et incolumitate Eum impertiat, felici fauſtoque curarum conſiliorumque ſucceſſu exhilaret, omnibusque bonorum copiis recreet; vtinam, pace ſolida firmata et ſtabilita, ſecuritas ac tranquillitas, publica et priuata, iacta publicae felicitatis fundamenta ſubſtructione inconcuſſa muniat; vt eo facto regnum Weſtphaliae ad ſummum proſperitatis, prouentuum omnis generis abundantiae, dignitatis ſplendorisque, faſtigium educi poſſit: quo ipſo populorum fides, amor, obſequium, tantorum bonorum auctorem in ea felicitatis parte, quam meretur, quamque ipſe votis expetit, collocet, vtque paternum amorem pietate ac caritate populorum non modo remuneratum ſed et cumulatum ſentiat; quandoquidem Weſtphaliae prouinciae fide et amore ſuorum principum omnes alios populos non modo aequarunt, verum plerosque etiam ſuperarunt, ita vt merito fiduciam habeant animi paterni Principis ſui, quod Traianum a Plinio ſuo eique ſimilibus poſtulare ſolitum eſſe accepimus.

P. P. in Vniv. Gotting. d. XXVIII. Sept. cIↃIↃCCCVIII.

# DE OBITV
# CAROLI WILHELMI PAETZ
## I. V. PROFESSORIS

A. D. XXVII. MARTII cIↃIↃCCCVII

AD

HEERENIVM SVVM

SCR.

CHR. GOTTL. HEYNE.

Exoleuit, cum aliis maiorum inſtitutis, mos collegarum vita defunctorum memoriam poſteris publice commendandi. Liceat itaque mihi dolorem priuatum, cum omni academia communem, teſtatum facere, Collega rebus noſtris erepto, ſi non annorum meritorumque numero inter alios conſpicuo, virtutum tamen et laudum decoribus cumulato, ampliſſimorum autem meritorum, ſi iuſta vitae menſura obtigiſſet, ſpé et exſpectatione certiſſima repente praeciſa, deſideratiſſimo. Si enim aequi laudum aeſtimatores eſſe volumus, non minus inchoata, quae quis, ſi per fata licuiſſet, perfecturus erat, in computationem aſſumenda eſſe cenſeo, quam in vituperatione ea annumeranda ſunt, quae quis in longiore vitae vſu, otio et libertate, ad effectum adducere neglexit. Doloris itaque noſtri quae cauſſa eſſe poteſt iuſtior aut grauior quam ex praematura morte eorum, quorum

rum praeclara aliquando in remp. merita iam nunc praeuideri et ex ingenii dotibus, animi virtute et voluntate, documentisque iam editis, mente animoque repraeſentari poterant. Quod ſi eorum bonorum, quorum fructus maturos longo vſu iam experti eramus, diuturniorem tamen vſum interceptum inique ferimus: quanto iuſtior erit luctus ereptis bonis iis, quorum iucunditatem breui guſtu vix delibatam fata infeſta inuident.

Amiſit Georgia Auguſta virum ingenii feliciſſimi, omni humanitate expoliti, doctrina varia praeclare inſtructi, hiſtoricis ſtudiis et philoſophia ſaniore, ad vitam agendam et diſciplinas rite regendas proficua *a*), haud mediocriter imbuti, ad profitendas autem e cathedra diſciplinas inſigni aliquo naturae beneficio natum, qui ſui iam documenta dederat ea, vt ſatis appareret, fore eum aliquando inter ornamenta academiae noſtrae illuſtriora numerandum. Non enim ſtudii magis et artis, quam naturae et fortunae munus aliquod eſt, rarum illud et a multis magno labore fruſtra quaeſitum, diſciplinarum rudimenta cum fructu et iucunditate audientium e cathedra tradere. Praeter doctrinam enim accuratam, iudicium ſubtile, ſagacitatem in aſſequendo, quid et quomodo quidque captui audientium ſit informandum, perſpicuitatem in rebus exponendis verbisque nectendis,

 ſermo-

*a*) Quod de Attico Nepos 17. *principum philoſophorum ita percepta habuit praecepta, vt iis ad vitam agendam vteretur, non ad oſtentationem:* adeoque nec formulis vocibusque ex recentis philoſophiae adyto petitis in aliena disciplina ſe iactaret.

ſermonem facilem et expeditum, os diſertum cum voce canora, pronuntiatione plana, nec auribus moleſta: ſunt alia, quae quaſi fidem dictorum faciunt ac perſuadent auditoribus, auctoritatem tribuunt doctori, propenſionem animorum et caritatem ei conciliant, dictis vim affundunt, dicenti decus afflant neſcio quod; haec, quae multa et varia ſunt, nec facile in vnum aliquem ita cumulantur, vt nihil deſideres, naturae ſunt bona, partim fortunae; multa a feliciore proficiſcuntur ingenio, a morum candore, fronte, vultu, vigore mentis et oris, in primisque beneuolentiae aliqua ſignificatione; ſunt quoque quae debeantur aetati qua quis propius attingit annos adoleſcentum in ſubſelliis ſedentium; quae vtique fortunae ſunt munera; non enim huc reuocanda ſunt alia, quae ſiue a caſus alicuius temeritate, ſeu ab aetatis leuitate iuniorum repetenda ſunt, obſequentium amicis *b*), qui in celebritatem docentis, fluxam et inſtabilem, machinationibus parandam, coniurarunt. Quae commemoraui laudis fauorisque meliora praeſidia cum contigiſſent *Paetzio* noſtro: primos

*b*) Cicero Acad. IV, 58. *nam ceteri* (de philosophorum sectis loquitur) *primum ante tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, iudicare potuerunt, infirmissimo tempore aetatis, aut obſequuti amico cuidam, aut vna alicuius quem primum audierunt oratione capti, de rebus incognitis iudicant, et ad quamcunque sunt diſciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhaerescunt.* Habes faciem studiorum academicorum nostrae aetatis et caussas concursationum quas interdum factas audiuimus ad scholas responsis Delphicis hactenus comparandas quod ab audientibus haud intelligerentur.

primos ſtatim ſtadii academici decurſus morte importuna eſſe interceptos vocemque extinctam doctoris academici, iurium doctrinam ita tradentis, vt ex eius ore penderet iuuentus academica, hoc eſt quod nunc infeſtis fatis factum dolemus.

Haec cum ad communem academiae fortunam ſpectent: quis enim adeo obtorpeſcat, aut alienae laudis inuidus, aut rerum tam parum curioſus ſit, vt iacturam fortunae publicae, ſubducto ſtudiis noſtris tali viro, haud doleat! haud tactus ſit aegrimonia! ad me tamen luctus ex *Paetzii* morte tanto grauior peruenit, quoniam notitiam eius a teneris inde annis in paterna domo, et in paedagogio Ilfeldenſi habui, ſtudiorum autem academicorum fui teſtis et laudis fautor; inde per reliquos vitae gradus conſilio et voluntate ei adfui, ita vt hoc ipſo ſtudio meo mea vota et ſpem de eo conceptam fouere videri poſſem; quandoquidem eos, quos diligimus, dum pro viribus iuuamus, nobis ipſis ea re noſtrisque votis velificamur, dumque illorum commodis ſtudemus, nobismet ipſis gratum facimus. Nemo itaque mirabitur, me nunc eius deſiderio eorumque, quae ab illo ad academiam manatura eſſe ſperaueram, fructu ſublato moerere. Qua in re ſi forte pro hoc aetatis meae gradu paullo mollior et fractior, quam par erat, videbor, non equidem hanc ſenſus mei mollitiem excuſabo, nec iraſcar, ſi *in miſerationem caſuum humanorum procliuior c)* habebor quam virum tot vitae curis ac fluctibus iactatum decebat; precabor



c) Silius VIII, 58. *Battus — mitis Battus! lacrimasque dediſſe caſibus humanis facilis!*

tamen veniam, verbis Antonini Pii: *permittite mihi vt homo ſim d*)!

Iuſtum autem hunc dolorem meum in cuius ſinum potius effundam, quam in tuum, *Heereni* coniunctiſſime, quem et ipſum vidi amiciſſimi *Paetzii* morte ita contriſtatum, vt meo non minus ſolatio erigendus eſſes quam ego tuo; habebas enim virtutes eius vſu et familiaritate cognitas et perſpectas; omnis itaque meae laudis, qua eius vitam proſequebar, eras ſuffragator ſine oſtentatione, deſiderii autem mei nunc ſocius conſors et fidus. Erat enim animorum veſtrorum ſtudiorumque is concentus, ea conſiliorum litterariorum communio, ex qua mira amoris et caritatis inter viros bonos naſci ſolet coniunctio. Quoties itaque te audiui viri optimi fidem, candorem, honeſtatem, beneuolentiam, praedicare! Tum equidem mente voluere et ante oculos ponere ſolebam indolem eius ingenuam et amabilem, modeſtiam et ab omni proteruitate et arrogantia intactam, cum id vnice ageret vt ad optima exempla ſe componeret, optimo cuique ſtudia ſua probaret; manſit itaque a morbo hoc populari intactus, quo multi, ſi modo de alieno merito et laude detraxerint, famam ſibi partam eſſe putant, in conciliabula et ſodalitia coeunt et per libellos litterarios in famam aemu-

*d*) Iulius Capitol. in Pio c. 10. "*inter argumenta pietatis eius et hoc habetur, quod, cum Marcus mortuum educatorem ſuum* (Apollonium) *fleret auocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, ipſe dixerit:* Permittite, inquit, illi, vt homo ſit; neque enim vel philoſophia vel imperium tollit affectus.

aemulorum obſcure graſſantur. Amabas tu iuxta mecum mores *Paetzii* faciles, commodos, hilares, leporis et facetiarum ſuauitate conditos, verecundiam, ſermones, continentes ſe intra modum decoremque, cuius ille ſenſum habebat molliſſimum, qualis eſſe ſolet hominum humaniore cultu et elegantia et vſu conſortioque politorum; a quo ſenſu multum abhorret vulgus hominum, qui aut torua ruſticitate et arrogantia grauitatem ſimulari putant, aut ſibi ſalſi eſſe videntur, dum ludificantur imbecilliores, in contemtum adducunt meliores, bilem virusque euomunt in eos quibus inuident aut quos oderunt; at ille diligenter cauere, ne cuiusquam exiſtimationi aut commodis officeret; tanta erat honeſtatis vis ad mentem ingenuam bonis litteris moribusque informatam. Itaque amore eius tenebantur omnes inter quos verſabatur, et florebat ille laude et gratia bonorum omnium. Quod ſi omnino nulla eſt tam modeſta felicitas quae malignitatis dentes effugere poſſit *e*): infeſtiora tamen inuidorum odia expertus eſt nulla; quod et ipſum in felicitatis parte eſt numerandum; ab aemulorum enim malignitate, quisquis ad virtutem et laudem contenderit, aut rerum ſucceſſu meritorumue luce colluſtratus fuerit, quo tandem modo, qua arte honeſta, ab omni inſultatione et vexatione tutum et intactum eum praeſtes?

His eius dotibus et virtutibus ſi quaerimus quaenam fundamenta ſubſtructa fuerint, eum quidem naturae indulgentiae et liberalitati plurimum debuiſſe fatendum eſt; nec tamen minus multa



*e*) Verba ſunt Valerii Maximi IV, 7. extr.

cum bonae inſtitutioni in patria domo, et nutritioni fauſtis ſub penetralibus, accepta tulit; tum diſciplinae paedagogii Ilfeldenſis, cuius curam ſuſtinet parens optimus annis meritisque ſpectabilis; e qua discedens omnium cum laude et amore filius in Georgiam Auguſtam ſe contulit ſub veris ingreſſum anni XCVIII. ſuperioris ſaeculi, iis copiis liberalioris doctrinae inſtructus, vt expeditiores haberet rationes in omnibus quae aggrederetur, vtque paratum eius recipiendis diſciplinis et capax ingenium maturos in literis profectus faceret, ita vt vix XX annos natus in certamen litterarium maturiorum ſtudiorum induſtriae propoſitum prodiret, et, promulgata ab ordine ICtorum ordine in annum clↃIↃcccI quaeſtione de ſucceſſione vniuerſali per pactum promiſſa *f*) praemium reportaret; ſequutus veſtigia laudum fratris *Ludovici Auguſti*, qui anno abhinc altero victor ab ordine Theologorum pronuntiatus fuerat *g*), qui tamen paullo poſt morbo phthiſico conflictatus exuuias mortales depoſuit. Scriptione victrice noſter ad diſputationem propoſita honores Iuris ſummos eodem anno, ſaeculi primo, adeptus, in numerum doctorum priuatis lectionibus docentium receptus, adſcriptus quoque Aſſeſſoris loco Collegio ICtorum de iure reſpondentium, hiemali ſemeſtri lectiones indixit de iure feudali; docuit quoque

*f*) Erat quaestio: *Successione vniuersali per pactum promissa an et quatenus promittenti facultas de bonis inter viuos disponendi adempta sit.*

*g*) Quaestione in annum 1799 proposita *de vi religionis Christianae in vita moribusque animi hominum per tria saecula priora aerae Christianae.*

quoque hiſtoriam territoriorum Germaniae praecipuorum; et iam tum coepit dotibus ingenii merita addere *h*). Sub exitum hiemis Kilonium euocatus, antequam eo concederet, vere ineunte Wezlariam profectus, exeunte aeſtate Kilonium ſe contulit, lectionibusque iuris habitis doctrinam ſuam ita probauit, vt iam auctumno ſequentis anni, quartus erat ſaeculi, Heidelbergam euocatus ius profiteretur; anno tamen ibi exacto patriae redditus, auctumno (anni cIɔIɔcccv.) Gottingae ſcholas aperuit iuris germanici priuati, hiſtoriae imperii germanici; tum exercitationes inſtituit practicas ad exemplum Pütteri, quarum notionem ipſe prodidit libello ſingulari vulgato; inde ius feudale *i*) et criminale tradere coepit. Indixerat cum his in ſemeſtre aeſtiuum huius anni theoriam proceſſus criminalis, erantque iam aſſignata audituris ſubſellia; ſudat quoque ſub prelo libellus ad has lectiones perſcriptus.

Verum de his plura memorandi locus haud eſt; mihi propoſitum erat tantum hoc, vt luctui indulgerem eumque ediſſerendis cauſſis lenirem; eoque ipſo pariter bene de te mererer, *Heereni* amantiſſime, virtutum commemoratione, quas in viro amiciſſimo mirari ſolebamus. Vereor tamen ne dolorem vulneris magis exulcerem, cum reſtent mihi adhuc attingenda nouiſſima vitae tempora cum mortis praematurae cauſſis.



*h*) Verba Ovidii: *addere tantis dotibus et meritum, faueant modo numina, tento:* Perseus de se Met. IV, 701.

*i*) Praemissa prolusione *de vera librorum iuris feudalis Longobardici origine* v. Gött. gel. Anz. 1806. p. 1.

Scilicet quae naturae benignitas in ingenii animique dotes fuerat effuſior, tanto parcior fuit in corporis valetudine; adſpectu quidem labem latentem non niſi nuper demum arguente, viſceribus tamen inualidis, et humoribus acrioribus ad affectus arthriticos properantibus, quibus oculorum fibras ſubinde infeſtantibus, vt debilitato viſui ſuccurreret, thermas Aquisgranenſes aeſtate ſuperioris anni adire iuſſus, malo per aliquod tempus aliquantum leuatum ſe ſenſit, vt tamen hiemis intemperie tentatum leuiter corpus deſtillatione humorum ex capite grauaretur; mox lecto affixus, arthritide inuadente, membris contractis et tumentibus, ſagaci tamen medici cura ſe remittente dolore, die XXVII. Martii ſub veſperam melius ſe habere profeſſus, amicis dimiſſis, aliis duobus aſſidentibus, repente delirio correptus, decubitu arthritici humoris in oculos, mox in cerebrum facto, organis ſenſuum cum mentis facultatibus conturbatis, tam praeclarae mentis officina intra paucas horas deſtructa, ſub horam quintam eiusdem noctis exſpirauit calorque vitalis membra reliquit.

Nuntiata ſub diei ortum morte, vix fide nuntiantibus facta, obſtupefactis animis, mox ad dolorem remiſſis, dici nequit, in quem moerorem et luctum demerſi fuerimus. Occurrebant animis tot et tanta bona erepta, irrita vota, academiae, litterarumque, inprimis iuris, ſpes laeta ſucciſa, tot inchoata abrupta, deſignata eluſa. Mihi quidem tanto grauior incubuit luctus, animo iam fracto, quod ante paucos dies ex morte pariter praematura, et pari morbo illata, viri amiciſſimi,

Pro-

Profeſſoris Lipſienſis, *Carus*, diſciplina voluntate et amore olim noſtratis, mihique longe cariſſimi, honeſtate animi, morum probitate, ingenii dotibus praeclaris, doctrina exquiſita ſolida ac vera, ſpectatiſſimi. Verſabantur ante oculos moerores parentis, viri optimi, altero nunc filio orbati, non modo praeclarae ſpèi, qualem iſtum funere extulerat, ſed famae iam maturae virum. Erant ante oculos tot aliorum cariſſimorum interitus, tot mortes meorum, et in his filii virili aetate conſtituti, et in caſtris Ruſſorum, dum noſocomium curat, aliorumque morbis medetur, lue graſſante abrepti. Quae tamen ipſa praeteritorum recordatio animum iam labefactum tandem erexit, cogitatione conditionis rerum mortalium fluxae et incertae, totque aliorum caſuum, multo quoque grauiorum, conſideratione; quis enim in communi Germaniae funere domeſticum funus, dolorem priuatum, lamentis proſequatur? aut tot malorum toleratione non iamdudum firmatum pectus ad quosuis fortunae caſus habeat? Quae autem vitae vnius iactura verbis ambitioſe amplificari poteſt in hac multorum millium quotidiana ſtrage! In hac rerum omnium ruina, quae bona ſpes ſupereſt? *quippe vbi fas verſum atque nefas; tot bella per orbem, tot ſcelerum facies!* Artiumne et litterarum ſplendorem iri reſtitutum? diſciplinarum bonarum noua incrementa? praeclarorum inſtitutorum honorem renouatum? ſanctas et auguſtas religiones, quae iam contemtae aut neglectae iacent, ad priſtinam ſanctimoniam reuocatas? vitam publicam, ciuilem et priuatam, ſapientius conſtitutam? ſcilicet philoſo-

loſophicis tricis et ſpinis ingenia a melioribus curis ſtudiisque ciuilibus abalienantibus! Itane malum eſt habendum, ſi quis peioribus fatis imminentibus praematura morte praeripitur? quantum ille ſollicitudinum, curarum, terrorum, agmen morte anteuertit! *Quem dii diligunt, moritur adoleſcens;* iam vetus eſt dictum *k*); quanto magis mors eſt inuidenda eius, qui iam matura aetate conſtitutus grauiore animi iudicio mala impendentia praeuidet, ponderat, ſeruitutem, barbariem, iam in oculis habet? Non iam communis ac perennis omnium rerum mortalium inſtabilitas animum ſollicitat, ſed fortunarum factae iam ruinae, cuncta euerſa aut labefactata, fundamentis iam conuulſis, ſumma miſta imis: quicquamne eſſe poteſt certius, tutius et optabilius, quam obitus maturus, aut ſpes melior moriendi? quam quidem in prouecta ſenectute ipſa largitur natura, dum, qui in portu nauigat, ventorum votorumque ludibria ipſe ludum facit *l*), mors autem maturior eam ſpem, tanquam numerato et ſolutione debiti cum fide, repraeſentat. Habet itaque etiam in *Paetzio* noſtro locum illud *m*), *quod morte praeuentus eſt maiore hominum damno quam ſuo.* Inique ferimus, ſpes vitae iucundiſſimas tam acerba morte eſſe eluſas; atqui dudum experientia docuit, pulcherrima quaeque celerius deflore-

*k*) E Menandro ſeruatum: ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος, a multis repetitum, et ab ipſo Plauto Bacch. IV, 7. conuerſum in epitaphio modo haud vno; vt in Gruteri Inſcript. p. 688, 2. *quam dii amauerunt, haec moritur infans.*

*l*) Secundum illud notum: *Inueni portum, ſpes et fortuna valete; ſat me luſiſtis, ludite nunc alios.*

*m*) Ap. Sveton. Tit. 10.

floreſcere, exoptatiſſima euentu fallere, erroribus nos implicitos ſummis de rebus male iudicare, male ſperare, male metuere. Pareamus itaque neceſſitati fatali, animos ſubmittamus lubentes numinis optimi maximi decretis, et medelam doloris a ſalutari temporis medicina expectemus Circaeis poculis potentiore. Interea ipſa annorum fuga et exemplis moniti conceſſum vitae vſum, annos, dies, horas, vtilitatibus publicis priuatisque impendamus, nec vllum momentum recte faciendi praetermittamus; *quid enim melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiſcere, et ita conniuentem ſomno conſopiri ſempiterno n*). Ita *illum diem horribilem aliis, nobis fauſtum reddemus, nihilque in malis ducemus, quod ſit vel a deo immortali, vel a natura parente omnium conſtitutum o*). Ita eo quisque lubentior fata ſua ſequatur, et ſeruitium vitae huius mortalis liberaliter eo magis ſeruiat, quo propior eſt dies manumiſſionis, praeſentiorque ſpes recuperandae libertatis, ſoluta anima a corporis labe, et a fortunae caſibus vitaeque malis praeſentibus inſtantibusque liberata.

Scr. Kal. April. cIↄIↄcccvII.

*n*) Cicero Tusc. I, 49.

*o*) Ibid. adscribam reliqua quae aurea sunt: *non enim temere, nec ſortuito sati et creati sumus; sed profecto ſuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis et perſugium putemus; quo vtinam velis passis peruehi liceat! sin reſlantibus ventis reiiciemur, tamen eodem paullo tardius reſeramur necesse est.*

DE

# DE OBITV GEORGII L. B. DE ASCH

AD VIROS AMANTISSIMOS

IO. FRIDERICVM BLVMENBACH

ET

IO. DAVIDEM REVSS

SCR.

CHR. GOTTL. HEYNE.

M. SEPTEMBRI A. CIↃIↃCCCVII.

Si qua ſunt caſuum vitae humanae ſolatia: proximo ab iſtis, quae diuina humanaque ſapientia praebet, loco amplectenda ſunt potiſſimum ea, quae ab amicitiae mutuique amoris affectu proficiſcuntur. Ita tamen fit vt tanto grauius vulnus nobis infligatur, quando ex eorum, quorum fide et amore recreari ſolebamus, numero vnus et alter fato iniquo ſubducitur. In tali caſu fieri neceſſe eſt, vt, quod amiſſione cari capitis deceſſit affectui noſtro, id transferatur auctius in reliquos qui ex antiqua conſuetudine ſuperſunt. Nolite itaque mirari, viri amantiſſimi, non magis affinitatis et neceſſitudinis iure, quam voluntatum et ſtudiorum conſenſione, mecum coniuncti, ſi in recenti hoc luctu ſenii equidem infirmioris excuſatione vtor et dolorem meum in ſinus veſtros effundo, ſi forte animum depreſſum alloquio veſtro erigere, ſimul-

que

que veſtrum moerorem ſolatio mutuo leuare poſſim. Communis enim eſt hic luctus inter nos ex morte deſideratiſſimi viri, GEORGII L. B. DE ASCH ſuſceptus, quandoquidem ille, non minus quam me, vtrumque veſtrum beneuolentia et amicitia eſt complexus, vosque eum eo affectu eſtis proſequuti, vt, quoties de eo commemoratio incideret, vos recreari delectarique recordatione viri optimi viderem. Nec vero luctus eſt, qui ad nos ſolos pertineat, aut iactura priuatorum commodorum et vtilitatum, quarum deſiderio tenemur, contineatur: quae lamentatio moleſta, interdum adeo illiberalis, eſſe poteſt, ſi, non a caritate gratoque ſenſu, officio et pietate, proficiſcitur, ſed ſublatorum et ceſſantium commodorum reputatione excandeſcit; verum omnem noſtram academiam, inſtituta publica et decora noſtra, omne Georgiae Auguſtae nomen, rem litterariam, attingit; lugemus virum rebus humanis morte ſubductum, cuius liberalitati magnam partem ornamentorum academiae noſtrae debemus; cui acceptos referimus tot apparatus doctrinae variae vtiliſſimos, tot exquiſitiorum litterarum ſubſidia et inſtrumenta; qui nobis inſtruxit ampliſſimum rerum reconditarum penum, ex quo viri docti promſere, et in poſterum quoque proment, materiem ſcriptis praeclaris, quibus Georgiae Auguſtae famam inclareſcere neceſſe eſt. Per annorum autem ſeriem tantam continuata eſt eius liberalitas. et quotannis renouata nouis opibus ad nos apportatis, vt tanto altius infixa ſit animis admiratio per conſtantiam et perſeuerantiam in beneficiis cumulandis: in

primis

primis in hoc benefaciendi genere, quod non, vt ſuperioribus ſaeculis factum nouimus, a ſuperſtitioſo aliquo mentis infirmae impetu profectum eſt, aut a perſuaſione pietatis monachali, qua maiores noſtri ad piam liberalitatem ſaepe adducti ſunt, nec ab ambitioſa laudis cupiditate; ſaepe enim per litteras *Aſchius* me eſt obteſtatus, ne memoratione eorum, quae miſiſſet, in publicis litterariis recenſibus et commentariis, inuidiam ipſi et malignorum hominum ſubdolas machinationes immitterem. Tanta enim multorum hominum eſt peruerſitas, vt ei, qui de aliis bene meretur, non modeſtia magis quam prudentia, ſuadeat, vt bene facta occultet, ne obtrectationi et maleuorum calumniae latus praebeat; arrodunt enim ea, quotquot ſe eadem liberalitate digniores putant, tum ii, qui aliena laude vruntur, interdum ii ipſi, qui, poſtquam liberalitatis fructum tulerant, ſuperbia ſtimulante, non modo diſſimulant accepta, verum etiam eleuant et in contemtum adducunt. Itaque felicitatis loco habendum eſt, bene de aliis merendo inuidiam effugere; fortitudinis, ſi non effugeris, contemnere; magnanimitatis, ingratis ignoſcere. *Aſchii* liberalitatem prouocauerat grata in Georgiam Auguſtam nutricem pietas, tum litterarum iuuandarum ardor, quo inflammatus optabat noua earum alimenta parare, nouas virorum doctorum ingeniis faces admouere et, quantum in ſe eſſet, vtilitatibus academiae publicis conſulere. Etſi itaque dolorem priuatum premere et ſilentio concoquere vellemus, officium tamen pietasque poſtulabat, viri tam ſplendide de nobis meriti nomen et memoriam colere,

colere, obſtrictam tot beneficiis gratamque mentem teſtari, perpetuam recordationem Manibus ſpondere, cineri conſecrare; ſin autem pietatem publice declarandi facultas haud obtingeret, poſtulabat tamen pietas priuata, dolorque vrget ſtimulatque, nec animum patitur acquieſcere, et affectum intra parietes priuatos coercere. Iam autem moerentibus et acerba fata conquerentibus quid dulcius eſt quam ſermones miſcere de eo quem lugent, reputare et in memoriam reuocare quicquid de eo memorari aut ad eum referri poteſt? Natura enim procliues ſumus miſeri omnes ad recenſenda ambitioſe ea quae amiſimus; computamus numerum, metimur magnitudinem, commodorum, voluptatum, votorum; nec, eo ipſo nos deſiderium incendere, fruſtra angi, animaduertimus. Altera tamen ex parte iucunditatem habet incredibilem, iucundos praeteritorum temporum ſenſus, priſcam conſuetudinem et vſum, in memoriam reuocare, ante oculos ponere; nec negari poteſt, ſenſim dulcedinem aliquam ipſius moeroris ſubire, moeroremque dilui et mitigari, animo ſuauitate neſcio qua perfuſo; idque multo magis fieri neceſſe eſt in deſiderio viri, de quo nulla niſi grata et iucunda meminimus; cuius beneuolentia et liberalitas ita nos deuinxerat, vt nunc etiam dolor noſter iucunditate haud vacet. Non itaque, viri amantiſſimi, rem vobis ingratam me ſuſcepturum eſſe arbitror, ſi, a quibus cauſſis amor eius et ſtudium erga nos proceſſerit quaeque nutrimenta habuerit, in memoriam reuoco.

Anni ſunt fere XXXV. ex quo primam viri optimi notitiam accepimus. Erat enim annus ſuperioris ſaeculi LXXII. quum litterae eius ad nos allatae ſunt, cum munere ac gratae memoriae teſtatione erga altricem ſuam Georgiam Auguſtam, cuius nutritioni, annis iam tum XXII. elapſis, fortunae ſuae locique, ad quem euectus eſſet, primordia et praeſidia debere ſe fatebatur. Adierat ille, cum iam antea Tubingae inde ab a. XLIV. ſtudiorum academicorum curriculum eſſet ingreſſus, academiam noſtram M. Maio anni XLVIII. anatomiae in primis ſtudio flagrans; et expleuit ſitim *a*) fauſta diſciplina Halleri, cuius interioris admiſſionis diſcipulum ſe fuiſſe ſubinde gloriari ſolebat: audiuit praeterea Segnerum cuius proceſſibus chemicis in laboratorio adfuit, et Brendelium; ſummosque in arte medica honores eſt conſequutus a. L.

*a*) Per binas hiemes super quinquaginta cadauera partim demonstrata se vidisse, partim suis ipsius exercitationibus subiecisse, professus est. Commilitonem habebat Zimmermannum, eximium virum, debita laude haud defraudandum. Ipse Hallerus in Elogio disputationi adiecto verbis vtitur: "absentem amabo, quem in theatro anatomico adsiduum socium, in praelectionibus perpetuum auditorem, in graui morbo amantem custodem expertus sum." Illa enim aetate magni medici a studiis anatomicis fidem et famam suae doctrinae petere solebant, non a metaphysicis scholae suae subtilitatem inanem captantis ariolationibus et contentionibus. Ipse *Aschius* pietatem in Hallerum seruauit, quamdiu viueret, eamque declarauit audita eius morte litteris ad nos scriptis tanquam luctu domestico.

a. L. *b*) diſputatione haud ignobili ſcripta *de primo pari neruorum medullae ſpinalis c*). Ex his annis vnus inter nos ſuperſtes eſt Pütterus; nemini praeterea ex collegio noſtro, ſi bene memini, adſpectu alloquioue erat cognitus. Tanto magis ille nobis innotuit ab eo inde tempore, quo litterae ſupra memoratae nobis redditae ſunt. Erant illae datae ex caſtris exercitus Ruſſici victoris ſub duce Comite Romanzovio *d*). Cum litteris erant redditi

Koranus

*b*) Die XVII. Augusti quem diem sibi sollennem L. anno post tanquam semisaecularem se celebrasse nobis significauit litteris suis anno 1800. $\frac{7}{19}$ Augusti ad nos datis.

*c*) Programmati a Segnero, praemissa theoria machinae cuiusdam hydraulicae, scripto adiecta est vitae narratio; plenius ea nomen *Georgii Thomae Aschii* in fronte habet; oblata est Hermanno Kau Boerhavio, Imp. Russ. primo Archiatro: quem mox fortunae suae fautorem habuit.

*d*) *Du Camp sur le Koherlüg* (Kaherluc) $\frac{28.\ \text{Octobr.}}{9.\ \text{Novembr.}}$ 1771. Placet verba adscribere honorifica non minus ipsi quam academiae Gottingensi: "*Messieurs, C'est avec une satisfaction toute particulière, que je me rapelle avoir été il y a vingt deux ans citoyen de Votre Illustre academie; que c'est aux leçons des hommes les plus celebres de ces temps là ainsi qu'au libre accès dans Votre Bibliotheque que je dois les connoissances qui m'ont fait parvenir il y a dejà quinze ans au grade de premier Medecin de l'armée Imperiale de Russie, place que j'occupe encore actuellement dans celle aux ordres de S. E. Mr. le Maréchal Comte Romanzow. Agréez donc, Messieurs, comme une faible marque de ma reconnoissance l'Alcoran ci-joint avec 25 pieces y relatives, tombé entre mes mains lors de la defaite du Grand Vezir dans son Camp de l'autre côté du Danube à Babada par le Général Weismann, que*

 *j'ai*

Koranus nitide ſcriptus et XXV. alii libelli arabice, vnus perſice, ſcripti, Korani fere ſegmenta, ex praeda, quam milites Ruſſici in tentorio ſummi Othmanici exercitus ducis victi, et caſtris vltra Danubium in Bulgaria ad Babada poſitis Weismanno duce exuti, conuectauerant.

Litteris miſſis, quibus gratum animum teſtata eſſet Vniuerſitas noſtra academica, prouocatus, ad aliam, eamque ampliorem, liberalitatem proceſſit anno LXXIV. deſtinatis noſtrae academiae copiis recentibus ex praeda, per diuerſa praelia et expugnationes oppidorum Bulgariae, inprimis oppidi Bazarczyk (in Romania), de Turcis victis acta *e*); inerant ad XXXVII. manuſcripta arabica et turcica, maiore quidem ex parte Koranica et liturgica; adiectis tamen aliis, numis quoque peregrino habitu inſignibus. Subſequuta ſunt alia, eaque lautiora, anno LXXVI. ex Petropoli poſt fauſtum reditum factum miſſa, codices arabici et turcici, nonnulla ad terras, quas victor exercitus peragrauerat, et ad res geſtas ſpectantia, porro ſeries numorum Ruſſiae Imperatorum cum aliis monetis Ruſſicis *f*); acceſſit

*j'ai l'honneur de vouer à Votre Bibliotheque. Il ne me reste plus qu'à y ajouter les assurances* etc. Vtebatur autem Aschius Weismanni ducis familiaritate, et Comitis Romanzow fauore, cuius humanitatem et beneuolentiam summis laudibus efferre solebat.

*e*) Litterae datae sunt à Fockzany, (nobili per pacem factam oppido) le $\frac{9}{20}$ Janv. 1774.

*f*) *Suite des Empereurs de Russie en Roubles depuis Pierre le Grand.*

acceſſit anno inſequente ſeries magnorum Ducum et Principum Ruſſis imperantium inde a Rurico ad Imperatricem Eliſabetam argenteis numis expreſſorum; mox et alia ſeries vultibus aere redditis arte praeclara inde ab Alexio Michaelis fil. 1672 vsque ad Catharinam II. Ab eo inde tempore copiis his numismaticis locupletandis indefeſſo ſtudio curaque pertinace incubuit, miſſis quotannis, etiam repetita vice, nouis acceſſionibus, ita vt apparatus hic Ruſſicus numismaticus pro locupletiſſimo habeatur. Nec vero in Ruſſicis ſubſtitit, ſed aliarum quoque Aſiae Europaeque terrarum monetam conquiſiuit incredibili ſtudio, beauitque Bibliothecam academicam numis omnis generis et metalli Sibiriae, Tatariae, Indiae, Iaponiae, vna cum Turcicis, inprimis tamen Arabicis et Perſicis, Armeniisque numis; horum quidem magnam copiam impertierat *Iac. Reineggs* M. D. ex Georgia redux a. LXXXV. et Tibetanos *Io. Iährig*, interpres litterarum Mongolicarum, a. XC. Nec tamen minore pretio et aeſtimatione habitae ſunt opimae, quibus bibliothecam noſtram inſtruxit, copiae librorum Arabicorum, Perſicorum, Tibetanorum, Mongolicorum, Sinicorum, aliorumque. Illatus eſt cum his librorum Ruſſicorum prelo expreſſorum et res hiſtoriasque imperii illuſtrantium ingens numerus, ita vt in Bibliothecam academicam bibliotheca noua Ruſſica immigraſſe videretur, cum aliis litterariis opibus, maxime ad geographiam ſpectantibus, tabulis manuſcriptis et prelo excuſis chorographiam, proſpectum vrbium et palatiorum exhibentibus; addita chalcographa

 varia

varia et ſpecimina induſtriae, artium ingeniorumque Ruſſiam illuſtrantium.

Mature copiis litterariis adiunxit opes naturae, cura docta habita eorum, quae hiſtoriam naturalem dictam conſtituunt, et, quo ipſa res facile reduxit, progreſſus quoque eſt ad conquirenda et congerenda mirabilia exotica artis rudioris, ingenioſa tamen, ſuperſtitionis, ritusque publici et priuati, inprimis Lamaici et Mongolici, arma, vtenſilia, veſtimenta, e Songaria, Bucharia, praeſtigiatoris Schamani e Tunguſis, et Samoiedici pueri et puellae, habitus; quibus acceſſere ex Americae occidentalis ad ſeptentrionem inſulis noui apparatus, nauigantium cum Billingio ſtudio, reportati. Fauit viro ſtudioſiſſimo fortuna propitia, quae ex peregrinationibus complurium virorum doctorum per Imperii Ruſſici prouincias, tandem quoque ex nauigatione per mare ſeptentrionale et orientale facta eum ditauit. Ita ille amicorum ſtudiis, potentium indulgentia, clientium obſequio, prouincias imperii Ruſſici peragrantium, vſus eſt ad commoda noſtra cumulanda. Ita quoque vix quisquam erat, quem ad nos commeare acceperat, aut in Germaniam iter facere, quem non mandatis ad nos perferendis, aut nouo munuſculo onuſtum ad nos allegaret. Proſtant itaque in Muſeo academico opes ingentes naturae terrarum variarum, e prouinciis inprimis Ruſſicis, maxime Sibiriae omni ex genere metallorum, foſſilium, vegetabilium, nonnulla quoque animantium. Hortum botanicum eximie inſtruxit ſeminibus exoticis, inprimis Sibiricis, etiam ex Cherſonneſo Taurica.

Tam

Tam eximius ille erat beneficiorum ſuorum dispenſator, vt non oſtentatione ſed vtilitate ea metiretur. Nec ille, ſi priuatis noſtratium ſtudiis prodeſſe, deſideria litteraria explere poſſet, votis cuiuspiam aut vtilitatibus defuit; miſſisque publicis copiis adiecit ſaepe priuatas, viris doctis, quorum deſideria, ſi rogati eſſemus, officioſe ad eum detuleramus, diſtribuendas. Talem officioſam voluntatem et munificentiam et vos mecum expertos eſſe, viri coniunctiſſimi, grati teſtabimini, Tuque inprimis, amiciſſime *Blumenbach*, quem honoris cauſſa nomino; maxime ex quo compererat, te nouo exemplo ex diuerſis per terrarum orbem populis craniorum humanorum congeriem parare, quae ad numerum tam inſignem nunc excreuit, vt mirationem ſpectantium moueat; huius apparatus magnam partem *Aſchii* intelligentiſſimae prouidentiae et curae diligentiſſimae in conquirendo te debere fateris. Si quid itaque nouae notitiae ex Ruſſicis exoticisque terris nuntiatum, aut, naturam ignotum aliquid necdum viſum animaduerſumue genuiſſe, narratum eſſet: *Aſchii* ſedula ſagacique cura mature ad nos afferri ſolebat; quae res quantopere ſtudia noſtra acuerit, veternumque ingeniis inter ſollennia torpentibus excuſſerit, facile eſt ad intelligendum. Itaque quoties per litteras nuntiatum erat, nouas opes Bibliothecae publicae et Muſeo ab *Aſchio* eſſe paratas, iam vecturae maritimae terreſtriue eſſe traditas, iamque appropinquare, meminiſtis, adhuc ipſi, Viri amantiſſimi, quos alloquor, quantopere exultabamus! quanta expectatio, quae morae impatientia, cum

 vero

vero apportatae eſſent, quanta tum erat liberalitatis viri optimi admiratio! quam grata, ſenſu jucunda, verbis ampla, praedicatio! qnae mox ad collegas noſtros manabat et per omnem academiam diffundebatur. Mirabamur modo eorum, quae aduenerant, nouitatem, raritatem et caritatem, modo viri praeſtantiſſimi doctam ſagacitatem, ſtudium flagrans, in indagando, rimando, parando, conſtantiam et liberalitatem; nihil eum fugere, quod aut copiis litterariis vel numariis antea iam prouiſis et congeſtis adhuc deeſſet, aut opibus naturae artisue exoticae ac moris peregrini memorabilibus accedere poſſet; reputabamus mirabundi, quanta litterarum ac naturae notitiarum varietate imbutum eſſe deberet ingenium viri tot officiis curisque artis medicae occupati! A multis nuntiatum eſt, quoties de Gottinga ornanda ageretur, nec occupatum eum viſum eſſe nec infirma valetudine; ſed ſenectutem ipſam valere iuſſiſſe: nam etiam ſenectuti ingruenti aditus obſepiri poteſt virium animi intentione, ſi corporis vires ſuccumbant; obniti, ne velis eſſe ſenex, eſt aliqua ſenectutis retardatio. Diſpiciebamus de vtilitate ſingularum rerum ad illuſtrandum aliquid de quo ambigeretur in phyſicis vel geographicis aut hiſtorici generis; parata iam erat materia nouis curis doctorum virorum, qui inuenta et obſeruata noua ad ſe et ſuam diſciplinam ſpectantia excutere et inquirere ſatagebant. Atque haec illa ſunt, quibus ſingularis et eximia laus Georgiae Auguſtae ſuccreuit, et ad exteros quoque eſt propagata, cum intelligeretur, non inerti otio nos torpere,

nec

nec in ſollennibus ac vulgaribus diſciplinae ſuae vnum quemque acquieſcere, ſed ſtudio antiqua retractandi, emendandi, perficiendi, teneri, ea quae ab aliis, exteris quoque, ſint inuenta et animaduerſa, curare, et ſuis copiis adiungere, vtilia a vanis et inanibus ſecernere, ſubtiliter excogitata ad vſum vitae exigere, aut reuocare, ceteris valere iuſſis, quae ſubtiliora ſunt, quam vt ex iis aliquid, quod exploratum, aut quod proficuum ſit, aut ad vitam, virtutem, vim ingenii acuendam fructuoſum, elici poſſit. Ita feruere ſtudia, ingenia vigere, litterae effloreſcere, abſterſa illa multorum ſocordia, quum nihil curant, niſi quod intra diſciplinae, quam e cathedra profitentur, clauſtra, et in ipſo illo penu, e quo docenda promere ſolent, continetur; aut ignobile otium in nouellis politicis et litterariis relegendis conſumunt, ingenii vires atterunt, et foedis litterariorum hominum inter ſe digladiantium decertationibus animum paſcunt; quibus rebus ſtudiorum ardor extinguitur, ſoluuntur vires inertia, frigus letale ingenia occupat. Ne hoc virus, haec peſtis, inter nos gliſceret, tum Curatorum diligente cura, et opera in excitandis ingeniis ſtudiisque et inſtitutis academicis locupletandis poſita, eſt proviſum; tum multum profuerunt nouae rerum novarum et mirabilium ſubinde ab *Aſchio* miſſarum copiae, quae materiam ſtudiis interioribus attulerunt, et indagationis ſtimulos indiderunt; quo ipſo ille immortaliter de ſtudiis noſtris et de exiſtimatione Georgiae Auguſtae meruiſſe eſt putandus, dum nouis ingeniorum nutrimentis ſubmiſſis,

quantum in ipſo fuit, cauit, ne torpore et veterno litterario opprimeremur, aut ad friuola et inania rueremus, nec fructuoſioribus minus fructuoſa praeferremus, paleasque pro granis tereremus. Itaque et ego habeo. quod ex Aſchianis copiis aliquantum me profeciſſe profiteor, ne intra ſtudiorum grammaticorum fruticeta ita me continerem, quo minus in finitima vireta laetiora exſpatiarer; naturae enim, inprimis humanae, populorum ac terrarum, habitus varii, mores, ritus, miracula, ipſa feritas, barbaries et ſuperſtitio, litteras antiquiores mirifice illuſtrant; dum, a quibus primordiis vita humana eiusque cultus proceſſerit, exemplis his comparatis, diſcimus; his ipſis ſtudiis ſenectutem recreo, mentemque ſeu curis ſollicitudinibusque preſſam, ſeu aliarum litterarum minus iucundarum taedio feſſam reficio. Nullus enim in litterarum ſtudiis vlla in parte ſubſiſtendi et curſum remittendi eſt locus; quando enim cunque funem laxaueris, rota currit retro.

Verum ad *Aſchii* liberalitatem reuocandus eſt animus: quae cum tanta eſſet in nos, facile ad aſſequendum eſt, quam promta et intenta opera eius fuerit in aliis, quibus nos iuuare, nobis prodeſſe, poſſet. Multorum itaque virorum, quos gratia, auctoritate, litterarum amore, eminere norat, voluntates nobis conciliauit, vt et ipſi Georgiae Auguſtae commodis fauerent. Fuit in his vir grauiſſimus, *Ioannes Betzkoy*, Eques et a conſiliis imperii interioribus, cuius memoriam grata mente recolimus, recenſu et adſpectu monumentorum munificentiae eius, quae in apparatu Aſchiano ſeruantur.

vantur. Adſcriptum ſe eſſe ſódalitio Societatis noſtrae Scientiarum anno LXXVII., *Aſchius*, ſuorum ipſe beneficiorum immemor, loco beneficii habuit; cumque Societatis vtilitates ad ſcientiarum incrementa et ad Georgiae Auguſtae famam et exiſtimationem bene perſpectas haberet vir perſpicaciſſimus, eius decoribus et ipſe conſuluit, mirifica ſodalitii caritate flagrans.

Munerum ad nos miſſorum nouiſſima fuere ſub anni huius auſpicia curata; parata habebat alia, quae per calamitatem temporum ſunt retardata, tum intermiſſa. Cum tanto ardore ſtudii nos proſequeretur: ex eius magnitudine facile aeſtimari poteſt, quae fuerit magnitudo ſollicitudinis et aegrimoniae nouiſſimis annis, cum res academiae noſtrae tam diuerſis fatis iactarentur. Etſi valetudine parum firma vſus, vita tamen ad rationis et artis praecepta inſtituta, aetatem paullo vltra annum LXXVIII. produxit; naturae beneficio, quod quis non exoſculetur? non ſibi optet? placida morte obdormiuit, noſtrique amorem non niſi extremo cum ſpiritu depoſuit. Narrat enim vir amiciſſimus, qui de eius morte ad nos ſcripſit, pridie diem emortualem, erat is XXIII. Iunii, vocatum ſe ad *Aſchium*, conueniſſe eum conantem identidem de Gottinga memorare et mandata dare, labante tamen memoria in voce ſubſtitiſſe nec vltra fari potuiſſe; cumque abeuntem aliquoties reuocaſſet, in eodem nomine vocem et mentem defeciſſe; adeo etiam morientis linguae balbutienti inſediſſe et animae iamiam fugiturae oberraſſe caram nutritiam Georgiam Auguſtam. Licet itaque credere,

credere, cum ille in ipſo corporis et animae diſcidio noſtri memoriam ſeruauerit, eum nec inter meliores verſantem noſtri recordationem eſſe dimiſſurum.

Mirabilem hanc noſtri caritatem quis non dignam eſſe iudicet quam pietate perenni colamus! quis, etiamſi ipſe ſenſu affectuque vacet, non intelligat, noſtrum officium poſtulare, vt ad omnem poſteritatis memoriam commendemus virum, qui per magnam vitae partem nos, noſtraque commoda, litteras, exiſtimationem pro ſumma votorum ſuorum habuit; idque non verbis ſpecioſis prae ſe tulit, non inani affectauit ambitione, ſed factis, curis, laboribus, ſumtibus e re familiari expenſis, probatum dedit et eſt teſtatus. Quisquis litteris bonas, doctrinae fructuoſae ſtudia, quisquis Georgiam Auguſtam colit, amat, is etiam *Georgii Aſchii* memoriam caram ſanctamque habebit. Etiam poſteris haec eloquimur; hoc enim iam praeuidere et praeſentiſcere debuit vir meritiſſimus, poſteritati ſe non minus has ſuas opes litterarias conſecraſſe quam huic aeuo; nec iisdem finibus, quibus vita, meritorum quoque laudem fructumque terminari; vti omnino eorum, quae vir bonus curat, nihil eſt quod non ad poſteritatem quoque pertineat. Mihi certe *Aſchii* tanquam praeſentis imago, beneuolentiae et amoris ſenſus, multoque magis liberalitatis, qua Georgiam Auguſtam auxit et ingentibus copiis ornauit, memoria tam alte infixa eſt imis medullis, vt ne morte quidem euelli poſſe credam. Cum enim aliae plerumque affectiones et propenſiones ſenio aggrauante remitti

ſoleant:

ſoleant: eae, quibus nos tenebamur, litterarum iuuandarum ſtudio communi conglutinatae, longo annorum decurſu tanquam maturitate erant corroboratae. Ipſa liberalitatis in remp. academicam perſeuerantia, datis acceptisque beneficiis, vtriusque noſtrum caritatem et fidem firmare, vinculisque artius adſtrictis tenere videbatur.

Ita ille vita deceſſit, felix praedicandus, quod tam praeclara laudis ſuae monumenta reliquit; cumque aliorum, ne memoria intercidat, dies emortualis celebrari ſoleat, *Aſchii* memoria recoletur toties quoties eius litterariis ſubſidiis vtentur viri litterati et litterarum ſtudioſi. Felix ille et in hoc, quod tolerabilis ſenecta, placida et lenis, ei contigit, cum auctoritate et dignitate, quodque maius eſt, cum conſcientia vitae bene actae et cum multorum benefactorum recordatione iucunda. Quem tandem, qui ita vixerit, vixiſſe poenitebit! Obtigit vero illa quoque felicitas, quod vita diſceſſit integris mentis facultatibus, nec ſenio tam vieto et caduco, vt mente prius deficeret et ſenſu, quam anima et ſpiritu.

Nunc vos, *affinis* et *gener*, viri optimi, eas officii et amoris inite rationes, vt, quae *Aſchii* diſceſſu erepta mihi ſunt vitae ſolatia, veſtra mihi caritate ſint reddita. Ita ſane eſt, ſenectutem multa habere mala, et vnum ſatis eſſe, "quod diu viuendo multa quae non vult, videt:" habet tamen et bona ſua, in quibus eſt hoc quoque, quod aetas ipſo ſuo progreſſu nouas parit officii, conſuetudinis, ſanguinis neceſſitudines, eoque nouas animo-

animorum affectiones; in quo genere affinitatis inprimis incidere ſolent coniunctiones. Quare in tua potiſſimum fide et caritate acquieſco, optime *Reuſs*, quoties de Bibliothecae academicae fortuna ſollicitus, reputo, quem illa porro habitura ſit adminiſtratorem, et, quo nomine nunc video noſtri loci homines appellari, conſeruatorem; hanc ſpem fidemque te pie et inuiolate ſeruaturum eſſe pro certo habeo, meque erigo, in hac omnium, quibus fruebamur, bonorum labefactatione metuque ex incertis fortunae; quorum quidem cogitatione illud ſaltem conſequor, vt decurſus mei metam in oculis poſitam aequo animo intuear, ad eumque locum occupandum properem, in quo vere dicere liceat, me omnia humana infra me poſita habere. Scripſi ineunte M. Auguſto anno ſaeculi ſeptimo.

# RECOGNITA

ET

# RETRACTATA

IN

OPVSCVLIS ACADEMICIS

Vol. I – VI.

Quod Solon profeſſus eſt, *ſenem ſe multa diſcere a*), id meo me iure pronuntiare, non equidem glorior, laetor tamen, idque in iis pono, in quibus fortunam non prorſus infeſtam habui. Ex eo enim tempore, quo litterarum tum aliarum tum humanitatis ingreſſus ſum ſtadium, ſi incrementa reputo, id quod vt faciam, omnis fere dies me admonet, quae inde a puero vidi in his ſtudiis ſucceſſiſſe alia aliis, cum ab improbo vocabulorum memoria comprehendorum labore, cui ipſe innutritus fui, proceſſum eſſet ad meliorem interpretandi ſcriptores et ſenſum dictorum cognoſcendi rationem, inde ad criticam ſubtiliorem verborum, tum etiam rerum, et ſententiarum hiſtoriarumque ſeuerius iudicium, mox ad artem quoque et elegantiam orationis et ſcriptionis aeſtimandam aliisque declarandam, ita vt verus verae humanitatis ſenſus inde fructusque ad animos noſtros proueniret: ſi ea, inquam, reputo, videor mihi plures tanquam aetates viuendo peregiſſe. Eaque cogitatio non minus ſubinde animum ſubiit, quoties opuſcula haec academica vno et altero volumine collecta euulganda iterum recognoui. In multa enim incidi, quae eo, quo ſcripſeram, tempore rem aut intactam aut parum cognitam in medium proferebant, nunc autem inter vulgo

a) Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

nota habentur, alia, aliorum ſtudio excitato, novis curis et copiis affluentibus ab aliis ſunt pertractata et aucta. Tantum enim abfuit, vt aemulos, aut alios, qui poſt me vel praeter me eadem argumenta vberius ac doctius elaborarent, laudi meae, ſi modo aliqua eſſet, aliquid detrahere velle putarem, vt potius placerem mihi in eo, ſi alios ad idem argumentum tractandum incitaſſem aut perlexiſſem. Via enim regia et lata in litteris omnes incedimus, nec de via alios deiiciendi ius cuiquam lege eſt conceſſum. Tum vero ſemper ita ſtatui, vt mei loci et ordinis homini id maxime agendum eſſe putarem, vt non modo ipſe pro virili bonis litteris prodeſſem, verum aliorum quoque ingenia et ſtudia excitarem; vana enim eſt eorum opera, qui ſibi perſuadent, ex virtute et laude aliorum a ſe arroſa, ſuae ipſorum virtuti aliquid accedere. Quanto melius erat, ſua quemque virtute niti ſuaque laude frui. Itaque iucundum et optabile viſum eſt, quoties ſe offerret opportunitas laudibus aliorum aliquid addendi easque ſuffragatione mea, ſi res ferret, fouendi; eosque qui inuidia aeſtuabant, meae de ſtudiis humanitatis ſentiendi rationis ignaros, exulceratum animum fruſtra habere dolui. Delectat enim me ipſa haec cogitatio, eſſe qui, me iam grandaeuo, longius ſint progreſſi, nec ſtudia eo loco, in quo ea ante tot annos reſtitiſſe videram, ſubſtitiſſe. Mihi autem nec ſumſi quicquam nec arrogaui; quicquid enim in his ſtudiis profeci, id loco, in quo ſum conſtitutus, et ſubſidiis praeſidiisque quibus vti contigit, me debere ingenue profi-

profiteor, nec tam laudi mihi hoc cedere, quam pudori habendum fore, ſi commodis iis recte vſus non eſſem; idque, quod ſequutus eram, vt vice cotis fungens alios ad paria ſtudia excitarem, me aſſequutum eſſe. laetor; glorior quoque hoc, quod, non ſine iucunditate aliqua, animaduerti, plures eſſe commentationes, quarum argumenta tum, cum de iis agebam, verſabantur in re antea aut intacta aut parum explicita, quae tamen mox, aliorum ſtudio ſuſcitato, nouis virorum doctorum curis copiisque auctius vberiusque ſunt pertractata. Itaque nec refugi haec ipſa, quando in manus meas peruenerant, perlegere, memorabilia enotare, et, cum commentationes meae in vnum collectae prodituræ eſſent, iſta aliorum annotata laudare et ſuis locis ſubnotare, parique ſtudio ſubiungere ea, quae ipſe ſerius animaduerteram emendatione aut illuſtratione egere. Inde ſubnata ſunt ea, quae nunc ad calcem nouiſſimi opuſculorum voluminis *auctarii* loco ac nomine ſubiicere conſtitui, eodem modo, quo alia iam in *prioribus voluminibus* adieci nonnullis proluſionibus, inde ab a. ſuperioris ſaeculi LXIII. ſcriptis et Vol. I. 1785. iunctim vulgatis.

Libros *Retractationum* ſcripſit Auguſtinus, alio forte ſenſu. Vix equidem virum doctum fuiſſe arbitror, maturioris ſaltem aetatis et prudentiae, qui ſtudiorum ſuorum, et, ſi qua ediderat, ſuorum ſcriptorum recognitione inita, non in votis haberet, vt nonnulla aliter et melius conſtituere, alia retractare et emendare liceret. *Emendaturus, ſi licuiſſet, eram!* Etſi in opera tenui, tamen non

Ee 2 dimit-

dimittam opportunitatem oblatam, nonnulla ſaltem in his opuſculis, quoad licet, emendandi, alia diligentius conſtituendi.

In *Commentatione de genio ſaeculi Ptolemaeorum* Vol. I. haec ſaltem monebo: Paullo licentius forte vſus videri poſſum eſſe voce *Genii:* nec monenti repugnabo; exemplo tamen Martialis id me facere memini (VI, 60.); *victurus Genium debet habere liber:* ſi hoc ſenſu dictum illud acciperem, vt ſit fauſta aliqua natiua indoles, quae librum commendat, eique pro Genio eſt fortunae melioris arbitro; vnde etiam homo aut ipſa res per Genium fuit declarata; et Genius hominis pro ipſo homine vſu loquendi dici coepit: Ita eſt *Genius* non modo *hominum*, ſed et *locorum*, *vrbium*, *prouinciarum*, in numis; ita et *ſaeculi*, *temporum*, *Genius*, hoc eſt indoles, habitus, fortuna; adiuncta notione propriae alicuius laudis: etſi non ignorem verſum Martialis poſſe ſimpliciter accipi de fortuna et fato bono ac propitio. Vt vero *Genius* excellentius aliquod ingenium declaret, complexu plurium mentis facultatum inſigni et raro ornatum, non niſi recentiorum linguarum vſu proprio poſſe fieri exiſtimo. Statuat tamen de his pro ſuo quisque genio vel ingenio. Pergo ad alia: p. 121. ſcriptoribus qui olim de Alexandria ſcripſerant, addendum eſſe Horapollinem *περὶ τῶν πατρίων τῆς Ἀλεξανδρείας* apud Photium Cod. CCLXXIX. ex Helladii Chreſtomathia.

Amor litterarum, qui nobilitauit et apud poſteritatem conſecrauit Ptolemaeorum nomen, intra primos reges duo vel tres ſubſtitit: Nam Ptole-

Ptolemaeus Lagi ex contubernio Alexandri de litterarum honore et vtilitate ad regni adminiſtrationem ſapienter et prudenter inſtituendam iudicium verum et rectum habuiſſe videtur; ita et ipſi Ariſtotelica inſtitutio Alexandri profuit. Philadelphus iam in mollitie et luxu aulae educatus voluptates ex litteris et artibus venabatur, cum ſenſu tamen pulchri, elegantiae, venuſtatis; itaque Muſas ad aulicum luxum et ſplendorem cultu vtique elegantiore adornauit, priſtinam tamen et natiuam virtutem et virile robur eius aetas mollitie aulae infringere, mox ad leuia et friuola deducere, ſeveriores litteras ad doctas nugas deflectere coepit; nec ſequentes inde ab Evergete reges vllum rectum ſenſum litterarum habuiſſe videntur; Phyſcon autem eas dehoneſtaſſe eſt dicendus. Narrat Plutarchus de adulatione p. 60. A. Phyſconem, qui volebat φιλομαθὴς haberi, delectatum contentionibus de minutiis et ſpinis grammaticis, vsque ad medias noctes inanibus ſermonibus eſſe detentum; et inter haec neminem fuiſſe, qui immanitatem et flagitioſam vitam ei exprobraret (add. p. 56. E.). Comparandus ille hactenus cum Hadriano, qui, cum vellet etiam in minimis primas tenere, *profeſſores omnium artium ſemper, vt doctior, riſit, contemſit, obtriuit;* Spartian. c. 15.

Ad p. 104. de leuioribus luſibus poeticis, vt bipennis, alarum, cf. diſputantem V. C. *Merian vom Einfluſs der Wiſſenſchaften auf die Dichtkunſt.* Tom. I. p. 181 - 193.

Quam p. 122. profectionem Caracalli in Aegyptum et immanitatem in Alexandrinos ex

vulgari ratione ad a. C. 216. poſt reditum a Parthis retuli, antecedenti anno 215. aſſignandam eſſe e numi auctoritate conſtituit *Eckhel de doctrina numorum* Tom. VII. p. 215 ſq. de re ipſa egi in *Commentat. de calamitatibus Alexandrinorum ſub Romanis Impp.*

*Ibid.* de Ariſtoteleorum conuictu ſublato a Caracallo, quo patet, diuerſas philoſophorum ſcholas Alexandriae eo adhuc tempore fuiſſe, necdum eas in vnam ſcholam confluxiſſe, cf. *Buhle Geſchichte der Philoſophie* Vol. IV. p. 191. vbi idem V. C. etiam de Bibliotheca Alexandrina p. 197. et de Muſeo memorauit. Serius diuerſa tradidit *Benjaminus Tudelenſis*, appoſito a me loco p. 123. in nota *) niſi is *ſcholas* pro cubiculis dixit.

P. 126. De libris Ariſtoteleis a Ptolemaeo emtis, et in Bibliothecam translatis, egerunt poſthaec ſtudioſius *Buhle* ad Opp. Ariſtotelis Tom. I. praef. p. XIX. cf. p. 112. et doctiſſimus *Schneider* ad Ariſtotelis Hiſt. Animal. Vol. I. in Epimetro ad notitias ſubſidiorum p. LXXXII ſqq. nuper quoque ea attigit V. C. *Vòlkel* de transportatis inter ſpolia artium operibus 1798.

P. 129. de *Bibliothecae* Alexandrinae direptione ab Arabibus facta quae vulgo narrantur, excuſſa ſunt diligentius ſuperioribus annis a viris doctis pluribus. Antiquiores laudauit *Villoiſon* in *Prolegomenis ad Iliadem* p. XXXVIII. col 1. *Abulpharagii* fidem, cui ea innititur, in dubitationem vocauerat iam *Renaudot* in *hiſt. Patriarch. Alexandr.* p. 170. Suffragari mox viſus eſt locus *Abdollatiphi* in *Compendio Memorabilium Aegypti* a *Ioſepho*

*White*

*White* edito p. 114. 115. Impugnarunt alii, in quibus *Gibbon*, argumentis a iudicii ſubtilitate petitis, defenderunt alii, in his *Edward Ryan* in *Hiſtory of the Effects of Religion on Mankind*, 1789. Nunc de vanitate narratiunculae conuenit inter viros doctos. In his *Saintecroix* (*Magaſin encyclopédique* 1799. Tom. IV. p. 433.) videndus eſt; et nunc, idoneus arbiter, Ill. *Langlès* ad *Norden Voyage d'Egypte* Tom. III. p. 173 ſq. Fundum tamen aliquem fabulae fuiſſe probabile fit; forte, expilatis dudum armariis et diſſipatis libris, ſuperfuit farrago librorum, qui ſunt flammis traditi ab *Amru*.

Ad p. 133. ad ea, quae de Alexandrinorum leuitate ingenii, et procliuitate ad ſeditiones mouendas, memorata ſunt, adde locum *Dionis Caſſii* XXXIX, 58. cum nota *Fabricii*. Item *Trebell. Poll.* in XXX. Tyrannis c. 21. p. 311. Exemplum eius modi animorum impetus cum atrocitate v. narratum a Polybio in Excerptis lib. XV. in rebus Ptolemaei Epiphanis pueri, adminiſtrante regnum Agathocle p. 543. *Schweigh.* Ingeniorum turbulentorum metum mouiſſe Auguſtum narrat Dio LI, 17. vt tanta ſeueritate in Alexandrinos vteretur, ſenatuque ademto, Praefecto Aegypti conſtituto, annuum Roma mitteret iuridicum, ita vt nulla amplius in re ſui iuris eſſent, in infimum ſeruientium locum deiecti. Reſtituit ius curiae ſenatumque reddidit Seuerus Imp. (*Spartian in Severo* c. 17.)

Ad p. 134 ſqq. *de iudicio, quod defunctis Aegyptiorum regibus habitum eſſe Diodorus narrat.*

Inſeruieram cauſſae meae, cum mihi eſſet oratio funebris in morte regis habenda; etſi id commentum Graeci alicuius, ea, quae a ſacerdote acceperat, exornantis, eſſe arbitrabar. Nunc poſt diſputata a viris doctiſſ. Zoëga, Heeren, et nuper a Boettigero (*Ideen zur Allegorie der Malerey.* Vol. I. p. 89 ſqq.), video inter hieroglypha occurrere tale iudicium mortuorum, et quidem appoſita lance.

Ad p. 151. 152. De lacubus apud Memphim, iis quae in votis habebam, iam ex parte ſatisfecit *Savary Lettres ſur l'Egypte* p. 260. vbi expreſſa quoque eſt aere et ſtilo chorographia locorum.

Ad p. 160. de *dicto Simonidis:* quo difficile eſſe pronuntiatur, *conſtanter virum bonum eſſe b*): ſcilicet omnino bonum virum eſſe, cuiusvis viri ingenui eſt; enim vero conſtanter, vt nunquam a propoſito iuſto et recto aut abducaris aut deiiciaris metu aut ſpe, difficile eſſe negari nequit, et, in hac fragilitate naturae humanae, ſi euenerit, condonandum eſt, nec nimis acerbe exagitandum. Eſt itaque hoc, vt alia ſententioſe dicta, ad certas temporum rerumque rationes et conditiones reſtringendum. Atque id Socrates declarare voluiſſe videtur diſcrimine inter τὸ γενέσθαι et εἶναι facto. Spectat idem dictum ad comparationem officiorum, τῶν καθηκόντων, ipſa interdum prudentia iubente diſſimulare vera, quibus alter male

b) Χαλεπὸν, ἐσθλὸν εἶναι, quod ille a Pittaco acceperat, in cuius tamen sensu et vsu ambiguitatem occurrere memini: quapropter id retractaui. Habui autem in votis, et adhuc habeo, vt existat vir doctus, qui versus metricos melius constituat, quam a me factum est.

male vti poſſit in aliorum noxam. Ad imbecillitatem humanam a Socrate reſpectum habitum eſſe; docent tum illa, quod *neceſſitate vrgente*, ἐν ἀμηχανίᾳ, vel ἀμηχάνῳ συμφορᾷ, veniam habendam eſſe ait, tum, quod id ſolum dixit ſibi praecipuum habere deum, *vt ſemper bonus ſit.* θεὸς ἂν μόνος ἔχοι τοῦτο γέρας; probandum eſſe tantum eum, et pro viro bono habendum, qui ſponte haud improbitatem exerceat, ἑκὼν ὅστις ἂν ἔρδῃ μηδὲν κακὸν, ἀνάγκῃ δὲ οὐδὲ θεοὶ μάχονται. — Ad εὐρυεδοῦς χθονὸς καρπὸν et εὐρυόδεια χθών, v. notata ad Iliad. VI, 142.

Ceterum ex hoc dicto ducta eſt altera ſententia magis etiam vulgata: χαλεπὰ τὰ καλά. quomodo Pittacus illud enuntiauerat, vel χαλεπὸν τὸ καλόν. vt ap Diog. Laert. I, 76. εἶπέ τε, χαλεπὸν, ἐσθλὸν ἔμμεναι. οὗ καὶ Σιμωνίδης μέμνηται, λέγων· ἄνδρα ἀγαθὸν ἀλαθέως ἔμμεναι, χαλεπόν· τὸ Πιττάκειον. Mutata itaque quodammodo ſententia, cum Pittacus ἄνδρα ἀγαθὸν, ἐσθλὸν dixiſſet, factum mox τὸ ἐσθλὸν χαλεπόν. Schol. Platonis in Cratylum in *Siebenkees Analectis graecis* p. 26. ὅτι χαλεπὰ τὰ καλά ἐστιν. παροιμία ἐπὶ τῶν ἐν εὐπραγίᾳ μεταβαλλομένων εἰς ὠμότητα. Φησὶ δὲ αὐτὴν Δίδυμος ὑπὸ Σόλωνος ἀναφωνηθῆναι ἐπὶ Πιττάκῳ ἱκετεύοντι τὴν ἀρχὴν ἀποθέσθαι καὶ φάντι· χαλεπὸν ἐσθλὸν φῦναι, διὰ τὸ τὸν Περίανδρον εἰς ὠμότητα μεταμελεῖν (μεταβαλεῖν). ὅθεν, οἶμαι, φησὶ καὶ Μένανδρος· ἀρχὴ μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις κακῶν. (οὐκ) ἀγαθὰ τὰ λίαν ἀγαθά. μέμνηται δὲ αὐτῆς καὶ Ἐπίχαρμος, καὶ Πλάτων ἐν πολιτείᾳ καὶ Κρατύλῳ. Pittacum puta, cum audiviſſet, Periandrum Corinthium ad ſaeuitiam deſciuiſſe, ſibi ipſi diffidere coepiſſe, et rogatum

 iuiſſe

iuiſſe ciues, vt ſibi permitterent deponere ſummam poteſtatem, quam tenebat, ne forte ea ipſe aliquando abuteretur. Hoc idem Scholion alio modo conſtitutum eſt in Scholiis a Ruhnkenio editis p. 135. in Hippiam maj. extr. vbi idem dictum occurrit. *χαλεπὰ τὰ καλά: Περίανδρος, ὁ Κορινθίων δυνάστης, κατ᾽ ἀρχὰς δημοτικὸς ὢν, ὕστερον εἰς τὸ τύραννος εἶναι μετῆλθε. Τοῦτο Πιττακὸν ἀκούσαντα, τότε Μιτυληναίων δυναστεύοντα, καὶ δείσαντα περὶ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης, (de ſui animi conſtantia in recto ſeruando.) καθίσαι τε ἐπὶ τὸν βωμὸν ἱκέτην, καὶ ἀπολυθῆναι τῆς ἀρχῆς ἀξιοῦν. τῶν δὲ Μιτυληναίων πυνθανομένων τὴν αἰτίαν, εἰπεῖν τὸν Πιττακὸν, ὡς χαλεπὸν, ἐσθλὸν ἔμμεναι. τοῦτο δὲ μαθόντα τὸν Σόλωνα, εἰπεῖν· χαλεπὰ τὰ καλά. καὶ ἐντεῦθεν εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν. οἱ δὲ ἐπὶ τοῦ ἀδυνάτου τὸ χαλεπὸν ἀκούουσι· ἐπὶ πάντων γὰρ γενέσθαι ἀγαθὸν, ἀδύνατον.* Ceterum Pittaci dictum paſſim, et varie, memoratum eſt; vt ap. Baſilium *de legendis ſcriptoribus Graecis* §. 67. apud Ariſtotelem in Moral. I, 11. Rhetor. III, 11. Et Maximus Tyrius primam diſſertationem ab hoc orditur, vbi docet, natura ita homini conſtitutum eſſe, vt labore et ſtudio virtutem ſibi comparet. Ibi in Schol. dicitur Solon illud deflexiſſe in alterum, *χαλεπὰ τὰ καλά*, vt et apud Svidam habetur. Ad *ἄνδρα τετράγωνον* autem reſpicit Iulian. Caeſ. 28. de Marco Aurelio: *δοκεῖ γάρ εἶναί μοί πως ἀνὴρ κατὰ τὸν Σιμωνίδην, τετράγωνος, ἄνευ ψόγου τετυγμένος.* cf. Spanhem. ad c. l.

Ceterum in his deinceps proluſionibus, etiamſi aperte profeſſus non ſim, facile tamen deprehenditur

ditur ſtudium meum iam tum ad antiquitatem graecam non modo grammatice tractandam, ſed ad ipſas res, mores, conſilia et facta, cognoſcenda conuerſum. Ductae ſunt quodammodo eorum, in quibus ſerius opera mea eſt verſata, primae lineae: in Proluſ VII *de cauſſis mythorum phyſicis*, et in VIII. *de vitae humanae initiis inter Graecos*. Prior illa, loco *ſeptimo*, ſcripta eſt anno, quo *Münchhuſius* vir immortalis hanc vrbem et academiam inviſit, (p. 186) ſaeculi LXIV.

In *Proluſionibus trinis* IX. X. XI. *de frugalitatis vitae priuatae vtilitatibus ad vitam publicam, praecipue ad maiorem ciuium frequentiam*, ſi quis, paullo inſtructior vitae recentiorum aetatum notitiis et iudiciis, ad eas retractandas acceſſerit, multa ad publicam vtilitatem ſpectantia melius conſtituere facile poſſit, alia quoque emendatius in computandis capitum numeris et frumenti menſuris; vt p. 226. 252. vbi de dimenſo militum et ſeruorum nonnulla melius conſtitui poterant, coll. locis Senecae epiſt. 80, 5. Donato ad Terent. Phorm. I, 1, 9. Iuuenale XIV, 126 Attigit ea iam Ill. *Mongez*, in perdocta commentatione (*Memoire ſur les travaux publics des Romains. Mem. de l'Inſtitut. Litterature* To. I. p. 500.) nec conferre pigebit *Io. Dickſon Husbandry of the ancients*. Quantus hominum numerus, meliore ſoli cultu, intra anguſtos quoque terrae fines, viuere poſſit, exemplum eſto Lycia Aſiae XXIII. vrbibus aliquando florens ex ſola agrorum et artium cultura, ſed bonis legibus vſa, v. Strabo XIV, p. 665. (980.) eadem ſerius parum culta et infrequens, nunc ſterilis et deſerta.

Ad

Ad ea quae *de coloniis veteribus earumque iure et cauſſis* ſcripta ſunt (Proluſ. XIV. XV. et Vol. III. Proluſ. V.) quorum continuatio ex parte habendae ſunt Proluſiones *de rebus publicis et inſtitutis ciuitatum Magnae Graeciae*, Vol. II. exhibitae *c*), alia acceſſere ſtudio Cl. viri *Hegewiſch* 1808. tum viri praeſtantiſſimi, cuius memoriam caram ſanctamque habeo, L. B. de *Sainte Croix de l'Etat et du Sort des Colonies des anciens peuples* 1779. cum noſtra ſcripta eſſent 1766. Recordor adhuc, eodem anno, quo Proluſionem de coloniis primam ſcripſeram, (in curſu erat annus ſaeculi ſuperioris LXVI.) *Benj. Franklinum*, qui vrbem et academiam noſtram inuiſerat, valde cupidum huius commentationis legendae, cum in familiari congreſſu eſſet, qui diceret, ominari ſe, Americam aliquando ſe in libertatem eſſe vindicaturam; eueniet id, aiebat, eueniet, ſed vix intra quinquaginta aut centum annos. Tam parum proſpiciebat vir acutiſſimus memorabile iſtud euentum paucis annis poſt habiturum eſſe locum.

Ceterum, cum nomen et vox coloniae, ex noſtro inprimis loquendi vſu, late pateat, ad eos quoque homines et populos, qui primi occuparunt aut inſederunt terras et inſulas a noſtris ſedibus remotas: paullo latius euagantibus aliis, eoque diſertioribus, equidem continui me maxime in eo genere coloniarum, quae conſulto a metropoli ad alias terras inhabitandas a Graecis et Romanis fuere deductae et profectae. Etiam *metro-*

*c*) Monendum mihi est, alterius Prolusionis *de Coloniis* p. 310. praescriptum diem *Kal. Iul.* 1767. legendum esse *Kal. Ianuar.*

*metropolis* nomen habet definitam ex ipſa re notionem: nec ſerior notio inter vrbes Aſiae, ex numis cognoſcenda, cum ea eſt confundenda; multo minus ea quae ſeriorum temporum eſt in rebus diuinis ſeu eccleſiaſticis.

Origines panificii, *tres Proluſiones*, XVI. XVII. XVIII. eo tempore, quo ſcriptae ſunt, commendabant ſe nouitate ſua, non tam rerum, quam inſolentia delectus talis argumenti in ſcriptis eorum hominum, qui antiquarum et humaniorum litterarum nomine deſignari ſolent. Intra conatum tamen tractatio ipſa ſubſtitiſſe videri debet. Verumtamen iacta ſunt fundamenta, quibus ſuperſtrui poſſint alia ab iis, qui ſtudia hiſtoriae naturalis, rei ruſticae, et rerum, quae ad quaeſtum, mercatum, vitaeque priuatae publicaeque negotia ſpectant, cum hiſtoriarum antiquitatisque litteris coniungunt. Multa poſſem forte ipſe nunc ad iſta afferre, verum meae vitae anguſtiae tale quid haud capiunt. Sunt etiam diuerſi generis ea quae ad pertractationem quaeſtionis neceſſaria ſunt; nam complectitur nomen frugum, et conſilium earum origines declarandi, varia ſeminum cerealium genera, eorumque inuentum et culturam; porro artem modumque reddendi ea nutritioni idonea, pinſendo, excoriando grana, coquendo, et ſic porro, tandem curam ſalubritatis et vilitatis annonae. Innumera ſunt, quae ſe offerunt cogitanti de temporum, modorum et vſus varietate; ſunt tamen nec minus ſubſidia ad manum iis qui in haec inquirere volent *d*).

Con-

*d*) In eorum gratiam, qui porro haec prosequi volent, adscribam subsidiorum potissima: Latius euagantes consu-

Contineat tamen ſe, moneo, commentatio in primariis frumentorum generibus, quae iam antiquitati nota et in vſu fuere; ne in infinitam eſculentorum copiam incidat. Quaeſtio itaque de cerealibus antiquitatis continetur maxime in quaeſtione *de inuento tritico et hordeo;* quod ſane *ſilueſtre* ab initio eſſe debuit, antequam idoneum eſſet victui hominum in communitate et ſocietate vitae. Itaque non minus quaeſtio verſatur in hoc altero, *quando et a quo inuenta ſit certa ratio cereales fruges ſerendi, colendi,* et, vbi ſatione et cultura fruges prouenerint, *grana liberandi gluma, et pinſendo, humectando, et coquendo, in pultem et panem vertendi.* Porro etiamſi repertum fuerit, *frumentum ſilueſtre,* tamen vel ſic cautione opus erit, ne forte ſpicae ſuperſint ex antiquiore ſatione, intermiſſa poſthaec agricultura. Ita id, quod de *Sibiricis agris* dubi-

consulent: *Ge. Rud. Böhmer technische Geschichte der Pflanzen* P. I. cap. . *Mehlmaterien.* Ad antiquiora et recentiora illustranda multa sunt congesta a *Meiners* nostro: *Entstehung und Fortbildung des Ackerbaues* im *neuen historischen Magazin* III. Band. S. 340. Equidem velim ante omnia exquiri ea, quae de Sicilia antiquissima tradita sunt, inprimis de Leontini *agri tritico agresti* (cf. Opusc. Tom. I. p. 356.) *Sestinus* aegilopem ouatam esse asserit: *Lettere del Sr. Abbate Domenico Sestini Scritte dalla Sicilia e dalla Turchia Vol. II. Lett. XIII. p.* 321. — De *panificio* ipso et variis modis panem coquendi egit *Tozzetti Agricoltura* p. 157 sq. vbi plures scriptores laudat. Add. *Xaverio Manetti della Panizzazione.* Firenze. 1767. 4. — Antiquiora tamen vel sic plura congerere licet ex Athenaeo, Galeno, et ex ipso Hippocrate: quorum manifesta vestigia videas in *Foesii Oeconomia Hippocratis* sub voc. ζειά, κριθή, ἔτνος et sic al.

dubitaueram p. 339. an inuentum ſecale agreſte ex ſatione priſtina derelicti agri ſuperfuerit, recte me ſtatuiſſe firmatum vidi a Pallas V. C. (*Neue Nordiſche Beyträge* II. Band. p. 357.).

De *prima frugum ſatione inter Graecos* tam varia tradita eſſe, mirari licet et miratus ſum p. 353. Cauſſae tamen idoneae memorari poſſunt a diuerſitate famae: quae partim e diuerſis terris, partim a diuerſis Hellenum ſtirpibus manauerat; quae eadem cauſſa eſt diuerſitatis mythorum inter Graecos: quippe qui profecti non ſunt et litteris conſignati ab homine, qui tum vixerat, nec ab vno ſapientum aut ſacerdotum ordine, ſed a maioribus et auctoribus diuerſarum ſtirpium et familiarum, a quibus haec vel illa narratio accepta ferebatur, ſunt profecti: ſerius carminibus propagati, pluribus inter ſe confuſis, variati, interpolati, ornati, vt de fonte, patria et auctoritate narrationis, raro, quod pronuntiari poſſit, habeamus. Ita, quibus terris et temporibus primum ſeri et arari coeptum ſit, ſi quaerimus: potuit olim rei memoria haberi, ſed hactenus tantum, vt ſeruatum ſit inde ſolum hoc, vt de prima terrae cultura vnusquisque id narraret, quod de ſuis aut maiorum ſedibus narratum acceperat. Haec tamen ipſa mox turbata ſunt exornatione mythorum a poetis. Ceterum exiſtimes facile, ex Aegypto omnino primitus frugum notitiam et vſum Argos per Danaum deductam eſſe debuiſſe; qua tamen de re nihil traditum meminimus. Nec Cadmus ſationis frugum auctor proditus eſt, qui tamen ſerpentum dentes ſeuerat, et Ino, eius filia, Athamanti

nupta

nupta, fruges torrendo corruperat (v. Apollodor. I, 9. pr.), vt neceſſe ſit exiſtimare, frugum ſationem iam ante Cadmum innotuiſſe in Graecia. Iisdem temporibus Triptolemus in fabulis Atticis narratur a Cerere arationem edoctus eſſe. Poſſunt porro diuerſi vſus frugum confuſi eſſe inventi nomine. Toſta primum fuere grana, etiam ſilueſtris frumenti, mox terrae alia mandata, vnde ſeges et meſſis increbuit; ipſa aratio prima poſt experimenta ſerius eſt perfecta quoque. Tam variis modis fruges inuentae eſſe dici potuere; vnde et coniecere viri docti, Triptolemi nomen ductum eſſe a trina aratione inuenta *e*). Nec omittendum eſt, Atticas fabulas tantum ad hordeum inuentum ſpectare, cuius etiam in Graeciae et Aſiae regionibus feliciorem prouentum et dulciorem gratumque ſaporem eſſe aiunt, quod omnino in calidioribus plagis ita ſe habere, *Linnaeus* iam pronuntiauit in *Culina mutata* (*Amoenitat. academ.* Vol. V. p. 54.). In aliis terris aliud frumenti genus potuit inuentum eſſe aut dici, quod ibi domeſticum, et natiuum eſt, vt triticum in Sicilia. Quid vero de Aegypto? de Africae ora boreali? In Homero iam hordeum nouimus equorum pabulum, etiam zeam, et vtramque mixtam. (Odyſſ IV, 41.) et ibid. (v 604.) memorantur iunctim *πυροὶ*, *ζειαὶ*, *κρῖ λευκόν*.

Multa in his caſus et vſus monere potuit ac debuit, inprimis in iis, quae poſt ſationem fuere inue-

e) Ab agro tertium vomere verso, quem *τρίπολον* dictum esse constat. v. V. C. *Böttiger Griechische Vasengemälde* I. Band. II. Heft. p. 198 sq.

inuenienda, excogitanda, perficienda: in exterendis frugibus, glumis ſecernendis, granis conterendis, pinſendis, humectandis, farina ſubigenda et ſic porro: quae ſane, niſi imitatione et iteratione ſimilium, experiundique aſſiduitate, ſe ipſa facile offerre debuiſſe cenſueris, haberet ſane locum Poſidonii iudicium apud Senecam Epiſt. XC. non niſi a Sapiente haec inuenta eſſe.

Ad p. 395 - 400. *de Elyſio*, vbi et alias animarum beatarum ſedes attigi, in quibus eſt quoque *ſedes animarum in aethere et in aſtris*. Animas, e corporum contubernio diſceſſu facto, *ferri in caelum*, ſimpliciſſima eſt opinio; quam diuerſis tamen modis ea enuntiata ſit, et accepta, longum eſſet enumerare. Probe factum, voce *caeli* vti indefinite nec amplius inquirere. Deducti tamen ſunt homines ad exquirendum certum in caelo et definitum locum. Variauit, quod facile expectes, opinio iam in Oriente (cf. ſup. hoc Vol. VI. Epimetro III. p. 239. 240.) aſſumtis etiam rationibus aſtrologicis; vnde nonnulla ad Phryges, Thraces, Graecos, etiam in myſteria, migraſſe videntur: quo nos deducit inſcriptio a Müntero, viro Rev. nuper docte illuſtrata *f*), ex temporibus Alexandrinis aut ſerioribus aetatibus ſuperſtes: Orientis enim conſenſus et notiones eorum temporum et hominum aperte prodit. Anima enim in aſtrum ſublata eſſe dicitur, *Genio quoque comite*. Certo itaque

*f*) *Erklärung einer griechiſchen Inſchrift, welche auf die Samothraciſchen Myſterien Beziehung hat.* cf. *Gött. gel. Anzeigen* 1811. 108. Stück. p. 1073.

itaque loco animam inſiſtere, aſtris deſignatis, ad quae ea deducatur, voluit auctor inſcriptionis; non, ex vulgari, Platonico quoque, more, *caeli* voce vaga vti. Adiungendi ſunt ii, qui ſedem animarum in *via lactea* caeli conſtituerunt, vt apud Ciceronem in Somn. Scipionis c. 3. Non vero perueniunt modo animae ad lacteum orbem, ſed etiam inde mearunt, cum in corpora deſcenderent, quod cum Platonico conuenit, a caelo et a deo animas venire. Scipio quidem, oſtenſo lacteo orbe: *hinc profecti*, inquit, *huc reuertimur* g). Proſequitur aureum ſomnium Macrobius (I, 12.) commentario, vt deſcenſum hunc animarum et adſcenſum per duas caeli portas fieri doceat, per Cancri et Capricorni ſidera; luſu a vicibus tempeſtatum anni petito. cf. Notata ad Virgil. Ge. III, 261. et Excurſ. extr. Aen. VI. In priore loco, *Porta tonat caeli*, reſpectu orientis vel occidentis, omnino pro caelo. Miror Ovidii ingenium, qui *in via lactea deos ad palatium Iovis commeare* narrat, Metamorph. I, 169 ſq. ita tamen vt ea *via regia vtrinque domiciliis deorum cincta ſit*: ſcilicet ac ſi Romam ingreſſus per viam, quae ad Palatium Auguſti ducebat, incederes. At vulgari vſu *portae caeli* ſunt oriens et occidens; niſi quod in ſomniis diuinitus miſſis variat oratio mythica.

Animas *caelum adſcendere* vidimus; ſed et *deſcendere caelo* naſcentes. Sane de modo via et ratione variis ac diuerſis modis ſtatui potuit ac debuit pro imbecillitate mentis humanae, ſeu ſenſu

g) Nescio an hoc sensu accipiendum sit vetus illud dictum: *omnes animas ab Apolline et ad Apollinem.*

ſenſu ſeu doctrina et diſciplina philoſophica et chriſtiana, *ad deum redire, in caelum recipi et inter deos; ad deos redire, inter deos verſari*, ab illo inde Empedocleo ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός. Ita et *deum* aliquem *factum eſſe* in vſum venire potuit. Variis modis enuntiata haec videmus ab ipſis philoſophis, inprimis Platonicis et Stoicis. Vide iam poſt omnia haec Pindaricum illud (e Plutarchi Romulo extr. in Fragmentis Pindari p. 34. σῶμα μὲν πάντων ἕπεται θανάτῳ περισθενεῖ· ζῶν δὲ λείπεται αἰῶνος εἴδωλον· (vitae imago, h. e. viuentis quae fuit) τὸ γὰρ μόνον ἐστὶν ἐκ θεῶν. habes notionem vmbrae. cf. ea quae Plutarchus ad eos commentatur l. l. p. 35. 36. Et quam diuerſo ſenſu iterum illud Epicharmi: *animas* ἄνω ἀπελθεῖν; ab Euripide in nobili fragmento ex Chryſippo multis verſibus narratum; et ſic alia, modo ſymbolice modo gnomice redhibita. At alterum iſtud Pindaricum: Dioſcuros alternis *in caelo et in ſepulcro Therapnaeo viuere*, ad rudiorum hominum et temporum ſenſus eſt referendum.

## Vol. II.

Sequuntur commentationes ſeu Proluſiones XV. *de ciuitatum Graecarum per Graeciam Magnam et Siciliam inſtitutis et legibus.* Etiam in his fortuito euenit, vt non aemulum ſed comitem iucundum et facundum, vt ſenilis ſtudii ita et operae dilectusque argumentorum paritate memorabili, haberem virum praeclarum *de Sainte-Croix:* cuius ſunt diſerte et eleganter ſriptae commentationes:

*Memoires ſur la Legislation de la Grande-Grece.* (Vol. XLII. et XLV. *Memoires de l'Academie des Inſcriptions.*) Multa diſertius expoſuit, alia praetermiſit vel leuiter attigit. Nunc vero comperio Virum Ill. *de Paſtoret* meditari Expoſitionem legum hiſtoricam priſcarum aetatum: *Memoires ſur l'hiſtoire generale des Legislations* initio facto de Aegyptiis. Eorum enim, quae de rebus publicis et legibus Athenienſium, Lacedaemoniorum, Cretenſium, ab aliis ſcripta ſunt, memoratio ad haec, de quibus agimus, haud ſpectat.

In verbis ex prooemio legum Zaleuci apud Stobaeum ſcabritiem verborum p. 26. 27. notatam tollere allaborauit ſagacitas Iacobſii Animaduerſſ. in Euripidem p. 255. ſenſus verborum per ſe ſatis apertus eſt. Quod autem ad morem prooemia legibus praemittendi attinet, poteſt de eo non vno modo ſtatui, inprimis diuerſorum temporum reſpectu, quibus leges non docent, nec iubent, ſed imperant. Enimvero de antiquis ciuitatibus eſt cogitandum, in quibus populus leges ſciſcit, magiſtratus aut legumlator fert et ſuadet; reputandum porro eſt quaeri de legibus antiquiſſimorum temporum, quibus leges etiam mores hominum conſtituebant, vt plures eſſent leges ethicae; vt in Charondae et Zaleuci legibus et prooemiis manifeſtum fit. Ceterum legendus de his eſt Plato de Legibus IV. p. 198. inde a p. 188. vbi hoc inſtitutum probat, quoniam non modo iubendo et minando, ſed et perſuadendo ciues ad officia ſua adducendi ſunt, vt legi pareant. Vidimus nuper de prooemiis bene diſputantem I. L. G. *de*

*Geer*

*Geer*, praeſide V. C. *van Heusde*, in Diatribe *in Politices Platonicae principia*. Ultraj. 1810. p. 174.

Quod p. 60. 61. de *Locris* aliquando in luxuriem tanquam aeſtu abreptis memoraui, videtur firmari eo, quod Ariſtot. II, 22. 3. Rhet. (p. 441. To. II. ed. Aurel. Allobr.) affert ex Steſichoro, qui admonuit Locros, vt ſibi a contumelia caveant, *ne cicadae apud eos humi canant*, hoc eſt, ne ſibi exitium ex terrae vaſtatione arceſſant *h*). — Ad calamitates belli Annibalici, quas Locri experti ſunt (v. p. 59.) videndus eſt Polyb. I, 56. Lucem affundit Plinius H. N. XI, 27. p. 32. *Cicadae non naſcuntur in raritate arborum.* Raro igitur fit, nec niſi in ſolo arbuſtis ad quae euolare poſſint, carente, vt humi cicadae ſedentes canant. Erat autem inter Graecos frequentata illa immanitas in bello, vt ſata et arbores in ſolo hoſtili exſcinderent, ferro ignique vaſtarent. Nota ſunt *τέμνειν τὴν χώραν. τέμνειν καὶ καίειν. δενδροκοπεῖν.* Adſtruit quodammodo, altera ex parte deſtruit, illuſtrationem locus Strabonis VI, p. 399. B. (p. 260.): Etſi non niſi amne Alece diſterminante vtrumque agrum, tamen in Rhegino obmuteſcere, in Locrenſi canere cicadas: *τὸ δὲ αὐτῶν εἰκάζουσιν, ὅτι τοῖς μὲν παλίσκιόν ἐστι τὸ χωρίον, ὥστ' ἐνδρόσους ὄντας μὴ διαστέλλειν τοὺς ὑμένας* (conſtat enim cantum ſtridorem eſſe ex alarum membranacearum motu). *τοῖς δὲ ἡλιαζομένοις ξηροὺς καὶ κερατώδεις εἶναι, ὥστ' ἀπ' αὐτῶν εὐφυῶς ἐκπέμπεσθαι τὸν φθόγγον.* Ita vero contraria potius ratio adſtrueretur e iudicio Strabonis. Varie narrata res et in miraculum, vt ſolet, verſa, ac-



*h*) Ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν.

cedente etiam narratione de Eunomo lyra canente: v. Aelian. de Nat. Anim. V, 10. et loca a Schneidero allata; cum Beckmann. ad Antigoni Mirabil. c. 1. Fundus videtur fuiſſe Timaei narratio. Non inuenio recentiores Italos in horum locrorum deſcriptione quicquam ea de re memorare. Ceterum Steſichori dictum repetitum narratur a Dionyſio (qui Locrenſibus aliquando infeſtus fuiſſe videtur: v. diſputata Opuſc. Vol. II. p. 56. 57.) ap. Demetrium de elocutione S. 99. *μεγαλεῖον δέ τι ἐστὶ καὶ ἡ ἀλληγορία, καὶ μάλιστα ἐν ταῖς ἀπειλαῖς. οἷον, ὡς Διονύσιος· ὅτι οἱ τέττιγες αὐτοῖς ᾄσονται χαμόθεν.*

Ad res Locrorum ſpectat praeter narrata a me hoc quoque, quod cum Rheginis perpetuas diſſenſiones aluerunt; quamobrem etiam Athenienſium in expeditione aduerſus Siciliam ſocietatem haud admiſerunt: qua de re legenda ſunt in Thucyd. IV, 1-24. Add. V, 4. VI, 44. VIII, 91.

Ad p. 134. 135. de fatis nouiſſimis vrbis Sybaris et oraculo egit docte *Wernsdorf* ad Priſciani Periegeſin Excurſu XI. p. 586. Tom. V. p. 1. Poet. lat. minorum. Add. Euſtath. Tom. I. Iliad. p. 298. ex Pauſaniae Lexico rhetorico.

P. 140. *Thurios* coloniam conditam nouis copiis e Graecia affluentibus frequentatam eſſe traditum eſt; vnde autem eae aduenerint, ex Andocide diſcimus *i*), ſcilicet ſociis Athenienſium per duplicata ab Alcibiade tributa attritis, fractisque inde opibus

*i*) Andocides Or. in Alcibiadem p. 116. 117. *τοιγάρτοι διὰ ταῦτα πολλοὶ τὴν πατρίδα τὴν αὐτῶν ἀπολιπόντες, φυγάδες γίνονται, καὶ ἐς Θουρίους οἰκήσοντες* (l. *οἰκίσοντες*) *ἀπέρχονται.*

opibus Athenarum, vt fit, parte ſociorum per tributorum immodicam molem penates ſuos deſerente. — Ad p. 141. Olymp. CIX, 2. Thurii aduerſus Bruttios profecti vrbem tradunt Corinthiis, qui in Siciliam traiecturi erant, ad Timoleontem Syracuſas obtinentem: Plutarch. Timol. p. 243. 245. Thuriorum numos habemus; vt olim Sybaris; at circa haec tempora nomen Sybaris iterum reuixiſſe videtur in numis. v. ap. *Eckhel Doctor. num.* Vol. I. p. 161.

In iis quae ad Pythagoreorum calamitates ſpectant, p. 186 ſq. diſerti ſunt multi qui de ſchola Pythagorae tradidere; adde virum accurate doctum *Tiedemann Geſchichte der Wiſſenſchaften* Vol. I. p. 238. Maiore quoque rerum et doctrinae copia, quam a me factum eſt, Pythagorea inſeruit ſuo libro v. c. *de Sainte-Croix.*

Ab eo tempore, p. 188. 189. quo Achaei res ciuitatum Magnae Graeciae conſtituerunt, *Achaicorum inſtitutorum* magna fuit auctoritas *k*). Convenit cum eo, quod Polybius II, 39. Crotoniatas cum Sybaritis et Cauloniatis ad Achaeorum exemplum foedere facto communes conuentus habuiſſe narrat, ad *Iouis Homarii* aedem: ita enim nomen ſcribendum eſt; vt ad e. l. docuit vir de bonis litteris optime meritus *Schweighäuſer.*



*k*) Strabo VIII. p. 589. A. (p. 384.) post Heraclidarum descensum in Peloponnesum — εἶτα δημοκρατηθέντες, τουσοῦτον ηὐδοκίμησαν περὶ τὰς πολιτείας, ὥςτε τοὺς Ἰταλιώτας, μετὰ τὴν στάσιν τὴν πρὸς τοὺς Πυθαγορείους, τὰ πλεῖστα τῶν νομίμων μετενέγκασθαι παρὰ τούτων συνέβη. Hactenus fieri potuit, vt Pythagorei etiam antiquioribus adscriberent nonnulla ex suis placitis et doctrinis. Paria Polyb. l. c. II, 39.

Ad p. 221. et iam p. 148. ſenſum τῆς πολιτείας in Ariſtotele me recte conſtituiſſe arbitror; multo magis, comparatis pluribus locis a *Königsmanno*, docto viro, Rectore Lycei Flensburgenſis (v. *Gött. Gel. Anz.* 1806. p. 1456.) vt ſit ea resp. quae ex legum a toto populo probatarum ſcitis adminiſtratur, non ad vnius lubidinem et arbitrium, ſed ad publicam vtilitatem a magiſtratu, ſiue vnus ſiue plures ſiue totus populus ſit, apud quem ſit rerum ſumma. Conſentire vidi *Meiners Geſchichte der Wiſſenſchaften in Griechenland u. Rom* Vol. II. p. 45. cf. *Young Hiſtory of Athens* lib I. c. 5.

Ad Notam p. 222. de bello a Tarentinis cum Meſſapiis geſto addam vnum aliquid, quod ad artium hiſtorias pertinet: victis Peucetiis cum ſociis Iapygibus et Meſſapiis, Tarentini ex manubiis miſerunt Delphos ſigna facta ab Onata, qui poſt Olymp. LXXVII. vixit, et a Calyntho, (v. Pauſan. X. 13. p. 830.) et ab Agelada ibid. c. 10. p. 822.

Ad p. 235 ſqq. et 185. 211. 261. magnas moleſtias obiecit antiqua vrbs *Siris*, ad amnem Sirin ante Heracleam conditam, primo per ipſam ſcriptionem: fuit enim Σιρις, Σειρις, Σιρῖται, Σίρινοι, ſed et Σειρινος, Σερεινος, Σερενος, Σεριvος, (*Lanzi*, *Lingua Etruſca* Tom. I. p. 111. ſubſtituit δῆμος) apud Ariſtotelem VII, 10. Σύρτιν eſt vel Συρῖτιν vitioſe pro Σιρῖτιν; nam eſt Σιρῖτις vel Σειρῖτις (γῆ, χώρα). Sed Σεῖρις plerumque obtinet, etiam ap. Strabon. lib. VI. p. 264. vbi v. Siebenkees ed. Tom. II. p. 246. 247. poteſt quoque *Siris* appellata eſſe regio ipſa a fluuio apud Euſtath. ad Odyſſ. p. 1156. 62. ὅτι τοῖς τὴν Σίριν οἰκοῦσιν ἐπεχωρίασε τὸ φορεῖν ἀνθίνους χιτῶνας

οὓς

οὓς ἐζώννυντο οἱ ἐκεῖ μίτραις πολυτελέσι. διὸ καὶ ἐπεκαλοῦντο παρὰ τῶν περιοίκων μιτροχίτωνες, πρός τινα διαστολήν, ἐπεί, φησιν, Ὅμηρος τοὺς ἀζώστους ἀμιτροχίτωνας καλεῖ.

Conditum poſtea in locum Siris oppidum Πολίειον; nec confundendum eſt cum eo τὸ Πόλιον ad Simoentem, e quo migratum eſt in Aſtypalaeam: cf. Strabo XIII. p. 898. B. (p. 601.)

Ad p. 244. Ad expediendam quaeſtionem *de cauſſa Archiae poetae a Cicerone acta* viſum mihi erat ſtatum cauſſae ita conſtituere, vt tota res ſibi conſtaret, et perſpici poſſet. Gratidius Archiae controuerſiam de ciuitate mouerat ea ex ratione, quod nomen Archiae in tabulis ciuium ex lege adſcriptorum haud extaret, nec Romae nec Heracleae. Aduerſum haec Cicero docet, perperam tabulas requiri; (c. 5.) Appii enim tabulas negligenter ſeruatas eſſe, Gabinii autem tabulas corruptas, a Metello vero ſumma cum fide eſſe reſtitutas; his autem tabulis nullam lituram in nomen Archiae veniſſe. Altera ex parte tabulas Heracleenſes igni eſſe abſumtas in Italico bello Heracleenſium tabulario incenſo. Contra vero grauiſſimorum teſtium auctoritate euincit Cicero, et Heracleae ciuitati Archiam fuiſſe adſcriptum, et mox Romae apud praetorem Q. Metellum v. c. 266. quod lex iubebat, nomen eſſe profeſſum et pro ciue Romae vixiſſe *l*). Inter haec, cum a Cice-



*l*) Verba ſunt c. 4. *ciuitatem ab Heracliensibus impetrauit* (cui innitebatur alterum, vt etiam Romanam impetrare posset e lege Plotia). *Data est ciuitas* (Romana) *Silvani lege et Carbonis* (vulgo dicta Plotia

rone Heraclea *municipium* appelletur c. 12. quo nomine ius ciuitatis Romanae impertitum Heracleenſibus deſignatur, incidit dubitatio: ſi, Cicerone Coſ. Heraclea municipium fuit, Archias, iam ante Heracleae ciuitate ornatus, ciuitatis quoque Romanae particeps factus eſt, a. 691. Quomodo tandem controuerſia de eius ciuitate Romana moueri potuit? Iam cum altera ex parte conſtet ex Cicerone pro Balbo 8. et 22. non omnem Heracleam factam eſſe fundum legis Plotiae *m*): ſequi videtur, Archiam fuiſſe inter eos, qui beneficium ciuitatis Romanae tum repudiarent; vnde etiam ex legis praeſcripto ille profeſſus eſt nomen apud praetorem Q. Metellum; aut dicendum eſt, vocem *municipii* a Cicerone improprie eſſe vſurpatam; ſi quidem maior Heracleenſium pars retinuit ius antiquum, repudiato legis Plotiae beneficio; aut, quod magis conſentaneum eſt, Heracleam factam quidem eſſe municipium Romanum, accepto iure ciuitatis Romanae, Archiam autem fuiſſe inter eos, qui a ceteris diſſentirent, et foederatae ciuitatis iura retinere maluiſſe, mox tamen, mente mutata, ciuitatem Romanam praetuliſſe; niſi, quod tertio loco ſuſpicari licet, tota ciuitas Heracleenſium, cum diu foedus ſuum praetuliſſet, poſt haec fundus

Plotia a. 665.) *si qui foederatis ciuibus adscripti fuissent, si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi.*

*m*) Iulia lege *qua ciuitas est sociis et Latinis data, qui fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent: In quo magna contentio Heracliensium et Neapolitanorum, cum magna pars in iis ciuitatibus foederis sui libertatem ciuitati anteferret.*

fundus legis Iuliae et Plotiae facta eſt, eoque municipii locum et nomen eſt ſortita.

Itaque hoc tantum contendebam: Mazochii aſſertum de Heracleenſi municipio, quod eo loco appoſui, adhuc in dubitatione verſari. Aget tamen de his opera data *Hülſemann* v. c. doctiorum litterarum ſtudio et amore flagrans, in noua editione Orationis pro Archia, prouti id ſe facturum eſſe mihi ſignificauit.

P. 254 ſqq. ad vrbes Siciliae multa addi poſſent, etiam poſt aliorum obſeruata: in quibus eſt praeclari Viri *de Sainte-Croix* commentatio a. 1785. in Conſeſſu Academiae Inſcript. et B. L. habita, qua Conſpectus rerum Siciliae antiquae propoſitus eſt *n*).

Ad p. 260. notabo: Agrigentum, cum inter colonias Dorienſium numerandum ſit, optimatum quoque magiſtratu vti debuiſſe, etſi mox a tyrannis fuit vexatum, quae perpetua fuit calamitas ciuitatum magiſtratus ſuos ex optimatum ordine conſtituentium, (cf. inf. p. 274.) vt in tyrannides verterentur; etſi nullum genus reipublicae conſtituendae magis conuenire videri poſſit liberis hominibus, quam plurium bene inſtitutorum hominum prudentia regi. Erat aliquando rerum ſumma apud Senatum, mille virorum, qui e numero ſuo magiſtratus legebant, quandoquidem Empedocles, ciuis Agrigentinus, libertati ciuitatis ſtudens, et optimatum ſuperbiae infeſtus, illum ſuſtuliſſe narratur: τὸ τῶν χιλίων ἄθροισμα κατέλυσε συνεστὼς ἐπὶ

*n*) *Histoire de l'Acad. des I. et B. L.* Tom. XLVIII. p. 104. cf. G. Gel. Anz. 1810. p. 1427.

ἐπὶ ἔτη τρία o): non ergo niſi tres annos oligarchia durauit.

Paullo poſt p. 261. *Salapia* in Apulia memoratur; apud Vitruuium eſt *Salpia*, quam Elpias (male Elphias ſcribitur lib. I, 4. extr.) condiderat, Rhodius: eam vrbem, multis aegrotationibus laborantem ex loci ſitu, in alium ſalubrem traductam narrat Vitruuius. Ita facta eſt Arporum nauale. Nomen eius etiam in numis ſignatum eſt, v. *Eckhel numi veteres* p. 28. et *Doctr. num.* To. I. p. 142. 3.

Niſi mihi conſtitutum haberem, intra Graecorum colonias operam meam continere, euagandi libido eſſet in colonias alius generis, *Pelasgorum* ſcilicet, Oenotris, Chonibus, Auſonibus, inuitante maxime loco claſſico Ariſtotelis de Rep. VII, 10. e quo iam illuſtraui nonnulla ad Virgil. Aen. I. Exc. XXI. lib. VII. Exc. IV.

*Liparaei* inter colonias Dorienſes ſunt numerandi. De iis debebam adſcribere loca praecipua Pauſaniae X, 11. p. 824. et Thucyd. III, 88.

*Ionicae coloniae* ſunt nomine *Chalcidicarum* comprehenſae, p. 266. et ex *Aeolicis* praecipua, *Cumae* in Italia. De *Brunduſii* originibus (p. 275.) diuerſa narrantur, forte aliis alio tempore accedentibus colonis. Cretum fuiſſe coloniam vulgatior eſt narratio, iam Minois aetate eo delatam

o) Diog. Laert. VIII. s. 96. qui addit ὥςτε οὐ μόνον ἦν τῶν πλουσίων, ἀλλὰ καὶ τῶν τὰ δημοτικὰ Φρονούντων: Idque Timaeum hactenus innuere, quod ait eum ἐναντίαν τῇ πολιτείᾳ ἐσχηκέναι τὴν γνώμην Φαίνεσθαι.

tam *p*). Cretenſes omnino plura loca in Iapygia inſediſſe ferebantur inprimis Hyriam. Iisdem in locis

*p*) Strabo VI, extr. p. 432. (p. 282.) vnde Lucanus V, 406. *curui Minoia tecta Brundisii* sunt. Et II, 610. *Vrbs est Minois olim possessa colonis, Quos Creta profugos vexere per aequora puppes Cecropiae, victum mentitis Thesea velis.* Vt haec assequamur, credere licet, fuisse narrationem: naues Cretensium, quibus Theseus, Minoe inuito, abducta Ariadne, fugerat, Athenas rediturus, non ausas in Cretam redire, erroribus delatas esse in mari Ionio ad Japygiam. Alii scilicet narrauerant, Daedalum e Creta fugientem cum Cretensibus eo delatum esse, vt ap. Strabon. VI. p. 427. (279.) et al. Cf. ad Virgil. Aen. VII. Excursum VIII. p. 171. ed. 1803. Non vnam autem fuisse famam de Thesei profectione et reditu e Creta, e Plutarcho patet p. 6. F. Fuit inter alia Aristotelis narratio: Cretenses Delphos misisse primitias sobolis, easque fugisse in Italiam et mox inde in Thraciam, vbi sunt Bottiaei dicti. Nec recedit Strabo p. 432. vbi Hyria iisdem in locis Iapygiae dicitur *κτίσμα Κρητῶν πλανηθέντων ἐκ τοῦ Μίνω στόλου εἰς Σικελίαν — Βρεντήσιον δὲ ἐποικίσαι μὲν λέγονται Κρῆτες οἱ μετὰ Θησέως ἐπελθόντες.* Videntur haec, si cum Plutarcho compares, ex Aristotele esse hausta. Ceterum, si tam matura fuere nauigationis incunabula non modo, sed et incrementa, vt Sicilia et Italia extrema, iam Minois aetate, dudum ante bellum Troianum, nauibus adiretur, quomodo Homeri, aut Odysseae conditae, tempore tanta Siciliae et Italiae ignoratio esse potuit, vt is, qui tot fabulas de iis, tanquam terris incognitis, memoraret, auditoribus suis probabilia finxisse videri posset? Potuere quidem ipsae coloniae in illis locis tantam antiquitatem sibi affingere, etsi multo serioribus annis eo deductae a Cretensibus; fuere huius generis fabulae passim per tragicos commentis idoneis interpolatae. cf. quoque in Nouis Commentariis Soc. Sc. Gott. Vol. I. Comment. histor. p. 79. *de Castoris epochis.*

locis etiam Diomedis nomen et fama vrbium origines ſuppeditauerat; (cf. ad Virgil. Exc. I. ad Aen. XI.) potuere itaque etiam Aëtoli auctores Brunduſii habiti eſſe; fuere illi ab Apulis vrbe expulſi *q*). Similis alia fraus Phalanthi, Tarenti conditoris, qui Brunduſium ſe contulerat, ex ambiguitate oraculi de cinere, narratur apud Iuſtin. III, 4, 12. Brunduſii portum ſerius poſt Tarentinum celebritatem nactum eſſe, obſeruat Polybius fragm. lib. X, 1. To. III. Schweigh. p. 187.

Ad p. 287. in haec primordia et initia prudentiae ciuilis commentatus eſt poſt haec ſcripta, *Herder* (*Ideen* III. Theil *zur philoſ. Geſchichte* V. Th. p. 177. 194.)

Ad p. 319. 320. vbi de *Digeſto Infortiato* vocisque etymo probabili egi, hoc addam, quod a *Io. Boſchaeo* in Δικαιολογίᾳ p. 5. appellationem, ſeriorum forte, ex eo petitam vidi, quod principium

*q*) Iustin. XII, 2. narratio eius est impedita et obscura: Alexander rex Molossorum Epiri cum in ea loca venisset *primum illi bellum cum Apulis fuit. — erat namque tum temporis vrbs Apulis Brundisium, quam Aetoli sequuti Diomeden condiderant, sed, pulsi ab Apulis, consulentes oracula, responsum acceperant, locum, quem repetissent, perpetuo possessuros. Hac igitur de caussa per legatos, cum belli comminatione, restitui sibi ab Apulis vrbem postulauerant; sed, vbi Apulis oraculum innotuerat, interfectos legatos in vrbe sepelierunt perpetuam ibi sedem habituros; atque ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. Quod factum cum rescivisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Apulorum abstinuit.* Putandi sunt legati oraculum apud Apulos recitasse Aetolorum nomine; tumque Apulos in legatos responsi euentum vertisse.

cipium eius eſt: *de Matrimonio et dote*, h. e. περὶ τῶν Φορτίων, cum is tractatus potiſſimum Φορτία ac panes lucrari doceat. Voluitne Φέρνην innuere?

Ad diſputationem *de Arcadibus luna antiquioribus* No. XVIII. p. 322-352. Forte ea de re ſimpliciore ratione diſputari poterat, ſi aiebam: Apollonium IV, 259 ſq. declarare voluiſſe ſummam antiquitatem, in qua iam a Thebarum Aegypti ſacerdotibus ad poſteritatis memoriam proditum fuerat, eſſe ex Aegypto expeditionem factam in Colchidem, et extare ex hac aetate tabulas aereas, in quibus ſculpta fuerint ea, quae mox de Iſtro memorat: γραπτῦς appellat, laminas, aut columellas, ſi mauis. Iam iſtam antiquiſſimam memoriam declarat poeta hoc modo, vt eam vltra Danai in Peloponneſum aduentum aſſurgere dicat, quo tempore, nulli alii incolae fuere quam Arcades, necdum Hellenes Peloponneſum ingreſſi erant, quae a Pelasgis incolebatur; in quibus erant Arcades, qui narrantur in montibus ſuis glandibus veſci ſoliti eſſe *ante Lunam:* hoc mythice dictum eſſe iam per ſe patet, re in miraculum aucta aut ficta, forte loquendi more aliquo Aegyptiorum tempora antiqua ante Iſidem ſic memorantium. Si tamen hoc praeferas, vt Graeca loquendi forma ſit, mythica quoque Graecae antiquitatis indoles, per luſus, ſequenda erit: Iſis Io et Luna nonnullis ex antiquis pro eadem fuere habitae, etſi non vno modo (v. Obſſ. ad Apollod. II, 1, 3. p. 100. extr.) Ante Io, Inachi filiam, eandem cum Luna habitam, hoc eſt

ante

ante Argiuos, iam fuere Arcades. Hoc deinde in narrationem mythicam abiiſſe videri debet.

Verum video curriculi mei, quod per Commentationes meas inſtitueram, decurſum eſſe in anguſtius ſpatium contrahendum in ceteris voluminibus. Sufficient itaque, pro ſpecimine reliquorum, haec pauca:

*Volumine tertio* ea, quae ad *vitam antiquiſſimorum Graecorum* ſpectant, facile quidem eſſent continuanda et augenda: ad conſilium tamen meum ſatius erat in his acquieſcere. — Ad p. 39. De *foederibus inter Romanos et Carthaginienſes de nauigatione et mercatura factis* egit quoque vir optimus *L. B. de Sainte-Croix* Vol. XLVI. *Hiſt. et Memoires de l'Academie des Inſcriptions et B. L.* p. 1-13. Mirum in modum laetatus ſum, vtrumque noſtrum ignaros in idem litterarii ſtudii et argumenti genus, dilectu pari, incidiſſe; quod vero multo magis ingenii, animi, morumque integritatem parem vtriusque arguit, hoc eſto, quod, cum ſuo vterque iudicio frueremur, non tamen diſſenſus aut vlla moleſtia ſeſe animis inſinuauit. Mihi vtique ſuperſtiti memoria viri praeſtantiſſimi, quamdiu vixero, erit ſancta et cara.

De *Promontorio Pulchro*, ſitne ab oriente Carthaginis an ab occidente quaerendum, (p. 48. 49.) quaeſtio, quantum intelligo, iudicandi potius ſagacitate conſtitui poteſt quam critica interpretationis verborum ſubtilitate, quibus res expediri nequit, cum ipſe locorum obtutus deficiat. Non itaque habebo quod refragér acuto viri laudati iudicio, prolato p. 68. Vol. XLV. eſſe promontorium

torium pulchrum nullum aliud quam *Porto ſarino* noſtrae aetatis. Ceterum dubitare licet de conditionibus foederum ſcriptis, ſpectarintne potius ad fines praedationum quam ad mercatus ius et legem.

Sagaciter quoque Königmann, vir doctus, Lycei Flensburgenſis Rector, de Ariſtotelis Geographia p 118. animaduertit, ad *alterum foedus* v. c. p. 406. (de quo agitur in Proluſ. IV. p. 56.), reſpicere Ariſtotelem, cum, *hodie quidem*, ait, *inter Tyrrhenos et Carthaginienſes conuenta de rebus importandis deque non inferenda iniuria pactiones, ſtipulationes item de ſocietate bellica, intercedunt.* Tyrrhenis enim Romanos accenſos eſſe a Graecis aliquando, aliunde quoque patet. Locus eſt de Rep. III, 9. vbi de iurium diuerſitate agit in inaequalitate hominum, vnde neceſſe viſum pactiones et foedera inire: *καὶ γὰρ ἂν Τυῤῥηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι, καὶ πάντες, οἷς ἐστι σύμβολα πρὸς ἀλλήλους, ὡς μιᾶς ἂν πόλεως πολῖται ἦσαν· εἰσὶ γοῦν αὐτοῖς συνθῆκαι περὶ τῶν εἰσαγωγίμων, καὶ σύμβολα περὶ τοῦ μὴ ἀδικεῖν καὶ γραφαὶ περὶ συμμαχίας.*

In *republica Achaeorum* moleſtiam facit conſtitutio non foederis, ſed adminiſtrationis. (p. 168. 169) Occurrunt *σύνοδος*, *βουλή*, *σύγκλητος*, *ἀγορά*, *ἀποτέλειοι*, magiſtratus ſingularum vrbium miſſi ad conuentum (cf. Svidas et Toup. Tom. I. p. 19.): poſſunt ea nunc conſtitui ex Lexico Polybiano Schweighäuſ. v. c.

In Proluſione, *cur virgis caeſi fuerint Romano more, qui mox ſecuri percutiendi erant* p. 184 ſq. duo

duo ſunt, de quibus quaerebatur: cur mortis ſupplicio praemiſſa corporis foedatio, ἡ αἰκία; alterum, quatenus id factum dici potuit apud Romanos *patrio more.* Quod ad prius attinet, apparet ex barbarie et immanitate antiquiorum populorum id eſſe ductum, qua virgis vel fuſtibus ad mortem caedi mos erat. Cum vlciſcendae iniuriae impotens libido et irae explendae cupido immanis ſerius per leges et iudicia mitigaretur: ea tandem ſeruorum poena habita eſt et corpore libero ac ciue Romano indigna; Cumque primitus virgis ad mortem caedere ſceleſtos, mos vulgaris eſſet: poſthaec placuit finem ſupplicio facere ſecuri damnatum percutiendo. Manſit virgarum et fuſtium vſus, vt ad mortem fuſtibus caederentur qui ſigna reliquiſſent. Durauit etiam ſupplicium in perduellibus, atque hic eſt *mos patrius, mos maiorum*, qui memoratur Neronem perterrefeciſſe ap. Sveton, in cap. 49. vbi is comperit ſe hoſtem a ſenatu iudicatum (h. e. perduellem), et quaeri, vt *puniatur more maiorum*, interrogaueratque, quale id poenae genus eſſet, audiit, *nudi hominis ceruicem inſeri furcae, corpus virgis ad mortem caedi.* Mitigatum tamen et hoc ſupplicium, vt probabile ſit reſpectu legis Porciae, in Lentulo praetore eiusque ſociis, qui gula laqueo fracta mulcati ſunt c. 51. nec verberibus primum caeſi: fuitque ea poena extraordinaria, vt tamen loquendi formula maneret. Quod autem Caeſar apud Salluſt. Cat. 47. *maiores* ait *Graeciae morem imitatos verberibus animaduertiſſe in ciues, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumſiſſe*, vix aliter accipi poteſt, quam de ciuitatibus

tibus Graecis in Italia et Sicilia *r*); nam virgis caedi nec Athenienſibus nec Spartanis aut alii ciuitati vſu habitum fuiſſe mihi quidem conſtat. Manſit virgarum et flagellorum poena in ſeruis et peregrinis per Triumuiros rerum capitalium; vnde *flagra triumuiralia* apud Horatium; etiam in prouinciis; cf. *Fabri ſemeſtria* lib. II. c. 6. p. 134. ſ. in quo ea quae ad antiquiorem morem ſpectarent, fruſtra quaeſiui.

In diſputatione *de oſtentis et prodigiis Romanorum ex hiſtoria naturali interpretandis*, Proluſ. XII. et XV. p. 198. et 255. Vol. III. etſi multa ab eo inde tempore acceſſerint ab aliis aut a me notata, nolo tamen quicquam adiicere, niſi quod de Etruſcorum aruſpicina praeter Ciceronem libris de diuinatione, Plinium et Senecam, extitit Nigidii Figuli vana opera, qua Tagetis *βροντοσκοπίαν* ante oculos habuiſſe creditur; Fragmenta Nigidii partim ex

Gg 2 Io.

*r*) Non autem, quod Polybius I, 7. de Rheginis memorat (V. C. 483.), ad morem Graecorum reuocari potest; sunt enim ciues Romani, auxilio et praesidio vrbis missi, qui vrbem per scelus et perfidiam occupauerant: plus quam trecenti capti Romam missi: quos *οἱ στρατηγοὶ προαγαγόντες εἰς τὴν ἀγορὰν. καὶ μαστιγώσαντες, ἅπαντας κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἐπελέκισαν*, scilicet vt *perduelles*. Vsurpatum idem supplicium etiam in Socios perduelles, vt in Accone, Senonum principe, auctore coniurationis Senonum et Carnutum, de quo Caesar, *grauiore sententia pronuntiata, more maiorum supplicium sumsit:* de B. G. VI, 44. et de Gutruato in simili caussa: *Cogitur in eius supplicium Caesar, contra naturam suam, maximo militum concursu, — adeo, vt verberibus exanimatum corpus securi feriretur.*

Io. Laurentio Lydo verſa, partim aliunde congeſta edidit Rutgerſ. Var. Lect. III, 16.

De *lapidibus meteoris* (p. 212.) recenti memoria haeret quam multa ſcripta ſint noſtra aetate, inprimis a v. c. *Chladni in Gilberts Annalen der Phyſik* XV, p. 310. et a generoſo viro Sodale Societatis Reg. Scient. Gotting. *L. B. de Dalberg über Meteorcultus der Alten* p. 48 ſq.

Sunt alia, quae facile ad coniectationem artis vel fraudis nos auocent, quae quoque viris doctis in animum venere. Equidem p. 256. 257. iam innueram, in religione Iouis Elicii et Numae an forte haec ad elementarem aliquam notitiam de fulminum ἀπαγωγῇ referenda ſint? et de flammis repente in ara exardeſcentibus, an naphthae doloſa ope id effectum fuerit? De *prodigiis montis et lacus Albani* ex eruptione ſubterranearum aquarum, praeter alios v. *Pini Viaggio geologico, in Memorie della Società Italiana* To. IX. p. 167. — De multis prodigiis eorumque rationibus et cauſſis diſputationem facilem expeditu fore haud dubito, ſi naturas locorum, e quibus nuntiata ſunt, melius teneremus; vt *Campos lapideos*, in Prouincia Galliae, Herculis praelio nobiles, ex antiquo fluminis alueo ſerius aquis deſtituto ſupereſſe, res nunc nota habetur; aut de inſula Gyaro, quae, incolis fugatis, a murium multitudine in ſolitudinem verſa eſt; aut de muribus in Troade, qui Apollini Smintheo cognomen pepererunt. Ita, quod in vitiis aedium habendum fuit, in omnibus cubiculis apparuiſſe ſerpentes (Cicero de Offic. III, 13.) inprimisque ea, quae de ſerpentibus repente conſpectis

ſpectis et de multis aliis inter monſtra et omina ſiniſtra habitis leguntur. Maxime hoc animo tenendum videtur eſſe, quoties de Etruſcorum ſuperſtitionibus agitur; valde enim probabile fit, multa eos ex natura caeli ſolique, patrii potiſſimum, vſu obſeruata habuiſſe, quae vtinam ſubtilius exploraſſent et enotata poſteritati reliquiſſent: (cf. Lanzi *Saggio della Lingua Etruſca* To. II. p. 571.) Extiſpicium facile potuit a certa obſeruatione ductum eſſe vitiorum in viſceribus animantium ex caeli ſolique et aquarum inſalubri natura vel peſtilentia naſcentium, et facile ex victimarum inſpectis iecinoribus cognoſcendorum: quod Vitruuius non male monuit I, 4, 9. Vnde etiam more habitum putes, vt immolarentur aliae, ſi primum adductae eſſent vitioſae, vt tanto melius de malignitate ſoli, ex pabuli vitio, conſtaret.

Proluſio XVI. de *foèderibus aduerſus Romanos* male ad effectum adductis, dum foederati ſuas quisque vtilitates, non communes et publicas, ſequerentur, nec ſatis mature et tempeſtiue, nec viribus collectis validis, ad prudentiam ciuilem ſpectat. Attigi inter haec aliquid, quod diſertius enarrare debebam p. 286. Philippus rex Macedoniae bene perſpexerat, Romanorum et Carthaginienſium bella et victorias non minus ſibi curae eſſe debere, quam Italiae, quandoquidem verendum erat, vt victor populus ſuis ſe finibus contineret, nec mari traiecto obiectas terras adoriretur; Enimvero male ille ſibi conſuluit in hoc, quod incertis primum conſiliis haeſit et tempus iuſtum agendi praetermiſit; tum aſtute belli exitum ſpe-

 culatus

culatus ad victoris partes tranſiit, cum antea Poenorum partes paullo cupidius fouiſſet. Praeclare autem Polybius animaduertit, annum V. C. 536. Olymp. 140, 3. vnum omnium maxime fuiſſe memorabilem, quippe quo principium rerum maximarum, et fomes excanduit incendii, quod inde per Graeciam proxima quaeque corripiendo ipſam tandem Aſiam vaſtauit; haec fuere infauſta initia connubii Orientis cum Occidente. Quis mortalium tum praeuiderat, iſtam Philippi cunctationem tam peſtiferam et exitioſam toti terrarum orbi fore? iunctis enim Italiae, Siciliae, Carthaginis armis, ſi Philippus ſe adiunxiſſet, quis dubitet Romanorum cupiditatem et auaritiam confeſtim opprimi potuiſſe! Saltem reiectus Romanus ſe intra Italiae fines continuiſſet, nec, ex quauis victoria, noua bellandi cauſſa nata, mari Ionio ſemel traiecto, omnem Graeciam, Aſiam et Africam viris opibusque exhauſiſſet, quibus tandem ipſe ad vires ſuas frangendas vſus eſt. v. Polyb. V, 104. 105.

XVII. p. 291. quae de *Demogorgone* diſputaui; nunc, cum in religiones populorum Aſiae diligentius inquiſiui, non tantam mirationem mihi faciunt, quam tum, cum iſta ſcriberem. Satis enim perſpicuum fit, eſſe *Demogorgonem* ex confuſis orientis et ſerioris Platonicae philoſophiae, quam vocant, natum, et ipſum forte nomen ex Demiurgo refictum, tanquam Aeonem aliquem, forte per Magicas, aut Gnoſticas, ſuperſtitiones in ſaeculis labentibus propagatum. Conf. ea, quae *in religionibus miſcellis* diſputata ſunt in Epimetro III. v. c. p. 241 ſq. — In *Boccatii* libro *de Genealogia deorum* nomina

nomina ſcriptorum paſſim occurrere ficta et commentitia, vnde fabulae fluxere quas antiquitas ignorat, nunc ſatis mihi conſtat. Eſt in his *Theodontius*, cum aliis, ex *Paulli Peruſini*, Saeculi XIV. hominis, *Collectionum* libro adoptatus: p. 303. (Ex hoc libro fragmentum eſſe ſeruatum in lacinia codicis Erfurtenſis ſagaciter odoratus erat vir doctiſſ. *Wernsdorff*, quod excuſum eſt in *Annalibus litterariis Helmſtadienſ.* Vol. I. 1789. p. 477. M. Iunio.) Vix credi poteſt, quantopere mythologia antiquitatis Graecae et Romanae corrupta fuerit per fraudem et ſtuporem hominum, cum quibus Boccatius vixit, quosque auctores habuit; an Barlaamus, monachus Graecus, quo et Leontio magiſtris vſus erat Boccatius, alia commenta adiecerit, haud dixerim. De ſcriptoris *Theodontii* nomine ficto conſentiunt *Apoſtolo Zeno Diſſertazioni Voſſiane* To. I. p. 12. 13. (*Giuſeppe*) *Allegranza Opuſcoli eruditi, publicati da R. P. Iſidoro Bianchi* (Cremona 1781.) p. 206. 210. *Tiraboſchi Storia della Litteratura Italiana* To. V. p. 366 ſq.

Ab his commentis mythologicis inter primos ſeſe liberauit, ſaltem ex parte, *Natalis* Comes in *Mythologiarum libris decem*, etſi multis erroribus et commentis, interpretationis quoque allegoricae ſtudio abreptus; tum oſtentatione doctrinae commentitia notandus, qua et fraudem ſaepe facit legenti, dum ſcriptores antiquiores laudat tanquam a ſe lectos et inſpectos, quorum nihil niſi nomina in grammaticorum veterum ſcholiis ante oculos habuerat.

Animus erat, haec monita, auctaria et retractata, per volumina *quartum* et *quintum* continuare. Sunt enim in iis quoque, quae ſubtiliorem curam et limam deſiderare ſentio; chartae tamen operaeque eſt parcendum. Attingam ſaltem vnum et alterum.

Ad *Volumen quartum* p. 77. monendum eſſe video, luxata eſſe in ora extrema per operas verba, quae hunc in modum refingenda ſunt: "nam non niſi a Dracone ea conſtituta eſſe videntur."

P. 128. *de mancipiis, vnde in Graeciam et Romam aduecta fuerint:* oblitus eram monere, ipſos quoque Scythas, quos Herodotus memorat, Scolotas dictos, ſeruitia habuiſſe; adeo ii, qui vel maxime libertatem iactant, ſibi ſolis eam vindicare ſolent; idque ex narratione patet, de reditu Scytharum ex Aſia, ſeruis coniuges ſuas nuptas deprehentium. Locus Strabonis XI. p. 755. A. memoratus conferendus. Infames mancipiis inter merces apportandis et exſecandis fuere Lydi. Iam antiquitus Aegyptios non modo ſeruos indigenas, ſed et venalitios habuiſſe, exemplo Ioſephi a fratribus venditi conſtat.

Ad *Imagines Philoſtrati* illuſtratas *Vol. V.* etſi larga copia ad manum ſit apparatus literarii, antiquarii et mythici, temperandum tamen mihi pro conſilio libelli eſſe duxi. Exiſtet forte aliquis, qui Philoſtrateas imagines noua editione exornet, non tam critica opera, quam obſeruatis ad artis argutias in argumentis exprimendis ſpectantibus.

Ad *inſtitutorum academiae noſtrae hiſtoriam* praetermittenda non ſunt, quae de Muſeolo noſtro tabu-

tabularum pictarum ex *legati Zſchorniani* copiolis p. 6. ſunt narrata *s*).

In tabulae, quae *Bosporus* inſcripta eſt, argumento p. 48. agnoſcas forte veſtigia imitationis amoris Herus et Leandri; quod nunc video *Gyllium* iam coniectaſſe de *Bosporo Thracico* p. 324. col. 2. Eundem vide de templo Neptuni III, 5. ad p. 49. (*n*) et ad notam (*o*) p. 50. Debebam quoque loco primo laudare Tacitum Ann. XII, 63. cum Dionyſio Byzant. p. 21.

P. 94. in nota (*g*) locus, qui me tum fugerat, de membrorum attenuatione ex curſu, eſt apud Xenophontem Sympoſ. II, 17. δολιχόδρομοι τὰ σκέλη μὲν παχύνονται, τοὺς δὲ ὤμους λεπτύνονται. paullo diuerſimode quam memoria tum ſuggerebat.

Ad *Philoſtrati iun. Imagines* p. 162. vbi de codd. agebam, adſcribam codices Vaticanos Francis petentibus traditos p. 45, 133. p. 47. p. 82, 312.

Ceterum in *Volumine quinto* ad calcem Proluſionum appoſui *duas Commentationes* p. 338 ſq et 392 ſq. in quibus me arbitror pretium operae feciſſe. Altera eſt *antiquior artium inter Graecos hiſtoria, ad tempora ſua probabiliter reuocata.* Altera; *Veſtigia et memoriae artium et literarum in Italia antiqua per tempora ſua deſcriptae.* Quod enim ſaepe deſideraueram, iam olim (a. 1771.) in Winckelmanni *hiſtoria artium antiquarum*, cum turbari viderem haud raro in temporibus rerum conſtituendis, maxime in artificum aetatibus annis ſuis

 aſſignan-

*s*) Nonnulla de eo notata videnda sunt in *Annalen der Chur-Braunschweig-Lüneburgischen Lande.* 1789. Dritter Jahrgang. Zweytes Stück. p. 324.

aſſignandis, paullo curatius ea ad certa tempora reuocare conſtitueram. Prodiere ſane interea virorum doctorum commentationes de *pictura veterum*, argumento difficili et impedito, inprimis Hirtii doctae antiquitatis peritiſſimi cognitoris, commentationes quinque *t*). Doctiſſimum artis antiquae et recentioris interpretem *Fiorillo* noſtrum eximia cum laude ſi memoro, intelligentiſſimum quemque artium arbitrum ſuffragantem habeo. Eo ipſo tempore, quo haec a me ſcripta prelo tradita ſunt, *Böttigeri* inter principes eruditionis antiquariae memorandi liber praeclarus *archaeologiam picturae* illuſtrauit. At mihi, vt dixi, hoc propoſitum erat, vt tempora artium, operum et artificum, diligentius inueſtigarem et notarem, ſummam tamen rerum tantummodo adiungerem locis ſcriptorum appoſitis vel laudatis, quandoquidem Pauſanias, Plutarchus et alii in annis aſſignandis tum parum diligenter verſantur, Plinius autem, quia ex pluribus ac diuerſis auctoribus ſua contexuit, variat ſaepe annos et miſcet, aut apponit epochas, parum exploratis de cauſſis, nec critices, nec induſtriae ope vſus; multa ex fama incerta, vulgi ſermonibus, aut in pergulis artificum vulgo narrari ſolita inſerit. Mea igitur opera ſeueriore aliis, qui de his magis explicite ſcripturi eſſent, otium facere decreueram: ita vt iis, quae ad liquidum deducta ſunt, pro clauis eſſent in tabula

bula

*t*) In *Memoires de l'Academie Royale des Sciences et B. L. Berolin.* Volumine 1803. Sunt in iis ea quoque, quae in aliis desideraueram, de arte et eius tractatione ac progressu apposita.

bula fixis, aut pro manſionibus, quae ſpatia decurſus, et per haec interuallorum menſuram, monſtrarent.

Dum ea, quae ad antiquiora notaueram, iterum perluſtrabam, incidere neceſſe erat in tempora Cyri, in quibus prima artium Graecarum opera in Gallias fuere importata, nimirum a Phocaeenſibus in Maſſiliam a ſe conditam; quippe qui Olymp. LIX, 3. ante C. N. 542. Phocaea Aſiae ab Harpalo capta ſecum exportarunt etiam *τὰ ἀγάλματα τῶν ἱερῶν καὶ τὰ ἄλλα ἀναθήματα, χωρὶς ὅτι χαλκὸς ἢ λίθος ἢ γραφὴ ἦν.* apud Herodotum I, 164. Miror viros doctos ad haec non offendiſſe; quae enim erant illa deorum ſigna, ſi excepta ſunt ſigna ex aere et lapide, cum picturis? Credas *χωρὶς ὅ, τι*, quod alias ſcribitur *χωρὶς ἢ*, eſſe inſititia; vt iis extritis dictum ſit: fuiſſe absportata ſigna quaeuis, ſiue ex aere ſiue ex marmore, picturaeue. Niſi narrata ad *ἀναθήματα* ſola ſpectare dicere malueris; abſportata ſcilicet ſunt *ἀναθήματα*, donaria, (v. c. vaſa, tripodes, menſae, ex auro et argento), relictis ſtatuis ex aere et marmore factis; picturas autem licet ſuſpicari fuiſſe relictas, quia in parietibus erant: niſi forte metuendum erat tabulis magnis et amplis, ne in nauigiis tutus et commodus locus deeſſet, nec interirent aut vitiarentur. Nec oblitos eſſe Maſſilienſes artes patrias, colligas ex eo, quod donarium miſerant Delphos ſignum in templo Mineruae *Προναίας* vel *Προνοίας* (de qua nuper a viro docto actum eſt) ap. Pauſan. X, p 816. 817. porro Apollinem ex manubiis de Carthaginienſibus bello ſuperatis ibid. c. 18. p. 841.

Ad p. 369. 370. vbi *de Onata*, omnino mihi de Aegineticis operibus eſt monendum, vel aeris Aeginetici vel artis certum criterium fuiſſe. Ita apud Ambryſſenſes in Phocide in templo Dianae Dictynnaeae fuit ſtatua deae (ap. Pauſan. X, 36. p. 890. 891. (τῷ δὲ ἀγάλματι ἐργασία τέ ἐστιν Αἰγιναῖα) arte Aeginaea ſeu Aeginetica facta: nec tamen ex aere, ſed quod miror, e nigro lapide. Probabile fit omnino, vt ſcholarum, ita et locorum, fuiſſe certos characteres operum; ſic et *Attici operis* ſigna animaduerti, ap. Pauſan. X, 37. p 894. extr. in templo Cirrhae euerſae ſigna praegrandia ἐργασίας Ἀττικῆς memorantur.

Ad p. 374. vbi de *Calamide* ſtatuario egi, licet eius diſcipulum addere e Pauſan. X, 19. p. 842. 843. *Praxiam*, qui in faſtigio templi Delphici plurium ſignorum, quae ibi enarrantur, ora (τὰ πρόσωπα) elaborauit, notabili exemplo; reliqua ornamenta faſtigii, eo mortuo, elaborauit *Androſthenes* Athenienſis, *Eucadmi* diſcipulus.

P. 376. memoratur *Aglaophon*, pater *Polygnoti* et *Ariſtophontis*, pictorum. Huius *Ariſtophontis* opera fuere Nemea ſedens complexu Alcibiadem tenens, quam ſpectarunt Athenienſes non offenſi: ap. Plutarch. Alcib. p. 199. B. cf. Athenaeus XII, 9. p. 534. D. E. et Philoctetes, quem etſi ex dolore frementem tamen cum voluptate adſpiciebant, apud eund. de aud. poet. p. 18. c. — *Leocharis* p. 379. ſigna nobilia fuere venatio Alexandri cum leone *u*), et

*u*) Ap. Plutarch. in Alex. p. 688. E. τοῦτο τὸ κυνήγιον Κρατερὸς εἰς Δελφοὺς ἀνέθηκεν εἰκόνας χαλκᾶς ποιησάμε-

et Iſocratis ſtatua, ex aere, a Timotheo Cononis f. poſita cum epigraphe *x*).

Ad p. 380. extr. inſerenda ſunt haec: ſub finem belli Peloponneſiaci poſt Olymp. XCIII. vixere *Theocosmus* Megarenſis, *Antiphanes* Argiuus, *Pauſon* Calaurea Troezeniorum, *Athenodorus* et *Damias* Arcades: eorum opera erant inter donaria Delphis: Pauſan. X, 9. p. 819. In iisdem fuerunt opera *Tiſandri* ſtatuarii p 820. et *Alypi* Sicyonii, qui vna cum *Patrocle* et *Canacho* (de quibus v. nos Vol. V. p. 377. 379. *y*) ſtatuas eorum, qui res ad Aegospotamon ſtrenue geſſerant, fecerunt.

Ad p. 382. *Praxitelis filii* fuere *Timarchus* et *Cephiſſodotus*: fecerant imagines e ligno (εἰκόνες ξύλινοι) Lycurgi oratoris, eiusque filiorum, Abronis, Lycurgi et Lycophronis: apud Plutarchum *z*). *Demoſthenis* ſtatuam fecerat, Plutarcho eodem libello de X. Oratorib. tradente p. 847. A. *Polyeuctus*: de quo aliunde nil conſtabat.

P. 384.

σάμενος τοῦ λέοντος καὶ τῶν κυνῶν, καὶ τοῦ βασιλέως τῷ λέοντι συνεστῶτος, καὶ αὐτοῦ (Crateri) προσβοηθοῦντος· ὧν τὰ μὲν Λύσιππος ἔπλασε, τὰ δὲ Λεωχάρης.

x) Τιμόθεος Φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν Ἰσοκράτους εἰκῶ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς. Λεωχάρους ἔργον. Plutarch. de decem Orator. IV. p. 838. D.

y) *Canachi*, cuius nomen in Indice Vol. V. excidit, de quo tamen p. 377. egeram. Sunt multa praeclara opera iam a Iunio memorata.

z) Eod. de X. Orator. VII. p. 842. E. vbi eiusdem Lycurgi maiores, qui sacerdotio Neptuni functi erant, ab Ismenia Chalcidensi in tabula picti prostabant in templo Erechthei consecrata ab Abrone Lycurgi filio, qui pictus erat porrigens fratri Lycophroni tridentem, vt innueret, se ei sacerdotium permisisse.

P. 384. *Nicomachum* Ariſtodemi filium commemoraueram; Niciae patrem; de quo alia in Indice ſunt adiecta. Adde nunc et hoc: de eo videndum eſſe v. c. *Emericum Dauid* Recherches p. 353.

P. 386. eſt *Sthenis* ſtatuarius, cuius opus elegans, ſtatua Autolyci conditoris Sinopes ad Pontum Euxinum, nobilitatum eſt prodigio ap. Plutarch. in Lucullo p. 506. F. Huic noctu ante vrbem captam in bello Mithridatico, per ſomnum viſum ſe obtulerat herois appellantis eum vt ſecum congrederetur; quod quo pertineret non aſſequebatur Lucullus; at altero die vrbe iam capta videt in littus proiectam ſtatuam Autolyci, in qua auehenda occupati erant hoſtes, ii que ea relicta aufugerunt. Fuerat autem Autolycus inter comites Herculis aduerſus Amazones profecti. Alii Argonautis eum aſſignarunt apud Strabonem, qui et vrbis expugnatae et Autolyci herois mentionem facit lib. XII. p. 821. (p. 545.)

P. 387. *Silanionis* ſtatuarii Iocaſtam memoratam video a Plutarcho de Aud. poet. p. 18. C. et Theſeum ap. eund. in Theſeo p. 2. C. vbi Silanion et Parrhaſius εἰκόνων γραφεῖς καὶ πλάσται. Hactenus notata ad artes Graeciae ſpectarunt; quae ſequuntur, opera Italicae, inprimis Romanae, artis, eorumque notitias reſpicient.

Ad. p. 426. Statuas Romae iam ſub regibus eſt poſt eos exactos Cloeliae et aliorum memoratas (Plin. XXXIV, 5. ſ. n.) multo ſeriorum aetatum fuiſſe, quam quibus vixerunt, me cenſere, iam olim profeſſus ſum: id quod, temporum rerumque comparatione facta, ſenſus ſuus prudentiorem lectorem facile

facile docet. Vulgus, atque ipſi rerum Romanarum ſcriptores, crediderunt tabulas rerum domeſticarum et hominum clarorum pictas, et ſtatuas ſculptas, eſſe eadem aetate qua illi vixere. In tanta rerum ignoratione et imperitia mirabimur ne, eos de praeclaris tabulis ſub ipſa vrbis conditae tempora memorare? quibus, ſi Graecorum hiſtorias et annos compares (Opuſc. Tom. V. p. 347 ſq.), prima picturae rudimenta inter Lydos notata ſunt; Graecorum autem coloniae in Italia primordia ſua vix habuerant (v. Opuſc. Vol. II. p. 8 ſq.) Itaque nec de prauo iudicio, quod de Ludii Helotae Aetoli vetuſtate apud Plinium habetur, laborandum eſſe apparet. Si auctores Latinos, quos ipſe in ſingulis libris ſequutus eſt, in recenſu memoratos, contemplamur: praeter Varronem nullum alium memoratum video, niſi qui vulgares hiſtorias conſcripſerit. Neque me ab ea ſententia abduxere, quae ab eo inde tempore paſſim notaui memorata; vt de *Horatii Coclitis* ſtatua ex aere: (*εἰκὼν χαλκῆ* apud Plutarch. in Poplicola ſ. 16. p. 106. A. in templo Vulcani poſita add. Gellius IV, 5. Plinius l. l.) et de Porſennae antiquo et rudi opere Plutarch. ibid. p. 107. C. Fuit *Cloeliae* ſtatua equeſtris, quam alii Valeriae aſſeruerant ibid. p. 107. C. Caiae Caeciliae. vni e Tarquiniis nuptae (in Quaeſtion. Rom. Nro. XXX. p. 271. E). Nec tamen magis aſſentiendum dixero Plutarcho, in Numa p. 65. B. C. pronuntianti, non ante 170. annum vrbis ſimulacra deorum facta eſſe; quod ille ad religionem Pythagoreae ſimilem retulit; immo vero agreſtiori vitae et imperitiae id tribuendum; niſi

niſi forte ex Etruria ſimulacra deorum fuere allata aut facta. Notabile viſum mihi eſt hoc, apud Plinium XXXV, 3. quod *Appius Claudius*, qui Conſul fuit cum Servilio a. V. C. 259. *poſuit in Bellonae aede maiores ſuos:* addit Plinius: *placuitque in excelſo ſpectari et titulos honorum legi.* Verum nec hoc tam antiquorum temporum opus eſſe potuit, ſed ſerioris alicuius qui ab eo auctore gentis initio facto omnes maiores ſuos exhibuerat. Niſi nobis aliunde conſtaret, quam parum diligentes in temporum notatione ſcriptores fuerint, vix aſſequi poſſemus, quomodo tam doctus ſcriptor, ac Plinius, non debuerit animaduertere errores et vitia diſſonorum temporum et rerum. Sed totus ille occupatus erat in transferendis notitiis e Graecis ſcriptoribus et compilandis, quae e lectione et auditione acceperat. Attamen ille per haec praeclare de nobis meruit.

Ad p. 452. Ad annum V. C. 600; iam CL. annis poſt *Fabium Pictorem*, (qui memoratus eſt p. 445. V. C. 452.) ex Plinio notum, refertur in Chronico Hieronym. tragoediarum ſcriptor, *M. Pacuvius*, Ennii ex ſorore nepos, idem pictura clarus. Plin XXXV, 4. ſ. 7. *Proxime* (poſt Fabium Pictorem) *celebrata eſt in Foro Boario, aede Herculis, Pacuuii poetae pictura; Ennii ſorore genitus hic fuit, clarioremque eam artem Romae fecit gloria ſcenae. Poſtea non eſt ſpectata honeſtis manibus.* Ad eos, quos Plinius inter recentiores ſua aetate retulit referendus eſt *Turpilius*, (non confundendus cum antiquiore Sext. Turpilio comico poeta V. C. 652.) eques e Venetia, cuius pulchra opera Veronae extabant:

extabant: laeua is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur: Plinius XXXV, 4. ſ. 7. vbi et *Antiſtium Labeonem* praetorium, *nuper extinctum* memorat. Et ex aetate Auguſti Q. Pedium, mutum, quem Meſſala Orator picturam docendam eſſe cenſuerat.

Vt vnum ſaltem monitum ex ſexto quoque Volumine ſubiiciam: Ex iis, quae ſupra p. 196. de ſacris Iſiacis in Vrbem receptis attuli, iam ante me delibata eſſe nonnulla a viro doctiſſ. *Carolo Fea ad Winckelmann Hiſt. Artium* Tom. I. p. 115 ſq. ed. Rom. video. Templo autem Iſidi et Serapidi Romae conſecrato ab Auguſto Aegypticas religiones tantum non publice ſancitas habitas videri poſſe, obſeruauit praeſtantiſſimus Vir *Iacobs* nuper in Comment. de Memnone. De ſacris autem Iſiacis poſt *Böttigerum* noſtrum agere ſi vellem, vani ſtudii merito arguerer. Idem quoque, in his ipſis diebus, in quibus haec admonita conſcripſimus, de Bacchanalibus Italiae, (quae ſupra p. 195. attigi) doctiſſime egit. Corrupere ea primo forte loco religiones Romanas patrias et ſimplices, nullis ſacris arcanis et peruigiliis admiſſis; id quod in laudibus Romanae diſciplinae ponit Dionyſius Halic.

Conſtitueram quoque apud animum, origines et tempora Etruſcarum artium proſequi et retractare ea quae in Commentariis Soc. R. Scient. Vol. III. IV. V. VI. VII. ſcripſeram iis annis, quibus pauca adhuc monumenta, et de iis, criſi antiquitatis ſeueriore, ab aliis ſcripta, prodierant. Verum ſucceſſit poſtea in has partes doctiſſimus vir *Lanzi*, multo melius et

monimentorum copia et locupletiore doctrina inſtructus; ex eo itaque facile tolli aut emendari poſſe cenſeo, quae a me perperam aut minus ſollerter ſcripta eſſe poſſunt; nec ſenilis ingenii aut otii mei, tam multis ab hoc ſtudiorum genere alienis curis et moleſtiis interpellati, eam rem eſſe intelligo.

---

## EPIMETRVM

## *ad Commentationem de Caſtoris epochis populorum, qui maris imperium obtinuiſſe dicuntur.*

Quandoquidem non facile in poſterum mihi ſe offeret opportunitas emendandi aut ſupplendi ea, quae in *Commentationibus Societatis Regiae Scientiarum*, inprimis *antiquioribus*, curas ſecundas deſiderant: ſaltem de iis, quae in ipſo vitae academicae aditu, ante hos L. fere annos a me recitatae et in *nouis Commentariis Societatis* poſtea vulgatae ſunt, nonnulla ſi adiecero, ſeu monita ſeu emendata, veniam me impetraturum eſſe ſpero: quandoquidem fundamenta in iis iacta ſunt eorum, quae poſtea partim in iisdem Commentationibus, partim in Proluſionibus de *Graeciae antiquitate* iſtis ſuperſtruxi, aliorum quoque virorum doctorum iudiciis probata.

Cum autem harum commentationum et proluſionum dilectus magna ex parte ex temporum ratio-

rationibus, ſtudiis et conatibus litterariis ſit profectus, qui tum cum maxime virorum doctorum ingenia et operam tenebant: non alienum erit, in libello, quem noſtrae academiae annalium loco haberi velim, pauca de iis narrare. Nec ſine animi affectu aliquo recordor ſtudium et acumen eximium, quod per aliquod decennia collegae mei, viri doctiſſimi, in hoc ſtudii genere adhibuerunt, quod in tollendis difficultatibus poſuerant, quibus obſepta eſt quaeſtio *de populorum originibus*, praecipue in ſeptentrione Aſiae et Europae, magno animorum aeſtu illa aetate agitata, ita vt ſtudio hiſtoriarum meliori magno cum fructu proluſum ſit, inprimis in hoc, quod ea ingentes notitiarum antiquitatis copias ad terras genteſque cognoſcendas et diſcernendas in medium protulit.

Primum horum ſtudiorum fomitem ingeniis ſubiecerat immortalis vir *Hallerus*, doctrinam de naturalibus hominum affectionibus non ex noſtrae Europae et huius aeui cultu tantum, ſed ex ferorum et barbarorum populorum naturis illuſtrando. Aſſidua ille lectione librorum a Britannis ad noſtras terras apportatorum, quorum rara iſta aetate erat notitia et vſus, ad legendas peregrinantium per Americam et alias terras narrationes excitatus, aliorum quoque animis ſimilis ſtudii ſcintillas iniecerat. Coeptum nunc eſt comparare gentium, in pari vitae et culturae habitu verſantium, aut ad maiorem vitae morumque cultum progreſſorum, origines et notitias, quaeſitumque eſt de ſedibus et migrationibus, tum de cauſſis et rationibus viciſſitudinum mutationum et profectuum.

 Arripue-

Arripuerat hoc *Michaelis*, vir ſagaciſſimus, et ad ſtudia ſua ſcite transtulerat, ab iisque profectus, Moſis ſcripta, et Iudaeorum vitam mores et religiones, noua luce illuſtrare eſt aggreſſus. Proceſſerat illis temporibus omnis fere de gentium originibus diſputatio a Geneſeos capite X. Noſtra aetate vix aſſequi licet, quomodo viri docti tam perturbatas hiſtoriarum rationes amplecti potuerint, vt ſtatuerent, Moſis aetate vnum aliquem mortalem, inprimis Hebraeum, totius terrarum orbis, magna earum parte ſolitudinibus et vaſtitate horrente, populorumque per eas errantium notitias, originumque, notiones certas habere potuiſſe. Satis erat, populos ac tribus in confiniis habitantes noſſe; longinquiora autem loca et ea incolentes vagis ſaltem et generalibus nominibus deſignare, vt omnes verſus occidentem terras gentesque ignotas inde ab inſula Cypro vno Chittim nomine.

Iam ſub eadem tempora melioribus Hebraicae aliarumque linguarum Semiticarum ſtudiis ſubnatis, vna cum melioribus criticis hiſtoricisque praeceptis propoſitis, de vanitate iſtarum opinionum facile conſtitit, et coepere viri docti, in iisque praecipue noſter *Michaelis*, veriora exquirere, nec inani etymorum et vocum ſonorumue ſimilitudine, operoſe ex ſermonibus linguisque exoletis et ignotis, quarum nec pronuntiationis veram rationem tenemus, inepto acumine petita, populorum ortus conſtituere velle, ſed e veſtigiis, ſeu fama antiqua, ſeu euentorum ac temporum concentu, ducere. Nec fraudandus eſt, in hac commemoratione, laudis parte

parte non exigua et debita vir variarum litterarum, naturae quoque, copiis egregie inſtructus, e quibus nos collegae earum rerum notitias petere ſolebamus, *Chr. Guilielmus Büttner*, qui *hiſtoriae naturalis* in noſtra academia auſpicia fecit fauſta, et ſigna extulit ſtudii, quod ſingularem noſtrae academiae laudem et exiſtimationem peperit. Mirae erant concertationes virorum doctiſſimorum, ex noſtro contubernio *Murray*, *Schlözeri*, *Gattereri*, quorum ingeniis ſtudiisque, etſi in magna diuerſitate, opinionum quoque et iudiciorum diſſenſu, in arte *critica hiſtorica*, (hoc eſt iudicio docto ſubtiliore in conſtituendis hiſtoriarum antiquarum monumentis et memoriis, earumque veritate et auctoritate) profectus mirabiles deberi in confeſſo eſt: qui niſi viam aperuiſſent et ab anfractibus, ſalebris aliisque impedimentis liberaſſent, nos multarum opinionum ſenticetis in antiquitatis ſtudio adhuc retineremur. Succinere mihi contigit viris, vniverſitatis Gottingenſis ornamentis, cum quibus me vixiſſe non ſine aliqua voluptate et deſiderio recordor, in antiqua Graecia et Italia; intra cuius fines ac limites me continui, etſi inſpectis, et ex parte exploratis quoque, finibus contiguis. Factum hoc eſt quoque in coloniis borealibus, praecipue in *Cherſonneſo Taurica* de qua illa aetate multa narrabantur inprimis per conatus et acta Imperatricis Catharinae *a*). Inter haec quoque intellexi, quanta

*a*) Sub Imperatoribus Byzantinis multa erant Romanorum latifundia, ſaltem ſub Theodoſiorum aetatem, in his locis. Inde a primis Imperatoribus Romanis

quanta et quam praeclara ſint auxilia et ſubſidia ad omne aliud doctrinae et hiſtoriae genus ex antiquitate Graeca et Romana, ad recte iudicandum de meritis virorum doctorum in ceteris quoque hiſtoriarum omnis aetatis et generis ſtudiis, et de veritate atque vtilitate opinionum et iudiciorum: id quod non pari fortuna fieri poteſt ab iis, qui vitam non niſi in vno rerum genere aut in ſolis recentioribus litteris ac ſtudiis exegerunt. Omnium aliorum, quos noui, in populorum veterum originibus, hiſtoriis et temporibus, eruendis et ordinandis conatus ſuperauit *Gattereri* induſtria et ſagacitas incomparabilis; Cum, antequam huc euocatus erat, ſcholaſticis ſtudiis regendis praefuiſſet, litteras Latinas et Graecas cum Hebraicis in promtu habebat. Praeclarae ſunt eius Commentationes *de Sarmatarum originibus* Vol XII et XIII *Commentationum Soc. Reg. Scient. Gotting.* ſi iis addideris Commentationes *tres de Thracia* Vol. IV. V. VI. *earundem Commentationum* et de *populorum Slauicorum ſtirpe* Vol XI. vna cum Commentatione *de Hunnis* Vol. XIV. Eminebat ille inter aemulos eruditione, ſtudio et doctrina litterarum Romanarum et Graecarum antiquiorum, quam

nis erant priscae stirpis familiae, partim noui homines, qui aulicis studiis magnas opes consequuti erant, inque his praedia lata per totum terrarum orbem. Ita erant Clodii, Olybrii, Anicii, Flaviani, qui latifundia per Thraciam et in Chersonneso Taurica tenebant. v. Obseruata *Wernsdorfii ad Avienum*, Tom. V. P. II. *Poetarum Latinor. min nor.* p. 650 sq. in diss. *de Flaviano Myrmecio.* Supererant tamen his temporibus incolae origine Scythica oriundi: quod per se facile existimari potest.

quam ad iſtas diſputationes attulerat: ita vt etiam iis, quae inter opinionum commenta referri poſſunt ac debent, ſaltem inſit aliquis color probabilitatis ex iis ſtudiis partae. In hoc genere habenda eſſe cenſeo ea quoque, quae *de Cimmeriis* (*Kymri*) *et Tauris in Cherſonneſo Taurica* diſputauit Vol. XII. maxime ex Herodoteis IV. 3. 99. 100. 110. *Tauros* Cimmeriorum reliquias fuiſſe non male autumabat (To. XII. p 140.) et ante Cimmerios fuiſſe Germanos; at *Scolotas* ſeu *Scythas*, qui iis in his oris ſucceſſere, fuiſſe Finnicae ſtirpis; *Tauros* interdum nomine *Thracum* eſſe comprehenſos per viciniam finitimorum et cognatorum populorum (p 143) In Scytharum loca Graeci ſucceſſerant. Attigit etiam *regnum Boſporanum* v. p. 144. quod eſt conditum Ol. LXXXV, 3. de hoc tamen iam actum eſt ab aliis, et a numismaticis ſcriptoribus; inprimis a viro docto et illuſtri *de Köhler* Ruſſ. Imp. a conſil. ſtat. publ. Videatur eius Commentatio *de monumento Reginae Comoſarye* (cf. *Gött. Gel. Anz.* 1805. p. 1211.) Tanto autem coniunctior cum viro praeſtantiſſimo eram, quod nihil ille tanquam ex tripode fatidicus pronuntiabat; modeſtia ille et ſimplicitate amabili proferebat, quae ſentiret, ſine vlla aliorum diſſentientium inſectatione.

Quod autem ad Commentationes meas attinet, vulgatae eae ſunt partim in *Nouis Commentariis*, inde ab a. 1769 et 70 typis expreſſis, partim in *Commentationibus*, quae inde ab a. 1778 prodierunt *b*). Et

*b*) Prodierat *Nouorum Commentariorum* Vol. I. 1771. complexum Commentationes a. 1769 et 1770, vbi in

Et primo quidem in Commentatione *de Caſtoris epochis populorum, qui maris imperium dicuntur tenuiſſe,* (Vol. I. *Nouor. Commentar.*) voc. θαλαττοκρατεῖν nequaquam eo modo, quod viri docti putarunt, ex ſeriorum temporum vſu eſt accipiendum, vt de Carthaginienſium potentia nauali dictum eſt a Polybio I, 7, 6. I, 16. 17. (ad quem loc. v. Caſaub.); neque omnino vno eodemque ſenſu ac vi eſt vſurpatum. Vniuerſe declarat quantamuis nauium copiam; tum comparatione cum aliis ciuitatibus facta; aut ſi qua ciuitas ad longinquas terras naues mitteret; aut ſi piraticam exerceret; hoc quoque ſerius apud Strabon. de Cilicibus lib. XIV. p. 980. A. B. qui ſub extrema reip. Rom. tempora latrociniis infames erant *c*).

Iam

in Comm. hist. et philol. p. 66. inest ea, quae *de Castoris epochis populorum* θαλαττοκρατούντων inscripta est, et a. 1769 recitata. Recitatae a me iam erant a. 1763. 64. 66. tres Commentationes: *Temporum mythicorum historia a corruptelis vindicata; de Graecorum origine a septentrionali plaga repetenda;* et, *Musarum religio, eiusque origines et caussae;* quae serius euulgatae sunt *Commentationum* Vol. VIII. a. 1787. in quo ad calcem, sub titulo: *Commentationes antiquiores*, eae extant: in fronte autem eiusdem Voluminis p. XVI. legitur Commentatio *de auctoribus formarum, quibus dii in priscae artis operibus effícti sunt.* Commentatio autem de *Hercule Musageta* habetur in earumdem *Commentationum* Vol. III. p. XVIII.

*c*) Λύκιοι δὲ οὕτω πολιτικῶς καὶ σωφρόνως ζῶντες διετέλεσαν, ὥστ' ἐκείνων (τῶν Κιλίκων) διὰ τὰς εὐτυχίας (rapinarum successus) θαλασσοκρατησάντων μέχρι τῆς Ἰταλίας, ὅμως ὑπ' οὐδενὸς ἐξήρθησαν (nulla spe lucri similis allecti sunt) αἰσχροῦ κέρδους. Eodem pertinet locus Strabonis lib. X. p. 745. Cretenses

post

Iam is, qui latrocinia tollit, non minus θαλασσοκρατεῖν dicitur: ita Minos, qui Cares piraticam in mari Aegaeo exercentes repreſſerat, (eſt is Minos II.) θαλασσοκρατῆσαι memoratus eſt. Sane quidem mox filii eius inſulas inſederunt, vt Paron, apud Apollodor. II, 5, 9. §. 3. et Obſſ. p. 155. rec. ed et inſulam Carpathum tenebant Minoidae, quibus ſucceſſit Achiuorum colonia: Diod V, 54. extr. Interea Phoenices et ipſi ἐθαλασσοκράτησαν, alio modo: dum portus inſularum frequentarunt, mercatus cauſſa, non vero vt ibi ſedes figerent et colonias deducerent; quas omnino non eo numero, ac vulgo Bocharto praeeunte, creditur *d*), deduxerunt, nec deducere potuerunt; non enim ea erat hominum frequentia in Phoenicia, nec ii niſi emporia condidiſſe videntur. Omnino in nauigationis originibus animo dimittendum non eſt, plura ſubtilius eſſe discernenda: aliter facta eſt nauigatio ex inſula in inſulam, aut in continentem, aliter praedandi cauſſa, aliter mercandi, tandem etiam imperandi. Itaque traiectus cauſſa diuerſis in locis, diuerſis temporibus, nauigatio inuenta eſſe dici potuit. Sic apud Plinium VII, 57. *Reperiuntur, qui Myſos et Troianos rates priores excogitaſſe in Helleſponto putent: cum tranſirent aduerſus Thracas:* (h. e. vel in Thraciam primum; vel aduerſus eos Thraces ac Bebryces, qui iam ante inſederant.) Sed vt ad τὸ θαλασσοκρατῆ-

Hh 5

post Tyrrhenos (serius tamen) fuisse qui latrocinia egerunt; post eos, Cilices piratas, oppressos a Romanis (a Pompeio).

*d*) Vid. Mignot virum doctissimum in *Memoires de l'Acad. des Inscript.* Vol. XXXIV. p. 170.

*κρατῆσαι* redeam, non mirabimur, ſi is, qui maiore nauium numero inſtructus eſt, partes quoque praecipuas in nauigatione ſibi vindicat aut arrogat, cum aliorum iniuria, vt apud Strabonem lib. XV. p. 955. C. Chii, *ἐκέκτηντο δὲ καὶ ναυτικόν ποτε Χῖοι, καὶ ἀνθήπτοντο τῆς κατὰ θάλατταν ἀρχῆς καὶ ἐλευθερίας* (ſcil. immunitatem a portoriis?). Nec alio, puto, modo Polycrates Samius *θαλαττοκρατῆσαι* narratur *e*). Paria de Sinope vrbe ad Pontum Euxinum memorat Strabo lib. XII. p. 821. A. *f*). Cum itaque tam diuerſae ſint vocis acceptiones, fieri poteſt, vt, cum aliunde nihil certius conſtet, definiri nequeat, quam late iſtae opes maritimae patuerint; vt ap. Strabon. V. p. 327. C. vrbs Spina fuit in mari Adriatico, a qua oſtium Padi Spineticum appellatum erat, haud longe a Ravenna *g*).

Ceterum de Caſtore nihil praeterea reperi, niſi quod Auguſtinus de civ. dei XXI, 8. ex Varrone Caſtorem narrat memoriae tradidiſſe, *mirabile in caelo extitiſſe portentum in ſtella Veneris, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum; quod factum neque*

*e*) Strabo XIV. p. 947. B. *ἦν δ' ὁ μὲν καὶ τύχῃ καὶ δυνάμει λαμπρὸς, ὥς τε καὶ θαλαττοκρατῆσαι.*

*f*) *Κατασκευασμένη δὲ ναυτικὸν ὑπῆρχε τῆς ἐντὸς Κυανέων θαλάττης, καὶ ἔξω πολλῶν ἀγώνων μετεῖχε τοῖς Ἕλλησιν·* Nam *ὑπάρχειν* est, in ditione habere: Sic de Sybaritis lib. VI. p. 404. A. res quorum adeo prosperas fuisse ait, *ὡς τεττάρων μὲν ἐθνῶν τῶν πλησίον ὑπῆρξε.*

*g*) *Καὶ ἡ Σπίνα, νῦν μὲν κωμίον, πάλαι δὲ ἑλληνὶς πόλις ἔνδοξος. Θησαυρὸς γοῦν Σπινητῶν ἐν Δελφοῖς δείκνυται, καὶ τ'ἄλλα ἱστορεῖται περὶ αὐτῶν ὡς θαλασσοκρατησάντων.*

*neque antea neque poſtea ſit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adraſtus Cyzicenus et Dion Neapolites, mathematici nobiles.* Huius narrationis veram rationem an repererint aſtronomi, qui cometen, in eodem aut vicino loco in conſpectum venientem, temere pro Venere habitum eſſe, exiſtimant, equidem haud dixerim; niſi forte id doctius et ſubtilius eſt quam pro tanta vetuſtate et hominum incuria ſub Ogyge; quandoquidem per ſequentia tempora, literis magis frequentibus, in ſcriptoribus graecis vix alius cometes notatus eſt. Poſſit aliquis ſuſpicari ex mythicis aetatibus narratum hoc ſupereſſe et ad vices Veneris ſpectare modo ſub occaſum modo ſub ortum ſolis obſeruatae. Noti ſunt luſus ſimiles de Lucifero et Heſpero et de Dioſcuris. Perſuaſum mihi habeo et hoc, computum annorum vix ab ipſo Caſtore eſſe inſtitutum, ſed tantum numerum annorum, quibus naualibus copiis hunc vel illum populum valuiſſe memorat, appoſitum ab eo fuiſſe; quem ſerius, non Euſebius, ſed Iulius Africanus in ſynchroniſmum redegiſſe videtur.

Quod ad ea attinet, quae de populis barbaris qui Aſiam peninſulam inſederant, antequam ex Graecia Coloniae Aeolum, Dorum et Ionum, ex ſtirpe Hellenica oriundae, eo deducerentur: viſa ſunt mihi ea, cum a me relegerentur, ſatis probabiliter conſtituta eſſe. Monenda tamen aut illuſtranda mihi videntur ſequentia:

Quae de ſtirpe *Phrygico-Thracica,* tempore priore ante ceteros barbaros occidentem verſus progreſſa, et inde in Europam traiecto mari Aegaeo, forte Helleſponto, transgreſſa, ſtatueram, vrgentibus a ter-

a tergo, ſaltem eis ſuccedentibus in loca vacue facta, Pelasgis: non minus ea mihi bene conſtare videntur; ex priore ſtirpe aut ſubſtiterant aut ex Europa in Aſiam redierant Thyni, Thracum pars; Erat multitudo e pluribus Thracum populis collecta, etiam Myſi ac Teucri, ex Paeonia, ad Strymonem, profecti, (Herod. V, 13. VII, 20.) quo illi inter Phryges, Thracibus cognatos, (Thracophryges) numerandi; ita et *Phryges* ſeu *Briges* inter Thracicos populos referuntur: v. dicta To. II. *Nov. Comment.* p 44. 45. olim ex Aſia traiecerant, et inter Thracas conſederant, e ſedibus ſuis expulſos. Eodem tempore (vt ibid. To. I. p. 88. monui) *Cimmeriorum* incurſus in Aſiam citeriorem erant facti, adiunctis *Treribus*, quorum ſedes ſollerter indagauit *Gatterer Comment. de Thracibus* Vol. IV. p. 109. At terras Aſiae minoris, inde ad auſtrum, maritimas inſederunt populi *Pelasgicae ſtirpis* inter ſe cognati, diuerſis tamen nominibus ad notitiam noſtram adducti: id quod ex multis paſſim antiquae memoriae fragmentis et veſtigiis illuſtratur. Ita *Cares, Lydi et Myſi*, etſi hi quidem Thraces (Strabo XII. p. 849.) Phrygibus accenſi, h. e. Thracophrygici nominis, illi vero Pelasgici, fratres inter ſe fuere habiti; et commune ſacrum ſollenne *Iouis Carii* celebrarunt *h*). Porro iidem

*h*) Post Herod. IX, 171. cum aliis laudatum in Comment. p. 82. v. Strabo XIV. p. 974. A. *τρίτον ἐστὶν ἱερὸν τοῦ Καρίου Διὸς, κοινὸν Καρῶν ἁπάντων, οὗ μέτεστι καὶ Λυδοῖς καὶ Μυσοῖς, ὡς ἀδελφοῖς.* Notum est, *fratres* dictos esse etiam contribules, populares, atque etiam populos ab eadem stirpe profectos, tandem et inter se foederatos, vt Aeduos fratres et socios Romanorum.

iidem Cares antea fuerant dicti *Leleges*, inſulas maris Aegaei incolentes; a Minoe inde eiecti redierant in continentem, et loca Aſiae tenuere donec Hellenes eos ſedibus his priuarunt *i*). Non itaque mirabimur nomina haec populorum eadem ſtirpe ortorum promiſcue, interdum perturbate, mutuo adhiberi; multo magis, cum iidem inter ſe permixti habitauerint, paſſim etiam Phrygibus admixti: (cf. exempla ap. *Vallarſ. ad Hieronym. Euſebianum* p 238.) qua de re iam veteres conqueſti ſunt, quoties de finibus iſtorum populorum quaerebatur: v. Strabo XII. p. 846. p. 857. B. C. In terris maritimis Troadi et Myſiae propioribus (ibid. p. 849. A) ſaepe eſt ambiguitas ſiue a finibus et promiſcua habitatione, ſiue a ſedium ſucceſſione; item in Lydis, qui iidem feruntur fuiſſe qui prius fuerant *Maeones*, Phrygibus annumerati; cum tamen Lydi habiti ſint inter Pelasgicos populos.

In quibus locis Pelasgi Thracibus et Phrygibus admixti fuerant, ſerius eueniſſe videmus, vt Pelasgi aut numero aut viribus paſſim ſuperiores facti terras ſoli habitarent, aut habitare dicerentur,

*i*) Strabo XIV. p. 976. A. B. *πολλῶν δὲ λόγων εἰρημένων περὶ Καρῶν ὁ μάλισθ' ὁμολογούμενος ἐστὶν οὗτος, ὅτι οἱ Κᾶρες ὑπὸ Μίνω ἐτάττοντο, τότε Λέλεγες καλούμενοι, καὶ τὰς νήσους ᾤκουν. εἶτ' ἠπειρῶται γενόμενοι πολλὴν τῆς παραλίας καὶ τῆς μεσογαίας κατέσχον τοὺς προκατέχοντας ἀφελούμενοι· καὶ οὗτοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους Λέλεγες καὶ Πελασγοί. Πάλιν δὲ τούτους ἀφείλοντο μέρος οἱ Ἕλληνες, Ἴωνές τε καὶ Δωριεῖς.* Tenendum ex his, *Lelegum* gentis plures fuiſse populos, et inter hos vnum populum *Cares*.

tur, et antiquorum incolarum nomen prorſus exoleſceret, aut vt cum Pelasgis tantum *veteres incolae* memorentur, appellati *barbari.* Ita ſunt in Lemno *Sinties.* Sane hoc idem euenit poſtea Pelasgis, vt eorum nomen obſoleſceret in terris Graeciae et Aſiae, in quas ſuperuenerant Hellenes, primo accolae, mox ſoli pro incolis habiti ac memorati. Hae per totam Graeciam Pelasgorum fortunae viciſſitudines fuere: quo factum eſt, vt tandem omne eorum nomen extingueretur. Plerumque in vicis et agris illi degebant: vt de Caribus conſtat, poſtquam Iones eorum vrbes occupauerant. (κωμηδὸν οἰκοῦντες apud Conon. Narrat. c. 2.) Lydorum nomen maturius exoleuit, poſt eorum res a Cyro fractas, cum illud antea inter ceteros Pelasgicae ſtirpis populos inclaruiſſet. Ita Athenis memoria erat, Pelasgos ſub acropoli habitaſſe: (v. praeter laudatos in *Nov. Comment. de Caſtoris epochis* p. 85. nota *v.* Pauſan. I, 28. p. 67. f.) At in Theſſalia plura eorum ſerius quoque ſuperfuere veſtigia. Inter eos antiquitus fuere *Tyrrheni,* perperam confuſi cum Etruſcis, quod in *Commentat. de Etruſc.* declarare ſtudui *k*). In Theſſalia quoque antiquiſſimae Pelasgorum ſedes fuere: vnde Herodotus dicere potuit, ab omni memoria a Pelasgis habitatam eſſe Theſſaliam; nam *de Pelasgis Theſſaliae ſolis* intelligendus eſt locus vexatus I. 56. dum ait, *Pelasgos ſemper easdem ſedes ſeruaſſe,* Hellenes autem per varias terras erraſſe, nouas ſcilicet ſedes ſibi parando. Alioqui enim Pelasgi-

*k*) Nouor. Commentar. Soc. Gott. Tom. III. p. 38 sqq.

Pelasgicae ſtirpis populi multo magis migrationibus et erroribus multis fuere iactati et diſperſi *l*).

Hae

*l*) Dum in loco Herodoteo I, 56. 57. versor, redit in memoriam idem locus iam in *Commentatione de Caſtoris epochis* a me laudatus (Nov. Commentar. p. 85. To. I.) vbi verba lin. 1. 2. in eum modum corrigenda sunt, vt legatur: *Pelasgi, qui supra Tyrrhenos vrbem Crestonem incolunt.* Scilicet diuersis locis in ea parte Thraciae, quae postea Macedonia dicta fuit, Pelasgi habitarunt, nec eodem nomine appellati; ex his locis memorantur duo, in quibus Herodoti adhuc aetate sermo Pelasgorum vigebat, ita vt de eius indole censeri posset, et colligi, *barbaram* linguam fuisse; hoc est, non Hellenicam, (etsi vel sic Hellenum sermo ex antiquiore Pelasgica lingua ducta esse potuit, serius exculta). Ex his locis alter fuit in Thessaliotide, quae tum dicta erat Istiaeotis; hic habitarunt adhuc Herodoti tempore *Pelasgi supra Crestonem*, vrbem antiquam, quam *Tyrrheni* (Pelasgica gens) tenebant, finitimi Doribus, ad Ossam et Olympum habitantibus. (De Crestonia regione diligenter egit *Gatterer* p. 34. Tom. VI. tabula quoque geographica apposita, quae vtinam maiore modulo repetatur viri alicuius docti cura!) Aliae Tyrrhenorum sedes erant ad Hellespontum, vbi Placien et Scylacen tenebant. Ad hos accesserant ii qui antea Athenis egerant. De Placia ad Cyzicum sita cf. Caylus *Recueil* Tom. II. p. 198. Verum omnino locus Herodoti eget diserta dilucidatione. — Tyrrhenos piraticam exercuisse ante Minoem, notatum fuit a me; vt et Tom. I. *Nov. Commentar.* p. 79. Τυῤῥηνῶν nomen in Strabon. X. p. 731. B. esse illatum emendandae voci Τυράννους. At nunc video non bene esse factum; agitur enim de Cilicum regulis piratarum licentiae fauentibus lucri caussa. — Alium locum notabo Tom. I. *Nov. Commentar.* p. 83. med. Verba: *nolo tamen — damnare*, sunt delenda; reliqua recte se habent. *Aſiae* nomen primo inter Lydos esse auditum constat;

quod

Hae ipſae viciſſitudines et variationes traiectus ex Aſia in Europam, et iterum ex ea in Aſiam; multas moleſtias faciunt inquirentibus in gentium harum, earumque ſedium, origines. Durauerunt autem illae per multa tempora; vnde adhuc heroum aetate e Phrygia Pelops in Peloponneſum venit, ſedesque ſibi parauit ſtirpemque Pelopidarum condidit; ſuccedente Atreo in Mycenarum regno, poſtquam Euryſtheus ad Herculis liberos a Thebanis repetendos profectus occubuerat. Multo vero magis turbari neceſſe fuit *inſularum origines*, hoc eſt eorum notitias qui primi incoluerint colonique fuerint, cum eae a pluribus adiri, iterum deſeri, ab aliis inſideri, ab aliis ſuccedentibus occupari, nouos ſubinde colonos accipere potuerunt. Pro exemplo ſit Cyprus, quam Herodotus ait VII, 97. Cyprios *partim a Salamine et Athenis*, (a nouiſſimis colonis initium facere apparet) *partim ab Arcadia, partim a Cythno, partim a Phoenice, partim ab Aethiopia oriundos eſſe, vt ipſi Cyprii aiunt.*

Ad *Epimetrum Nov. Commentar.* To. II. p. 40. ſpectat tanquam locus claſſicus, Strabo VII. p. 494. 5. (p. 321.) Iis, quae *de Thracibus et Phrygibus* diſputauit, pro fundo vſus eſt *Gatterer* in praeclara *Commentatione de Thracia Herodoti et Thucydidis* To. IV. *Nov. Commentar. Soc. Gott.*

*Rhodios*

quod ex ipsa Lydorum confessione docet Herodot. IV, 35. etsi alio loco c. 45. alia aliorum commenta apponit. Concinit, quod apud Homerum Asia tantum de tractu ad Caystrum fl. memorata est v. ad Il. $\beta$, 461. Obss. Res iam obseruata a Strabone XII. p. 831. B. Nov. Commentar. p. 83.

*Rhodios* (To. II. p. 40.) inter populos $\vartheta\alpha\lambda\alpha\sigma\sigma o\kappa\varrho\alpha\tau o\tilde{\upsilon}\nu\tau\alpha\varsigma$ memorari, nemo miretur; alio haud dubie ſenſu in antiquioribus temporibus, quam ſerius, cum maritimis quoque copiis et claſſe valerent, ante et poſt tempora belli Peloponneſiaci, ita vt etiam ius maritimum conſtituerent; vnde *lex Rhodia* adhuc ſub Romanis inualuit; etſi eorum opes ab his fractae tandemque euerſae ſunt, inſula in prouinciam ſub Veſpaſiano redacta. Imperium autem maris iam antea ſibi vindicauerant Romani, expreſſis Tiberii Imp. verbis: quae quidem diſertius expoſuit *Iac. Gothofredus de imperio maris deque iure naufragii in Opuſc.* 1641 *Genevae editis.*

De *Cypriorum* $\vartheta\alpha\lambda\alpha\sigma\sigma o\kappa\varrho\alpha\tau\acute{\iota}\alpha$, (To. II. *Nov. Commentar.* p. 45.) nihil praeter ibi dicta mihi ſe obtulit, quo epocham declarare et firmare poſſim; nec iuuat locus memorabilis Herodoti VII. 90. quo inſulam a diuerſae ſtirpis colonis frequentatam eſſe memorat, *a Salamine et Athenis* (a Teucro) aliis *ab Arcadia*, *a Cythno*, inſula maris Aegaei, *e Phoenice* et *ex Aethiopia*, ipſis Cypriis id aſſeverantibus.

Nec felicior fuit inueſtigatio cauſſae, facti vel euenti, cui epocha $\vartheta\alpha\lambda\alpha\sigma\sigma o\kappa\varrho\alpha\tau\acute{\iota}\alpha\varsigma$ *Phoenicum* eſt aſſignata circa annum ante C. N. 831. ante Olympiadem primam LXVI. Nauigatione Phoenices et ante et poſt eos annos floruere, Tyro poſt Sidonem primas partes tenente. Antiquiora ſunt, quae de nauigatione ad Gades, de condita Vtica et Carthagine, memorantur; ſeriora autem ſunt Salmanaſſari et Nabuchodonoſori in eorum perni-

perniciem meditata. Praedationes vero inſularum maris Aegaei ab iis factas iam belli Troiani tempore ex Homero nouimus, eosque, vna cum Caribus, vetuſtiore aeuo, et ante bellum Troianum, a Minoe II. coercitos eſſe Thucydides memorat I, 8. Profecti Sidonii, quod poſt Bochartum et Bryant. p. 225 ſq. ſatis notum, a mari Erythraeo, (Herodot I, 1. VII, 89.) hoc eſt a ſinu rubro, ſeu Arabico, ipſi oriundi ab Idumaeis, cum Chananaeis poſtea permixti, nauigationis ſtudium inde ab antiqua ſede retinuerant, vbi ea inuenta fuerat (ſcilicet hoc in mari; non omnino, nec vbique terrarum), ratibus primum in inſulas vicinas; (Agatharchidis fragm. apud Photium et in Geographis Hudſon. add. Strabon. XVI. p. 1125. B. Plinium VII, 6.) re primum tentata exemplo natatus bouis; quae fabula poſthaec in mare mediterraneum traducta in ſimile figmentum Iouis in taurum mutati abiit, qui Europam, Sidoniam puellam, in inſulam Cretam natatu auexit *m*).

Omnino relinquendum eſt felicioribus ingeniis, vt expediant certas rationes, quas ſequutus eſſe Caſtor videri debeat in enotandis epochis nauigationis. Nam eas vrbes et gentes, quas in ſequentibus enumerat, re nautica inclytas fuiſſe, nemo dubitet; ſed cur potiſſimum his, quae iis aſſignavit, temporibus, in paucis reperi. Quapropter ſubinde

*m*) Quaesiui opera data in doctissimis commentationibus Abb. *Vignot* de Phoenicibus Vol. XXXIV. *Memoires de l'Acad. des Inscr.* quicquamne occurreret, quod ad declarandum id, quod volumus, faceret; frustra tamen.

ſubinde ſuſpicari coepi, fraudem nobis feciſſe ſeu Euſebium et Hieronymum. ſeu Iulium Africanum, quod Caſtoris epochas populorum, qui diuerſis, nec continuis, temporibus per aliquot annos re nautica polluerunt et floruerunt, continuas et alteram alteri e veſtigio ſuccedentes eſſe voluere, atque, hoc errore ſuſcepto, eos annis in computo, quem elaborarunt, memoratis adſcripſiſſe durationis imperii maritimi annos a ſe temere effictos. Altera ex parte ſperabam memoratum iri tempora Aeolum, Ionum, Dorum e Graecia in Aſiam traiicientium. Athenae vtique iam tum naues habuere. Ita et poſthaec paſſim v. c. Piſiſtrati aetate, nauibus aggreſſi ſunt Athenienſes inſulas, vt Naxon ap. Herodot. I, 64. Thucyd. III, 104. Sane magna coloniarum, cumque iis nauigationis, pars incidit in tempora ante et poſt primam Olympiadem, hiſtoriarum monumentis, memoriis et notitiis deſtituta; quo fit vt paſſim opinata appoſita ſint a ſcriptoribus, auctoritate graui prorſus deſtituta, inprimis in Italia, ex quo increbuerat praua opinio locorum origines repetendi a Graecis. Ita plures commemorat Iuſtinus XX, 1. Eſt in his Spina in Vmbris; forte eſt haec ea colonia quae ab Aeginetis in Vmbros ducta fuit: apud Strabon. VIII. p. 577. A. B.

Si tamen Thucydidem lib. I, 1. in animum reuoces, aut in manus ſumſeris, nouas inde difficultates ad iudicium de Caſtoris epochis conſtituendum enaſci putabis. Nam et ille, ingreſſurus narrationem de bello nauali Corinthiorum cum Corcyraeis, redit ad ſuperiora tempora et, qualis

 fuerit

fuerit res naualis Graeciae, exponit; nec eodem modo; ſed ea de cauſſa eoque conſilio, vt doceret, quanta incrementa a tenuibus primordiis res navalis ſub ea demum tempora habuerit, hoc eſt vsque ad Olymp LXXXVII Res itaque ait ab initio fuiſſe admodum tenues et imbecillas, nec magnum nauium numerum plurium ciuitatum in vnum collectum memorari; ipſa, inquit, claſſis Achiuorum non omnium Graeciam tunc inhabitantium populorum fuit, nec bello, ſed transfretandis copiis Achiuorum inſeruiit (c. 3.). Minos latrocinia ſuſtulit, coloniasque in partem inſularum miſit (c. 4) Agamemnonem tamen Mycenis regnantem, nauales opes iam habuiſſe, cenſet Thucydides (c. 9.) cum et maiorem nauium numerum haberet: vt videatur quoque metu potius quam benevolentia et ſtudio erga ſe ceteros ad belli ſocietatem adduxiſſe; imperium quoque quodammodo in inſulas exercuiſſe *n*); belli autem in decem annos producti non copiarum paucitatem, ſed victus inopiam, cauſſam fuiſſe, eaque coactos per inſulas praedatum iuiſſe ad victum conquirendum (c 10. 11.) Cum domum reuerſi eſſent Graeci, inſequutis ſeditionibus et diſcordiis, migrationibus in inſulas et Aſiam, domi autem imperio regio in ciuitatibus conſtituto, tranquillis rebus, agrorum aucto proventu et hominum commerciis, maiorem quoque rei nauticae curam fuiſſe, paratisque pecuniis coepiſſe Graecos primo quinquaginta remorum naues (*πεντηκοντορους*) tum triremes aedificare; itaque rei naualis bellorumque maritimorum exordia facta eſſe;

*n*) Πολλῇσι νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.

eſſe; primos autem Corinthios claſſem paraſſe, primumque bellum cum Corcyraeis mari geſſiſſe; Aminoclem quoque Corinthium Samiis quatuor triremes aedificaſſe: (c 12. 13) Factum id eſſe trecentis fere ante extrema belli Peloponneſiaci; (anno ſcil. 703 ante C N.) praelium vero Corinthiorum cum Corcyraeis ducentis et ſexaginta annis (Olymp. XXIX, 1. ante C. N. 664) *o*) factum eſſe; Ita quoque ſublata eſſe latrocinia, nauigationes mercandi cauſſa frequentatas; ex eo autem tempore quoque coepiſſe inſulas in poteſtatem redigi a potentioribus et tributis vectigalibusque vexari Nunc Iones etiam nauales copias coepiſſe habere, Cyri et Cambyſis temporibus; in his Polycratem Samium et Phocaeenſes (c. 14.) nec tamen triremium magnam copiam fuiſſe, ſed numero adiunctas eſſe naues L. remorum et naues longas (onerarias). Maiorem nauium copiam primos paraſſe tyrannos Siciliae et Corcyraeos; minorem Aeginetas et Athenienſes, maiore quoque parte adiecta nauium L remigum; donec Themiſtocles Athenienſibus auctor fuit claſſis parandae et rei maritimae eis ſtudium iniecit (c. 15.)

Euſebiani numeri annorum, quibus horum populorum vnusquisque θαλασσοκρατῆσαι dicitur, variant vtique in codicibus, manifeſto plerumque errore. Sequamur ſaltem potiora et probabilia, ſepoſitis leuioribus et ſubtilioribus; ita

 clarius

*o*) Plinium lib. VII. extr. minus accurate tempora miscere, dum scripsit, *triremem Thucydides Aminoclem Corinthium* primum ſabricasse, monitum iam est á viris doctis.

clarius patebit, non modo, conſilium fuiſſe diverſum a Thucydide, verum etiam, id forte chronologos ſibi propoſitum habuiſſe, vt, quotquot populi, ante Athenienſes, *nauigatione in Archipelago* ceteris eminuerint, per diuerſa tempora inde a primis, declararent; adiecerunt annos durationis, quamdiu ea fama, primordiorum et auctuum, ſeu florentis nauigationis, ſeu principatus, obtinuerit; annos Olympiadum ceterosque epocharum, neſcio, ipſe ne Caſtor adiecerit, an, quod probabilius eſſe cenſeo, Iulius Africanus et Euſebius; nos ad annos ante Chriſtum et ad Olympiades, quod et alii viri docti ad Euſebianum Hieronymum fecere, reuocauimus.

Epochae XVII. numero ſunt hae: θαλασσοκρατεῖσθαι memorati ſunt:

I. *Lydi* per annos 92. — ante C. N. 1170
paullo poſt Troiam captam; ſi excidio Troiae annum 1184 aſſignaueris.

II. *Pelaſgi* per annos 85. al. 52. l. 55.
paullo poſt Codri mortem — 1053
(anno ante C. 1124. Aeolum migratio initium habuit; poſt 80 annos Ionum; et 1104 Heraclidarum reditus in Peloponneſum.)

III. *Thraces* per annos 19 (numerus corruptus) — — 1000

IV. *Rhodii* per annos 23. — 916

V. *Phryges* per a 25. — — 893

VI. *Cyprii* per annos 32. — 868
(Corinthii inuenerunt triremes a. 784.)

VII.

VII. *Phoenices* per 45 annos — 826
VIII. *Aegyptii* — — 781
IX. *Mileſii* per 18 (28) annos Ol. 7, 3. — 750
X. *Cares.* Ol. 14, 4. — 721
(a. 704. Aminias Samios docuit triremes aedificare; a. 300 ante belli Pelop. extrema; Thucyd. I, 13. Ol. 19, 1. Sub idem tempus colonia Corintho deducta in Corcyram.)

XI. *Lesbii* per annos 68. Ol 26, 4. — 673
(a. 664 primum praelium nauale factum inter Corinthios et Corcyraeos anno 260 ante b. Pelop. extrema. Ol. 39, 4. a. 621. bellum inter Mileſios et Lydos.)

XII. *Phocaeenſes* Ol. 49, 2. — 583
per 44 annos.
XIII. *Samii* f. circa Ol. 58, 1. — 548
per 12 annos.
XIV. *Lacedaemonii* forte Ol. 61, 3. — 534
per 12 annos.
XV. *Naxii* f. Ol. 64, 3. — 522
per 10 annos.
XVI. *Eretrienſes* f. Ol. 67, 3. — 512
per 7 annos.
XVII. *Aeginetae* Ol. 68, 4. — 505
per annos 20. vsque ad Xerxis traiectum in Graeciam. Ol. 73, 4. 485 ante C. N.

* * *

Iam cum his Proluſionibus, non tam mei meorumque ſtudiorum, qualiacunque ea ſint aut

 fuerint,

fuerint, quam almae Vniuerſitatis Gottingenſis, aliquando Georgiae Auguſtae, cauſſa ſcriptis,

— *ceſtumque artemque repono.*

Lectis his, ſi modo aetatem tulerint, infigant animis ſuis poſteri tot clarorum virorum, qui eam ornarunt, nomina, conuertantque animos ad exempla temporum et hominum, qui literarum bonarum amore, reipublicae academicae caritate, bonisque conſiliis et voluntatibus, officio et religione, obſtrictos ſe eſſe arbitrati ſunt, vt exiſtimationem, famam et laudem, a maioribus partam, ipſi tuerentur in maiusque euehere anniterentur: fortuna quoque ipſa conatibus adſpirante, vt ex rebus afflictis non modo ſeruata ſit, ſed nouo quoque ſplendore illuſtrata, Vniverſitas literaria Gottingenſis, cuius caritate et pietate vsque ad nouiſſimos hos annos, quibus mihi praeter ſpem diuturnior eius fructus conceſſus eſt, ducor, et ad vltimum vitae ſpiritum ductum me iri profiteor:

*ἐπεὶ τίνα πάτραν, τίνα οἶκον ναίοντ᾽ ὀνυμάξομαι ἐπιφανέστερον Ἑλλάδι πυθέσθαι; πάσαισι γὰρ πολίεσσι λόγος ὁμιλεῖ Ἐρεχθέος ἀστῶν, Ἄπολλον, οἳ τεόν γε δόμον Πυθῶνι δίᾳ θαητὸν ἔτευξαν.* Pindar. Pyth. VII.

INDEX.

# INDEX.

## A.


Abraxas 268.

Academia Georgia Augusta v. Vniuersitas Gottingensis.

Achaeorum instituta 455. 465.

Aeaci preces pro Hellenibus 259.

Aedui 109.

Aegineticum opus; quo sensu 476.

Aegyptiacae superstitiones in gemmis 263. regum defunctorum iudicium 439. 440. lacus apud Memphim. ibid.

Aglaophon pictor 476.

Agrigentum. 459.

Aeones 227.

Alexandria 436 sqq. bibliotheca 438. Alexandrinorum ingenia 439.

Alexandri M. dictum 29. id ne egerit vt omnem terrarum orbem commerciis mutuis iungeret, nec modo obsequio 333.

Alexander Seuerus, Imp. religiones miscellas probans. De eo iudicium 169. fauet Christianis 171. et Iudaeis 175. habet Christi effigiem in larario 176. 213.

Alypus statuarius 477.

Ammiani Marcellini censura 35. notabilia ex eius historiis 47 sq.

Amuleta 256. 262. artium inter Graecos antiquior historia 473. in Italia antiqua vestigia ibid. et 478 sq.

Androsthenes statuarius 476.

Animarum sedes in aethere et in astris 449. eae Genio duce eo deductae ibid. in via lactea 450. caelum adscendere descendere dictae et al. ibid.

Antiphanes statuarius 477.

Apollo: cum eo Constantinus comparatus 108.

Appius Claudius maiorum imagines posuit 480.

Ara Victoriae in Curia Romana 12. 121.

Arcades luna antiquiores 463.

Archiae poetae caussa a Cicerone defensa 457 sqq.

Aristophon pictor 476.

Asch (Ge. L. B de) elogium 314. liberalitas eius erga nutricem Georgiam Augustam eximia 420 sqq.

Astrologiae studia 195 sq. 208. symbola; eorumque vsus in gemmis 256. a quibus erroribus profecta ibid.

Athenodorus statuarius 477.

Augustodunensis in Gallia schola 95.


 Augu-

Augustinus de ciuit. dei 126.
Aula Byzant. Imp. 115 sq.
Ausonii (D. Magni) morum et ingenii censura cum memorabilibus 19. loca illustrata 24. 25.
Autolyci herois Sinopensis statua 478.

*B.*

Bacchica sacra per Italiam 194.
Bagaudarum tumultus 95.
Barbarorum successus contra Christianos: de rei caussa disp. 119 sq.
Bellorum ad litteras vtilitates quae sint 333.
Boccatii commenta mythica 470.
Boethius de consolatione philos. cum censura 143.
Brundusium 460 sq. Minoia dicta, vnde 461.

*C.*

Cariae Caeciliae statua 479.
Cares 492.
Carminum superstitiosus vsus 258. 259. etiam in medicandis morbis. ibid.
Carthaginiensium foedus cum Romanis 464. 465.
Castor 490.
Castoris epochae 482 sq. 498. 502.
Censura Q. Aurelii Symmachi I.
—— D. Magni Ausonii 19.
—— Ammiani Marcellini 35.
—— sex scriptorum historiae Augustaè 52.
—— XII. Panegyricorum veterum Commentatio I. 81. Commentatio II. 99.
—— Salviani Massiliensis de gubernatione dei 119.
—— Boethii de consolatione philosophica 143.
Cephissodotus statuarius 477.
Cerealia antiquitatis, eaque inuenta 446.
Certaminum litterariorum vtilitates 288. 289.
Christiani primor. saeculor. parum docti 33. 140. superstitiones, corruptelae 44 sq. 120. 136. christiana disciplina pro philosophiae secta habita 178.
Christus inter heroes adscitus ab Alex. Sev. 176. 207. Christi imago: vnde illa petita? expressa? etc. 214 sq.
Cicadarum cantus interceptus: in prouerbio 453.
Ciuitatum Magnae Graeciae instituta et leges. Additamenta 451 sqq.
Cloeliae statua 478. 479.
Coloniae Pelasgorum in Italia 460.
de Coloniis additamenta 444.

Conso

Consolatio: vera notio; argumenta varia excussa 151 sq.
Constantio Caesari dictus Paneg. 103.
Constantino Aug. 106. alius 108. alius 110.
Corippus de laudib. Iustini Aug. 114.
Cornelii Nepotis chronica 33.
Cretensium coloniae in Italia extrema 461.
Creston vrbs Thraciae 495.
Cyprii mari potentes 497.

D.

Damias statuarius 477.
Demogorgon 470.
Digestum Infortiatum, vnde dictum 462.
Dionysii dictum de Locrensibus 454.

E.

de Elysio 449.
Etruscae artes 48.
Eumenii Or. pro instaurandis scholis 95.
—— panegyr. Constantio Caesari dictus 103.
—— alius 106. alius 108.

F.

de foederibus erga Romanos 469.
Franklini dictum memorabile 444.
Frugalitatis vitae priuatae vtilitates ad frequentiam ciuium 443.
Frugum inter Graecos satio diuerse tradita, et vnde? 447.

G.

de Gatterero memoratio 486.
Gemmae astrologicae et magicae 256. variis nominibus enuntiatae 260. earum vires creditae modo ex natura et materia, modo ex arte 202. Aegyptiacarum religionum 263. astrologicae 264. astriferae 265. Persicae 267. Romanae et al. ibid. Abraxas 268. magicarum antiquitas 270. scarabaei 272.
Genius varie dictus 416. saeculi Ptolemaeorum ibid.
Gottinga. Vniuersitas Gottingensis, eiusque fortunae vicissitudines et euenta. Vacatio a prorectoris vicibus conceſſa 1. prolusionum vtilitas e dilectu argumentorum, praecipue ex litteris antiquis Gr. et R. 2. eaedem translatae in professorem nondum Decani munere functum 19 sq. prolusionum ad rerum academiae memoriam vtilitas 81. incolumitas vniversitatis Gottingensis tanquam in propugnaculo literarum bonarum positae in hac parte Germaniae 286. Adolphi Friderici Ducis Cantabrigiensis adventus

ventus 302. anni quinti (1805) turbatae res occupatis a Francico exercitu terris Hannoueranis 312 sq. Georgia Augusta benigne et clementer recepta in Tutelam a summo duce Eduardo Mortier, in ipsis induciis. Legatio viri egregie de rebus nostris meriti, de Martens, comite Blumenbach, ad eundem Hannoveram missa, comiter ab eo excepta 315. Litterae supplices Parisios ad Imperatorem, tum Consulem, missae, ad impetrandam incolumitatem et securitatem nostrae vrbis et vniuersitatis; ad quas litteras summus rei bellicae tum administer *Alex. Berthier*, memorabili cum humanitate rescripsit 316. 7. vrbs et Vniuersitas Gottingensis in fidem et tutelam Francorum recepta ab inuicto *Napoleone*, incolumitas et integritas nostrorum institutorum, cum stipendiorum immunitate a praesidio militari, concessa. 316. 7. Illustrissimorum virorum, *Mortier*, *Dessolles*, *Werle*, copiarum ducum, summa humanitas 318. 9. concessa libertas celebrandi Georgii III. diem natalem, et praemia in certamine litterario distribuenda 320. apographa litterarum ab Alex. Berthier ad Ducem Mortier; aliarum ab Duce Mortier ad Senatum, ad Rectorem Vniuersitatis, et tertiarum ab Alex. Berthier, administro rerum belli, ad Prof. *Heyne*, Instituti nationis Francicae Soc. missarum 327. 8 9. Laudes humanitatis Francorum; in his Bernadotti 331. 2 sq. Nec minus tamen ex fide memoranda sunt promissa ac decreta de Vniuersitatis commodis, iuribus et decoribus seruandis et augendis data, Hannoveranis terris occupatis armis Borussicis a. 1806: Vniversitas in fidem recepta honorificentissimis et munificentissimis conditionibus, incolumitatis, integritatis omnium commodorum, stipendiorum, redituum, priuilegiorum; curatore dato perpetuo in ipsis terris Hannoveranis degente, cum iure non nisi ad ipsum Regem de rebus nostris referendi. Tam inexpectata et incredibili humanitate erecta, nouam et maxime admirabilem indulgentiam et clementiam experta est Vniuersitas, cum cessisset in ius et ditionem parum duraturam.

Graecorum origines; populi barbari, qui eos antecessere 491 sq.

Grammaticae et rhetoricae studium in saec. serioribus 22. 23. professorum stipendia 24.

*H.*

Heraclea municipium 458.
Hieroglypha corruperunt artes fingendi 273.
Historiae scribendae seriorum temporum notatio 53 sqq. exemplo Sex scriptorum 58.
Homarius Iupiter 455.
Horatii Coclitis statua 479.

*I.*

Imago Christi, v. Christus. Imagines philosophorum, virorum illustrium, cum aliquo cultu habitae 216 sq.
Ionicae coloniae 460.
Iuliano panegyricus dictus 111.

*L.*

Leochares 476.
Liparaei 460.
de Locris Magnae Graeciae 453. 454. Minae Dionysii de agro eorum exscindendo, ita vt nec cicadae canant ibid.
Ludorum habendorum sumtus ingentes p. 13. 14.

*M.*

Magiae studium 208. Magicae gemmae et superstitiones 256.
Magistratuum munia cum impensis in ludos edendos, sportulas, strenas p. 13. 14.
Mamertini (Claudii) Panegyricus. Maximiano Herculio dictus 101. 2. alius 104. alius Iuliano 111.
Messapii 456.
Minos, eius naues 461.
Mythologia seu prima Orientis philosophia symbolice expressa 232. eius diuersae formae 234. post Indos Magos, Chaldaeos, inter Assyrios, Syros, et Phoenices, praeter Aegyptios, Iudaeos ibid.

*N.*

Natalis Comes mythologiarum auctor 471.
Nazarii Paenegyricus Constantino dictus 109. alius 110.
Nicomachus statuarius 478.

*O.*

Orationes: v. *panegyricus.* Funebres laudationes 100.
Origines panificii; additamenta 445.
— populorum; earumque studium in Acad. Gotting. 483 sq.
— nauigationis 489.
— insularum 496.
Orosii hist. libri 119. 130.

## P.

Pacati Drepanii (Latini) paneg. Theodosio dictus 112.
Pacuuius poeta et pictor 480.
Paetzii (Car. Wilh.) elogium 404.
Panegyrici XII. veteres; eorumque censura 80. panegyricae orationis notio et indoles 84. corruptelae et pericula 91 sq.
Paulli Perusini collectiones 471.
Pauson statuarius 477.
Panificii origines 445 sq.
Pedius, pictor 481.
Pelasgicae stirpis populi 492 sq.
Persicae religiones in gemmis 267.
Philosophia orientis. v. Mythologia; vulgo dicta quae? 251.
Philippi regis Macedonum imprudentia in bello cum Romanis 469.
Philostrati imagines 472 sq.
Phocaeenses ad Massiliam condendam profecti: apud Herodot. 475.
Phoenices mari potentes 497.
Phryges cum Thracibus communi stirpe 491.
Pittaci dictum 441.
Platonis Scholion enarratum 431. 442.
Poetices studium aetatibus serioribus 31.
Poleium in Magna Graecia 457.
Πολιτεία quo sensu apud Aristotelem dicta 456.
Polyeuctus statuarius 477.
Porsennae statua 479.
Praxias statuarius 476.
Principum magistri iuuentutis dignitatibus admoti 30.
Prolusiones indicendis certaminibus literariis 282 sq. nexus et tenor 442. 443.
Promontorium pulchrum 464. de prodigiis et ostentis 467 sqq.
Prooemia legum: de iis iudicium 452. legum Zaleuci et Charondae ibid. sq.
Prudentius in Symmachum 124.
Ptolemaeorum saeculum 436.
Pythagorea 455.

## R.

Religiones miscellae 169. 245. religiones patriae Romanorum inde a prima antiquitate 180 sq. 186 sq. inde a Numa 189. corruptelae per peregrina sacra, Graecam-

eamque philosophiam 190 sq. per sacra Bacchica 194. saepe eaedem quae *superstitiones* v. h. v. miscellae 245. corruptelae ex comparatione Graecarum Romanarumque cum religionibus profectis ex Oriente 252. peregrinae corruperunt artes 273.
Rhetorum et Sophistarum eloquentia 82 sq.
Rhodii mari potentes 497.

S.

Sacra peregrina in vrbem illata 193. Bacchica 194. inde alia, Phrygia, Isiaca 194 sq. saepe interdicta cum ceteris superstitionibus, et iterum conualescentia 197 sq. inprimis per Commodum, Iuliam Domnam 203.
Saeculi IV. virorum doctorum magna copia, vnde orta 6. eius studia quaenam? 22 sq. Saeculum Ptolemaeorum 436. 7.
Saeculorum seriorum, aulae, imperii, vitae, corruptelae 41 sq. 53 sq. 139.
Salapia, Salpia 460.
Salvianus Massiliensis de gubernatione Dei. censura 119.
Scarabaei, gemmae 272.
Scenica res, Scenici, sub Impp. 204.
Scriptores Historiae Augustae sex, et eorum censura 52. eorum tempora et ordo 62. numerus libellorum 71.
Scriptorum seriorum saeculorum lectionis vtilitates 3. 13. quarti inprimis et quinti saeculi 5. 24 sq.
Seruitus inter populos liberos frequentata 472.
Silanion statuarius 478.
Simonidis dictum 440.
Siris 456.
Statuae sub regibus Romanorum factae perperam memorantur 478.
Stesichori admonitio Locrensium 453.
Sthenis statuarius 478.
Superstitiones caussae corrumpendarum per hieroglypha symbola et res seu figuras symbolicas artium 273.
Superstitiones aetatis Alex. Sev. 220. non a solis Gnosticis profectae 222. ex Oriente collectae; per opiniones de occultis viribus naturae, aut a caussis incorporeis in personas mutatis, daemonibus etc. 227.
Superstitiones e symbolorum vsu seu sermone seu rebus symbolicis ante oculos positis seu arte adumbratorum 229 sq. in cosmogoniis praecipue et de mali origine 230. astrologicae 237. 257. intelligentiarum, daemonum, geniorum, animarum 240. barbarorum

graecis

graecis inmixtae 244. miscellae 245. ex carminibus: incantationes 258. 9. ex arcanis nominibus 259. 260. gemmarum ibid.
Sybaris 454.
Symbolorum vsus ex infantia generis humani, et apud populos in primis cultus melioris progressibus haerentes 229 sq. ex iis superstitiones prognatae 245. symbolicus sermo, dictiones symbolicae, symbolorum vsus in fingendis nouis erroribus et fraudibus 254. melior vsus symbolorum inter Graecos artifices 276. inter philosophos 277. vsus in sacris Graecorum et mysteriis 280.
Symmachi (Q. Aurelii) ingenii et morum censura cum memorabilibus ex eius Epistolarum libris 1. epistolarum loca illustrata, emendata 7. acute dicta 10. pro Ara Victoriae in curiam reponenda 11. 121 sq. eius mores 15. studia 17.

*T.*

Taurica chersonnesus 485 sq.
Temporum facies: v. Saeculum.
Τέττιγες. ὅπως μὴ ᾄδωσι 453.
Θαλαττοκρατῆσαι quo sensu dicatur 488.
Theocosmus statuarius 477.
Theodontius scriptor fictitius 471.
Theodosio dictus Panegyr. Pacati 112.
Thracicae stirpis populi 491 sq.
Thurii 454.
Thucydides de temporibus nauigationis Graecorum 500 sq.
Timarchus, statuarius 477.
Tisander statuarius 477.
Titiani apologi 33.
Turpilius pictor 480.
Tyrrheni 465. 495.

*U.*

Unctio mystarum 258.
Uniuersitas Gottingensis v. Gottingensis.

*V.*

Valentinianus 226.
Veneris stella portentosa 390.
Vitarum scribendarum ratio 60.
Victoriae ara 12. 121.
Virgis caedi ante supplicium capitis, vnde? 465 sq.

---

# INDEX RERVM ACADEMICARVM

## IN HOC VOLVMINE SEXTO.

*Anniuerſaria Vniuerſitatis Gottingenſis.* LXIV. anno 1801. Kal. Septembr. p. 1. — LXV. anno 1802. Kal. Septembr. 35. Antiquatus eſt ab hoc inde anno anniuerſariorum indicendorum mos et vſus, quia eiusdem menſis Septembris Kalendis magiſtratus academicus inibatur: Indicta ſemel anniuerſaria ſollennia vna cum magiſtratu ineunte anno 1808. 17. Septembr. (p. 389.) Ceſſantibus his ſollennibus, manſere in poſterum *ſollennia academica duo*, quibus per programmata proluderetur, alterum ad indicendas ſucceſſiones in magiſtratu academico, nullo tamen ritu ſollenni, factas, alterum ad indicenda in Septembrem XVII. ciuium academicorum litteraria certamina et praemia diſtribuenda *) — Si vero anniuerſariorum computum per ſingulos annos proſequimur; habet ille ſe hoc modo: 1803. LXVI. 1804 LXVII. 1805. LXVIII. 1806. LXIX. 1807. LXX. 1808. LXXI. 1809. LXXII. 1810. LXXIII. 1811. LXXIV. 1812. LXXV.

*Prorectores:* 1801 inde a Kal. Septembr. *Io. Frid. Gmelin.* p. 1.
1802 inde a Kal. Mart. *Io. Tob. Mayer.* 19.
— — Septembr. *Car. Frid. Stäudlin.* 35.
1803 — — Mart. *Car. Frid. de Martens.* 52.
1805 — — Mart. *Henr. Aug. Wrisberg.* 80.
— — Septembr. *Chph. Meiners.* 99.
1806 — — Mart. *Theoph. Iac. Planck.* 119.
— — Septembr. *Io. Pet. Waldeck.* 143.
1808 — — Septembr. *Io. Gottfr. Eichhorn.* 169.
1809 — — Mart. *Car. Frid. Stäudlin.* 169.

*Certamina litteraria ciuium academicorum.*

1802. Junii 2. p. 284.
1803. Junii 4. 304.
1804. Junii 4. 312.
1805. Junii 4. 330.
1806. Auguſti 3. 363.
1807. Junii 4. 381.
1808. Septembr. 17. 389.

*Quaeſtiones propoſitae, et ſcripta diiudicata*

I. *ab Ordine Theologorum.*

1802. Conuerſiones theologiae moralis Saec. XVIII. p. 290.
1803. de gnoſi biblica. 304.

1804.

*) V. Gelehrte Anzeigen 1808. p. 1105.

# *Index rerum academicarum.*


1804. de vi teſtimoniorum aduerſariorum in hiſtoria Chriſti et de authentia et integritate librorum N. T. p. 321.

1805. eadem quaeſtio repetita 336.

1806. doctrinae de iureiurando in eccleſia Chriſtiana hiſtoria 367.

1807. ſtatus fundorum et patrimoniorum eccleſiae Romanae ſub finem ſaeculi V. 383

1808. an miracula I. C. ad cauſſas naturales reuocari poſſint. 386.
ſimulque propoſita in a. 1809. vt ex hiſtoria et ſcriptis apoſtolorum notentur tempora, in quibus cognitioni, cuius elementa a Chriſto hauſerant, nouae aliquid lucis acceſſit. 399.


## *Sermonum ſacrorum.*


1802. De vinculo inter fidem et virtutem arctiſſimo ad 1 Timoth I, 5. 291.

1803. de indicio conſcientiae erroneae cauendo ad 1 Cor. VIII, 7. 307.

1804. de veritate prouidentiae diuinae ex vitis clarorum magnorumque hominum adſtruenda: ad Pſalm. XXXIII, 13-15. 322

1805. humilitas Chriſtiana non excludit iuſtam ſui aeſtimationem, ad Matth. XI, 29 338.

1806. fidei in I. C. vis ad virtutem humanam promouendam. 367.

1807. diſcrimen inter fidem non ſolo ſenſuum teſtimonio nitentem, et fidem nullo mentis iudicio vtentem, vulgo dictam caecam. 383

1808. de religione et eccleſia chriſtiana aeternum duratura: et propoſitum in a. 1809 argumentum, vt ex Ioannis XIV, 6. declaretur, quo ſenſu quoue modo purior quaedam atque efficacior dei cognitio per Chriſti doctrinam inter homines ſit propagata. 399


## II. *ab Ordine Iureconſultorum.*


1802. Nexus inter ſucceſſionem ab inteſtato et querelam inofficioſi teſtamenti, p. 293.

1803. principia de re iudicata eiusque effectu in cauſis criminalibus. 306.

1804. effectus actuum iurisdictionis voluntariae et mixtae in alieno territorio 323.

1805. eadem quaeſtio iterato propoſita. 339.

1806. Hereditatis ciuilis et bonorum poſſeſſioris differentiae. 368.

1807. an ſeruitus in faciendo conſiſtat tum ſecundum ius Romanum tum ſecundum ius Germanicum 384.

1808. ſi ex cambio agitur, in territorio in quo ius cambiale particulare non extat, an et quatenus deciſio petenda ſit tum ex propria natura negotii cambialis tum ex legibus cambialibus extraneis. p. 396.
ſimulque propoſita in a. 1809 quaeſtio: diſtinctio inter titulum et modum adquirendi quem vocant. 399.


III.

## III. *ab Ordine Medicorum.*

1802. Hiſtoria effectuum caloris et frigoris externi in corpus humanum viuum. p 294.
1803. neglectae doctrinae medicae de criſi detrimenta. 308.
1804. de aere equis et locis Gottingenſibus 323.
1805. an principii azotici cum inhalatione aeris nihil in corporis humani interioribus deponatur. 340.
1806. recenſus alimentorum quibus ingreſſus in ſyſtema vaſorum ſanguiferorum aut conceſſus a natura eſt aut negatus. p. 343.
1807. quid ſexus conferat ad morborum ordinem et indolem, genitalium morbis exceptis.
1808. vterus humanus, quoad ſubſtantiam vtrum ſit neruoſus nec ne.
et in 1809 propoſita quaeſtio: de viſus vitio, quod vulgo *Mouches volantes* appellatur.

## IV. *ab Ordine Philoſophorum.*

1802. Hiſtoria doctrinae gr. et rom. philoſophorum de ſtatu animarum poſt mortem.
altera: vis et effectus affluentiae metallicarum diuitiarum 297.
tertia: peninſulae Arabiae deſcriptio ex Abulfeda. 298.
1803. deſcriptio Caucaſi regionum et gentium. 308.
1804. ſyſtema dynamicum in phyſicis quatenus ſit praeferendum atomiſtico. 324.
1805. religiones Latii ex Ouidii Faſtis eruendae et ex aliis ſcriptoribus illuſtrandae. 341.
1806. eadem quaeſtio in hunc annum prolata et iterata.
ordinaria autem quaeſtio interpretationis allegoriae Philonianae principia et elementa ex ipſo Philone elicere ac declarare.
1807. vt triarum linguarum Vaſconum, Belgarum et Celtarum, quarum reliquiae in linguis Vaſconica, Cymry et Galic ſuperſunt, comparatione ſolerter inſtituta, diſcrimen, et diuerſa cuiusque indoles, doceatur. 385.
1808. vt ex noto Strabonis loco libri III., comparatis Diodori et Plinii locis, memorabilia de metallifodinis antiquis Hiſpaniae ſtudioſe conquirantur, docte et perſpicue exponantur, atque ex metallurgiae recentioris doctrina commode illuſtrentur. 397.
propoſita ſimul in a. 1809. quaeſtio de Iaxartis et Oxi in mare Caſpium ſe exonerantium fluuiorum oſtiis. 400.

## *Praemia retulere*

## I. *ab Ordine Theologorum:*

1802. Io. Horn. Acceſſit Phil. Conr. Marheineke. p. 291.
1803. Io. Horn. 306.
1804. praemium dilatum in annum proximum. 321. 2.

1805.

1805. Lud. Henr. Planck. Acceſſit Io. Iac. Sack. p. 337. 8.
1806. praemium non perſolutum. 367.
1807. nec huius anni praemium victorem nactum eſt cui tribueretur.
1808. nec huius anni.

*Homileticum ſermonibus ſacris habitis:*
1802. Aug. Phil. Petri. Acceſſit Aug. Wilh. Tappe. p. 292.
1803. Ge. Ern. Plate. Acceſſit Chph. Frid. Weſtphal. 306.
1804. Chr. H. Aug. Germar. Acceſſit Ge. Aemil. Guil. Arnold et Io. Chr. Frid. Holle. 322. 325.
1805. Ge. Aemil. Guil. Arnold. 339.
1806. Io. Iac. Sack. Acceſſit Ge. Otto Dietr. König. 368.
1807. Ge. Otto Dieteric. König. 384.
1808. Ern. Frid. Grote. Acceſſit Ge. Ern. Henr. Mehlis. 395.

II. *ab Ordine Iureconſultorum:*
1802. Eduard. Schrader. p. 295.
1803. Eduard. Schrader. Acceſſit Franc. Bernh. Gerike. 308.
1804. nemo in certamen prodiit. 323.
1805. nullum praemium aſſignatum.
1806. Ge. Guil. Planck. Acceſſit Eduard. Gmelin. 307.
1807. Chr Frid. Lud. Johannknecht. 385.
1808. nullum ſcriptum eſt oblatum iudicibus.

III. *ab Ordine Medicorum:*
1802. Praemiis duobus redditis: Guil. Frid. Baur et Io. Ferd. Becker. p. 296.
1803. Wilh. Liebſch. 308.
1804. Car Iul. Pickhard. 324.
1805. Franciſc. Schmitz. 341.
1806. Io. Frid. Lucretius Albrecht. 372.
1807. nemo ad certamen prodiit.
1808. Io. Frid. Oſiander. Acceſſit Ge. Spangenberg. 397.

IV. *ab Ordine Philoſophorum:*
1802. Car. Lud. Struve. p. 296. alterius Frid. Iuncker. 297. tertiae Chph. Rommel. 298.
1803. Ge. Henr. Lünemann. 310.
1804. nemo congreſſus eſt certamine. 324.
1805. praemium dilatum in annum proximum. 345.
1806. Lud. Henr. Planck; et quaeſtionis alterius iterum propoſitae Ern Spangenberg. 372. 3. 4.
1807. Ge. Aug. Frid. Goldmann. 386.
1808. diuiſo ex aequa parte praemio Io. Chr. Iac. Bethe et Henr. Chph. Roloff. 398.

* * *

De obitu Caroli Wilh. Paetzii, Iur. Profeſſoris, ad Heeren ſuum. p. 407.
De obitu Ge. L. Baronis de Aſch, ad Io. Frid. Blumenbach et Io. Dav. Reuſs. 414.

ex

r. Pl
non
anr